THEOLOGIÆ MORALIS
COMPENDIUM.

THEOLOGIÆ MORALIS
COMPENDIUM

AB ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOMINO

JOSEPHO SEGNA

MARSORUM EPISCOPO

BREVITER CONCINNATUM

AD USUM

SEMINARII SUÆ DIOECESIS ec.

TOM. II.



AQUILÆ

Typis Aloysii Rietelli

1833.

INDEX

LIBRORUM, TRACTATUUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

LIBER III.

TRACTATUS UNICUS.

LIBER IV.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

LIBER V.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

APPENDIX I.

APPENDIX II.

LIBER III.

TRACTATUS UNICUS.

De Præceptis particulares hominum status respicientibus.

Locuti sumus in I., et II. Libro de Legibus in genere, et de Legibus, quæ continentur in Præceptis Decalogi, et Ecclesiæ. In hoc Libro agemus de Legibus, seu Præceptis particularibus, quæ respiciunt quasdam in specie personas, quoad officia, professiones, artesve, quæ ab ipsis exercentur. Varia ex his, quæ mutuas personarum obligationes concernunt, ut parentum erga filios, dominorum erga subditos etc. jam recensuimus in Lib. II. loquendo de IV. Decalogi Præcepto (a n. 467. ad 537.); et ibi dicta recolantur. Quæ autem respiciunt alios præcipuos hominum cœtus, ut Clericos, Regulares, Magistratus etc., in hoc Libro videbimus, loquendo in diversis Articulis: 1.° De Clericis in genere. 2.° De Clericis in specie. 3.° De Regularibus. 4.° De Officiis, quæ plerumque a laicis exercentur.

ARTICULUS I.

De Clericis in genere.

1. Q. Quid intelligitur sub nomine *Clerici?*
℟. *Clericus* derivat a voce græca *Cleros*, quæ latine *Sors*, vel *hæreditas* interpretatur: quia Clerici debent esse *a negotiis*, *curisque sæcularibus remoti*, *et cultui divino specialiter deputati*. Ita legitur in Cap. *Cleros* 1. dist. 21. Hinc in Clericis instituendis Tonsurandi proferunt illa verba: *Dominus pars hæreditatis meæ*, *et calicis mei*; *tu es*, *qui restitues hæreditatem meam mihi*. Quænam dotes in Clericis requirantur; quænam sint eorum obligationes; quænam ab ipsis vitanda; quibus privilegiis, et favoribus eos Ecclesia prosequatur; in sequentibus Capitibus dicetur.

Caput I.

De Dotibus, et Virtutibus Clericorum.

2. Q. Quænam Dotes, et Virtutes in Clericis requiruntur?
℟. Multæ, sed in primis requiritur *Sanctitas*, et perfectio vitæ; *Scientia*, et *Vocatio*, de quibus in sequentibus Paragraphis.

Paragraphus I.

De Sanctitate, et Perfectione Clericorum.

3. Q. Quare in Clericis requiritur *Sanctitas?*
℟. Quia ad Ordines, et præsertim majores ascendit; juxta S. Augustinum (Serm. 83. de di-

vers.) profitetur *Sanctitatem*. Sicut ergo Religiosus, qui pariter *Sanctitatem* profitetur, ut colligitur ex S. Thoma (2. 2. q. 186. a. 2. ad 1.), ad ipsam consequendam tenetur, ut, si contemnat, aut non curet ad perfectionem tendere, transgressor est professionis, et graviter peccat: multo magis ad hoc tenentur Clerici in sacris, in quibus juxta S. Doctorem (2. 2. q. 184. a. 8. in Corp.) major sanctitas requiritur. Insuper, si omnibus Israelitis dixit Dominus per Moysen (Levit. 19. 2.): *Sancti estote, quia ego sanctus sum*; si omnibus sequacibus Christus ajebat (Matth. 5. 48.): *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*; quanto magis hanc sanctitatem, et perfectionem requiret in iis, qui suo mancipantur servitio?

4. Q. In quo consistit hæc *Sanctitas*?

℟. Consistit in hoc, ut Clerici sint irreprehensibiles. Sic Apostolus (I. Timoth. 3., et Tit. 1.). Ille autem dicitur *irreprehensibilis*, qui, ut explicat a Lapide (ap. B. Ligorio Sel. pred. Cap. 3. n. 5.), *non tantum vitio careat, sed qui omnibus virtutibus sit ornatus*. Si ergo Clericus exactus sit in suis muneribus exequendis; si omne studium adhibeat ad virtutes consequendas; si sollicitus sit ad vitia vitanda, et non solum graviora, ut docet S. Ambrosius (Lib. 3. Epist. 25.), sed, per quantum sinit humana fragilitas, etiam minima; tunc dicetur *irreprehensibilis*, sanctus, et ad perfectionem tendens.

5. Q. Quænam circa hoc sunt verba Apostoli?

℟. Sunt sequentia: *Oportet ergo Episcopum* (et idem dic de aliis Clericis, præsertim Presbyteris, et Diaconibus, ut sentiunt SS. Augustinus, et Chrysostomus ap. eumdem Beatum loc. cit.)

irreprehensibilem esse, sine crimine, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, modestum, benignum, non vinolentum, non percussorem, non litigiosum, non cupidum, non bilinguem, non turpe lucrum sectantem etc. Et idcirco in Cap. *Nullus* Dist. 24. dicitur: *Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit.* Et S. Bernardus (ap. B. Ligorio Lib. 6. n. 802.) subdit, eos, qui ad Ordines debent admitti, *non esse probandos, sed probatos.*

6. Q. Quid sequitur ex his?

℟. Sequitur, quod, si quis pudicum se non noscit, sobrium, patientem, humilem, sollicitum divinæ gloriæ, et salutis animarum, et multo magis si quis noscat se impudicum, vinolentum, blasphemum, superbum, aut alio vitio irretitum; juxta S. Thomam (Suppl. q. 36. a. 1.) *ad ministerium Ordinis non debet admitti.* Et revera. Si Clerici, ut mox diximus, et communiter sentiunt SS. Patres, et Doctores, debent esse sancti, et perfecti; quomodo admitti possunt qui non solum non sunt sancti, nec perfecti; sed positive peccatores, et improbi? præsertim si quis foret adhuc habituatus in aliquo peccato contra Puritatem?

7. Q. Quid dicendum, si quis hoc vitio irretitus vellet ordinari?

℟. Jam supra dixi cum S. Thoma, non esse admittendum; saltem, nisi prius det operam ad pravum habitum deponendum; et convenienti temporis spatio non det signa emendationis. Luctuosa enim experientia nos edocet, hujusmodi Clericos non satis probatos, etiam post Ordinationem ad vomitum redire, pejoresque fieri cum tanto dedecore status Ecclesiastici, et populorum

scandalo. Et si hujusmodi Clericus nollet ab ordinatione abstinere; uti præsumptuosus, et indispositus, generaliter loquendo, nec capax esset absolutionis; etiamsi ob non æquivoca contritionis signa posset absolvi.

8. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. Quia, si pro aliquo casu raro ordinandus signa tam extraordinaria det suæ conversionis, tantamque dispositionem præseferat; ut sapiens Confessarius possit prudenter judicare, illum voluntatem vere mutasse; et fretum divino auxilio, et mediis sibi propositis, vitam vere mutaturum; multi Doctores ab ordinatione non excluderent. Hoc tamen non obstante, ut ordinandus temporis experimendo firmius probet suum propositum; expediret, ut suam ordinationem differret, nisi ex dilatione aliquam infamiam esset subiturus. Vide B. Ligorio Lib. 6. a n. 63. ad 77. et rationes, quas ex diversis affert Doctoribus.

PARAGRAPHUS II.

De scientia in Clericis requisita.

9. Q. Quare in Clericis requiritur *scientia?*

℟. Quia Populi in eorum dubiis recurrere debent ad Clericos, præsertim Sacerdotes; ut Deus ipse Populis imposuit (Aggæi 2. 12.): *Interroga Sacerdotes legem.* Et apud Malachiam (2. 7.) legitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam.* Insuper Clerici, præsertim Sacerdotes, in viam salutis debent animos dirigere. Si ergo *Scientiam* necessariam non habeant; sequeretur quod Christus prædixit (Matth. 15. 14.), idest: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam*

cadunt. Præterea Sacerdotes ministrare debent Sacramenta. Quomodo ergo valide, et licite ministrabunt, nisi habeant necessariam cognitionem? Et idcirco Gelasius Papa statuit, quod *illitteratos ..... nullus præsumat ad Clericatus ordinem promovere* (Can. 95.). Imo illitterati declarantur irregulares (dist. 36.); et Concilium Toletanum VIII. statuens, ne illitterati ordinentur, subdit : *Aliter ordinaturis*, *et ordinandis imminet Dei*, *et Ecclesiæ vindicta*.

10. Q. Quænam *Scientia* in Clericis requiritur?

℟. Pro tonsurandis, ut præscribit Tridentinum (Sess. 23. de Ref. Cap. 4.), sufficit, ut *Fidei rudimentis sint edocti*; *quique legere*, *et scribere sciant*; et insuper, ut subdit S. Carolus (Conc. V.) tales sint, *qui spem præbeant Ecclesiæ Ministros utiles fore*. Qui minoribus Ordinibus initiantur (Trid. ibid. Cap. 11.), *saltem latinam linguam intelligant ..... et cum ætate vitæ meritum*, *et doctrina major accrescat .... nec initientur*, *quos non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignos ostendat*. Ordinandi in sacris (Trid. ibid. Cap. 13.) *instructi sint litteris*, *et iis*, *quæ ad Ordinem exercendum pertinent*. Quæ autem sint *litteræ*, quibus instructi esse debent qui ordinantur in sacris, sunt *litteræ sacræ*, ut explicat Catechismus Romanus (Par. 2. Cap. 7. n. 32.). Et idcirco non immerito dicit Ferraris (V. *Ordo* Art. 2. n. 131.); et Romæ observatur; quod pro suscipiendo Subdiaconatu requiritur, ut per unum saltem annum studio Theologiæ, vel Juris Canonici fructuose quis se dederit: biennium pro Diaconatu : triennium pro Presbyteratu.

11. Q. Quæ *Scientia* requiritur in Sacerdotibus?

℟. Etiamsi optabile esset, ut omnes ecclesiastici forent instituti in sacris Scripturis, et Canonibus, in Theologia Dogmatica, Scholastica, et Polemica; ac etiam, si velint, in scientiis mathematicis, et physicis: nihilominus, cum hæ cognitiones non in omnibus sint sperabiles; in omnibus tamen requiritur, et sub gravi juxta B. Ligorio (Lib. 6. n. 791.), ut *saltem peritiam aliquam circa Sacramentum Confessionis habeant*; et sicut præscripsit Innocentius XIII. (Const. *Apostolici Ministerii* 23. Maj. 1723. n. 5.), *saltem Theologiæ Moralis competenter periti sint.* Et sic, si pro aliquo casu necessitatis excipere debeant confessionem alicujus, qui in periculo mortis versetur; noscant, an sit dispositus; an ad aliquam teneatur restitutionem; an injurias condonare teneatur; absolute ne, an conditionate debeat absolvi; quid ei injungere, si gravatus sit censuris, et casibus reservatis etc.

12. Q. Ubi reperitur hæc obligatio?

℟. Reperitur in ipso Tridentino. Ibi enim (Cap. 14.) præscribitur, ut ii, qui ad Sacerdotium sunt initiandi, præter alia requisita, *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.* Cumque in Theologia Morali reperiantur quæ sunt necessaria, et *ad populum docendum, et ad Sacramenta ministranda*; sequitur, ex Tridentino requiri in presbyterandis aliqualem cognitionem Theologiæ Moralis. Hinc concludendum, quanta diligentia ii, qui sacris Ordinibus sunt initiandi, curare debeant, ut inter alia studia etiam huic Theologiæ Morali sedulo vacent.

13. Q. Quid censendum de Religiosis?

℟. Si Religiosi addicti sint ad Sacramenta ministranda, Ledesma (ap. B. Ligorio ibid.) cum aliis dicunt, eamdem scientiam requiri, quam in Sacerdotibus sæcularibus; imo majorem: quia Religiosi frequentius assumuntur ad Sacramenta ministranda. Si autem Religiosi addicti sint ad vitam contemplativam, in ministerio tantum Chori, et Altaris; ut sunt Carthusiani, Camaldulenses, et similes, tunc ex S. Thoma (in 4. dist. 24. q. 1. a 3. q. 2. ad 1.) potest sufficere, ut habeant scientiam necessariam ad Missam rite celebrandam, et Chori munera adimplenda. Bene autem advertit idem Beatus (num.° 792.), quod etiamsi Episcopus possit esse contentus de *Scientia*, quam requirit Tridentinum; majorem tamen potest a suis subditis exigere, præsertim, si sint amplæ civitatis: Concilium enim noluit restringere facultates Episopi; sed tantum impedire, ne cum minori scientia Clerici promoveantur.

Paragraphus III.

De Vocatione in Clericis requisita.

14. Q. In quo consistit ista *Vocatio?*

℟. In hoc consistit, quod qui ad sacra ministeria debet assumi, sit vocatus a Deo. Patet ex diversis sacræ Scripturæ locis. *Nec quisquam* (legitur Hebr. 5. 4.) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Apostoli, ut in locum Judæ alium surrogarent; sic Deum deprecati sunt: *Tu Domine .... ostende quem elegeris* (Actor. 1. 24.). Ubi nota: *quem elegeris*. Et Christus ipse clare docuit hanc veritatem, dicens suis Apostolis: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (Jo. 15. 16.).

15. Q. Quid dicendum de eo, qui absque divina Vocatione ordinatur?

℟. Ut communiter sentiunt Doctores cum B. Ligorio (Lib. 6. n. 73.), is peccaret lethaliter ob gravem præsumptionem se intrudendi in Sanctuarium contra Dei voluntatem; et ut asserit Abelly (ap. B. Ligorio ibid.), *haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen injiceret.* Imo S. Bernardus (Homil. in Ev. *Ecce nos* ap. Besombes de Statu Cleric. Cap. 2. a. 1.) loquens de illis, qui vel superbia ducti, vel lucri desiderio attracti, statum Clericalem eligunt, ait: *Quorum damnatio certa est*: nisi (addo) Deus gratia extraordinaria cum eo utatur, vel mutando ejus inclinationem, vel in morte eum convertendo. Qui ergo se vocatum non sentit; parentes, aliosve non audiat, qui ob fines secundarios ejus ordinationem cupiunt: nisi sua sponte ad tenebras exteriores velit se projicere.

16. Q. Quomodo cognosci potest hæc divina *Vocatio?*

℟. Etiamsi certitudo hujus *Vocationis* absque miraculo nequeat haberi; nihilomins Theologi, et Ascetici quædam signa nobis tradunt, ex quibus moraliter credi potest, hanc divinam *Vocationem* adesse. Primum signum est, quando quis experitur in se quamdam inclinationem ad amplexandum hunc statum, quæ sit virtuosa, constans, et pacifica. Et hæc inclinatio, si adjuncta sit cum aliis signis, potest credi venire a Deo. Dixi: *constans*, et *pacifica*: quia si aliquoties ad hunc statum, et aliquoties ad alium se sentiat quis inclinatum; aut suum animum turbatum noscat; hæc inclinatio non veniret certe a Deo, qui spiritus est firmitatis, et pacis.

17. Q. Quomodo cognoscitur hanc inclinationem esse *virtuosam*?

℟. Quando quis ob fines rectos, et sanctos se sentit impulsum ad hunc statum amplectendum; ex. gr. ut commodius possit Deo servire cum precibus, functionibus, Sacrificiis; ut possit cum Deo cooperari ad salutem animarum, instructionibus, auditione confessionum, assistentia infirmorum, et aliis misericordiæ operibus: etiamsi secundario aliquod emolumentum ab Ecclesia expectet. Quod, si quis non jam ob dictos fines hunc statum exoptet; sed ut commodam possit ducere vitam illo Beneficio, quod habet, aut sperat habere, familiamque locupletare; vel ut a potestate laicorum, aut a militia se eximat; aut in populis possit dominari, aut ob alium finem non rectum; quomodo posset credi, hujusmodi inclinationem a Deo venire?

18. Q. Quænam sunt alia signa divinæ *Vocationis*?

℟. Secundum signum est, quando qui ad hunc statum inclinatum se sentit, habeat illas qualitates, virtutes, ac dotes, quæ huic statui conveniunt. Jam supra (n. 3. etc.) dictum est, in Clericis præsertim Ordinum majorem requiri vitæ *Sanctitatem*, et (n. 9. etc.) *Scientiam*. Si ergo quis se noscat non solum non sanctum, nec doctum; sed positive malum; in ebrietatibus, blasphemiis, impuritatibus, aliisve vitiis irretitum; generaliter loquendo potest credi, illam inclinationem (si verum sit, quod habeat) a Deo non venire. Et idem dic, si quis *Scientiam* suo Ordini respondentem nec haberet; nec ob obtusitatem suæ mentis speret brevi acquisiturum. Tertium signum, quod is nec ex delicto, nec ex defectu sit

irregularis, ut dicetur Lib. V. a n. 75. Tom. II.

19. Q. Quid ex dictis concludendum?

℟. Quod, si quis saltem pro nunc vocatum non se sentit, non accedat ad Ordines, ut dictum est (n. 15.); ne in apertum suæ æternæ salutis discrimen se injiciat. Si autem habeat inclinationem virtuosam, constantem, et pacificam; et insuper habeat necessariam *Scientiam*, et *irreprensibilis* sit, ut explicatum est n. 4., et 5., nec sit irregularis; sicut nemo debet esse judex in causa propria; non currat, sed frequentioribus, et ferventioribus precibus divinam exploret voluntatem; Sacerdotes zelantes, et doctos, et in materia *Vocationis* peritos consulat; in manu sui Superioris, et Episcopi se ponat; et si ab his probetur, fidenti animo accedat, exactus sit in suis muneribus exequendis; et sic seipsum, et alios sanctificabit.

20. Q. Quid censendum de eo, qui absque divina vocatione se ordinavit?

℟. *Ingemiscendum*. Sic docet S. Gregorius (ap. B. Ligorio Sel. pred. Cap. X. n. 17.); et lacrymis veræ pœnitentiæ se accuset in confessione de gravi peccato a se commisso, absque *Vocatione* in Sanctuarium se intrudendo: imploret a divina misericordia illa auxilia, et gratias, quas ob suam temeritatem non meretur; *si vitæ sanctitas non præcessit*, ut subdit S. Bernardus (Epist. 27. ad Ardut.), *saltem sequatur*; ad perfectionem consequendam totus incumbat; gloriæ Dei, et salutis animarum sit sollicitus; aliaque Ecclesiastica munia adimpleat. Et sic faciendo, potest sperare, Deum, qui mortem peccatoris non vult, sed ut convertatur, et vivat (Ezech. 33. 11.), misericordia motum, auxilia necessaria ad bene vivendum in illo statu daturum.

Caput II.

De Obligationibus Clericorum.

21. Q. Quænam sunt Clericorum Obligationes?

℟. Præcipuæ sunt quatuor: 1. recitandi Horas Canonicas; 2. servandi perpetuam Castitatem; 3. habendi Titulum ordinationis; 4. deferendi habitum, et tonsuram. De obligatione recitandi Horas Canonicas, seu Divinum Officium jam diffuse egimus Tom. I. Lib. II. Tract. II. Art. I. Cap. III. a. n. 214. ad 276.; et ibi dicta recolantur. De aliis Obligationibus in sequentibus Paragraphis agemus.

Paragraphus I.

De Obligatione Castitatis.

22. Q. Qui Clerici ad hanc *Castitatem* obligantur?

℟. Etiamsi omnes, et non solum Clerici, sed etiam Laici ad servandam Castitatem in proprio statu teneantur; ad hanc autem perpetuo servandam tenentur tantum Clerici in sacris, et qui professi sunt in aliqua Religione adprobata: adeo ut, statim ac quis ad sacrum Subdiaconatus Ordinem est promotus; tam ex vi Voti solemnis (ex. Cap. *Quod votum* unico de voto in 6.) implicite ordinationi adnexi; quam ex præcepto Ecclesiæ nulliter matrimonium contraheret; et peccando contra Castitatem, sive actibus internis, ut esset turpis cogitatio, delectatio morosa etc. sive actibus externis, ut essent tactus, vel aspectus impudici, et omnis alius actus luxuriæ; non solum contra Castitatem, sed etiam contra Religionem

peccaret, et sacrilegium committeret. Ita ex Cap. *Cum olim* de Cleric. conjug., ex Tridentino Sess. 24. Can. 9. Bellarminus, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 6. n. 806. etc.). Et idem dic de Religiosis professis.

23. Q. Quid sequitur ex his?

℞. Quod, *nisi* (quis) *aut virgo*, *aut probatæ castitatis existat*, *nemo ad sacrum Ordinem permittatur accedere*. Ita Innocentius III. (in C. *A multis* extra de ætat., et qual. Ord.). Imo S. Gregorius (Lib. I. Ep. 42.) non solum dicit: *non permittatur accedere*; sed: *Nullus debet ad ministetrium Altaris accedere*, *nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata*: volens indicare, quod, etiamsi aliquis *Castitatis probatæ* ab aliis credatur, et proinde *permittatur accedere*; si autem ipse talis reapse non sit, non præsumat accedere; ne viam sibi aperiat ad tot sacrilegia committenda, et ad æternam damnationem incurrendam.

24. Q. Si alicui ignota esset obligatio servandæ Castitatis, teneretur ne ad illam?

℞. Hæc ignorantia difficile est, ne dicam impossibile, quod possit adesse. Unusquisque enim et studio didicit, et voce hanc obligationem ab aliis audivit; et Episcopus ipse in ordinatione Subdiaconi de hac obligatione ordinandos monet. Sed, etiamsi hæc invincibilis ignorantia daretur; et etiamsi aliquis ita fuisset dispositus, ut si scivisset, Ordinem non suscepisset; nihilominus, si non vi voti; ex præcepto tamen Ecclesiæ teneretur: quia qui voluntarie suscipit Ordinem, vult etiam obligationes adnexas. Vide B. Ligorio n. 809.

25. Q. Quid dicendum de eo, qui expresse renueret hanc obligationem contrahere?

℟. Etiam hic, quamvis non teneretur ex voto; ex præcepto tamen Ecclesiæ, ut dixi, ad Castitatem servandam teneretur; et si matrimonium attentare præsumeret, invalide contraheret; et, si Castitatem violaret, sacrilegium committeret: læderet enim personam sacram, nempe semetipsum, cujus corpus, et anima per Ordinem sacrum sunt Deo specialiter consecrata. Togni Cap. V. B. Ligorio cum aliis (ibid.).

Paragraphus II.

De Titulo Ordinationis.

26. Q. Quid est Titulus Ordinationis?

℟. Est assignatio fundi stabilis, certi, ac fructiferi, quæ fit Clerico in sacris ordinando ad ejus vitam honeste sustentandam usque ad mortem. Dixi: *fundi stabilis* etc: quia bona mobilia, seu semoventia, ut animalia; vel quod quis sua industria lucratur, ex. gr. ut Doctor, Magister etc. non possunt esse Titulus Ordinationis. S. C. Concilii 23. Maj. 1609. et 29. Nov. 1670. Dixi quoque: *ad ejus vitam honeste sustentandam usque ad mortem*: quia, si quod percipit ex fundo, non sit sufficiens ad congruam sustentationem; vel percipere possit per aliquos tantum annos, non esset verus Titulus. Concilium Tridentinum Sess. 21. Cap. 2. de Refor.

27. Q. Quot sunt hujusmodi Tituli?

℟. Pro Clericis sæcularibus sunt duo. Principalis, et ordinarius est Beneficium Ecclesiasticum pacifice possessum; ad quod referri potest Capellania vitalitia, et massa communis, seu reditus, qui percipiuntur a fundis alicujus Ecclesiæ, et

præsertim *receptitiæ*, cui Clericus adscribitur, juxta morem præsertim hujus Regni Neapolitani. Alter titulus est sacrum Patrimonium (si adsit necessitas, vel commoditas Ecclesiæ) ad quod reduci potest Pensio. Ita colligitur ex Trident. loc. cit. ex S. C. Concilii 18. Nov. 1662. ex ultimo Concordato inter Pium VII. et Ferdinandum I. tunc nostrum Regem 16. Febr. 1818. Art. 25., et ex Constit. *Impensa* Pii VII. 13. Aug. 1819. Dixi: *pro Clericis sæcularibus*: quia Regulares ordinantur Titulo Paupertatis, ut alibi dicetur.

28. Q. Quando sustentatio reputatur congrua?

℟. Pro diversitate Diœcesum, ac regionum varia est Taxa. In hoc Regno ex citato Concordato (Art. 25.) non potest esse minor quinquaginta ducatis, nec major octoginta; nisi in aliquo loco sit statuta taxa major, pro quo nulla fit immutatio. Quotiescumque ergo reditus Beneficii, Patrimonii etc. in hac Marsorum Diœcesi sit quinquaginta ducatorum, sustentatio dicetur congrua. Et hic nota, quod, si Beneficium etc. reddat ex. gr. triginta ducata tantum, alia viginti suppleri possunt vel Cappellania, vel Patrimonio etc. Et sic viceversa, si redditus Patrimonii non sint sufficientes, suppleri possunt Beneficio, Massa communi etc. Sic S. C. Concilii apud Benedictum XIV. (Instit. Eccl. 26. n. 10. V. *Itaque*); et ex eodem Concordato (ibid.).

29. Q. Quid dicendum, si quis Beneficium habeat in aliena Diœcesi?

℟. Distinguendum. Si illud Beneficium obligat ad continuam residentiam, reditus debet esse juxta Taxam loci, ubi Beneficium est erectum. Si autem ad hanc residentiam non obliget; juxta taxam loci, ubi Beneficiatus habet domicilium. Sic

Innocentius XIII. in Const. *Apostolici Ministerii* num.° 7.

30. Q. Onera Missarum sunt ne detrahenda a reditibus Beneficii, Capellaniæ etc.?

℟. Multi multa dixerunt. Quæstionem autem diremit S. C. Concilii die 17. Julii 1723., ut refert Bened. XIV. (de Syn. Diœc. Lib. 12. Cap. 9. n. 6.), rem relinquendo conscientiæ, et arbitrio Ordinariorum, qui spectatis locorum, et personarum conditionibus; vel in casibus particularibus, vel etiam Constitutione Synodali decernere possunt, quando onera Missarum detrahenda sint nec ne ex reditibus Beneficii, Capellaniæ etc. qui Beneficiati sustentationem constituunt.

31. Q. Quid præterea notandum circa bona Patrimonialia?

℟. Varia. 1. quod si quis scienter Patrimonio fictitio, et non vero, et ad congruam sustentationem non sufficiente, ut supra dictum est (n. 28.), se ordinaverit, Ordinatorem decipiendo; graviter peccat: quia in materia gravi decipit Ecclesiam; et insuper remanet *ipso jure* suspensus, ut declaravit S. C. Concilii 27. Novembris 1610.; et, si Ordinem solemniter exercere ausus fuerit, evadet etiam irregularis, ut statuitur Cap. *Si quis Episcopus* 11. q. 3. et alibi.

32. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 2. quod bona patrimonialia absque gravi peccato non possunt nec vendi, nec hypothecari, nec permutari, nec alio modo alienari absque Episcopi licentia. Et si aliter factum fuerit, alienatio facta ipso jure est nulla. S. C. Concilii 6. Martii 1638. Et idem dicendum de Beneficio, Capellania etc. ad cujus Titulum fuit quis ordinatus, quæ renunciari nequeunt absque Epi-

scopi licentia. Notandum 3. quod, etiamsi alium Titulum quis obtineret, puta Beneficium, Capellaniam etc. ad congruam sustentationem sufficientia; nihilominus absque dicta licentia non posset alienare Patrimonium, ad cujus titulum fuit ordinatus; et alienando, alienatio non sustineretur. S. C. Concilii 4. Februarii 1652.

Paragraphus III.

De Habitu, et Tonsura Clericorum.

33. Q. Quisnam est Habitus Clericalis?

℟. Est vestis talaris nigri coloris, quæ talum pedis pertingat. Hæc talaris vestis, ut legitur apud Collet (Tract. de Oblig. Cleric. Sect. 2. Cap. I. puncto 2.), definita fuit a tredecim OEcumenicis Conciliis, et ab octodecim Romanis Pontificibus, præter multas Synodos Provinciales, et Diœcesanas. Hæc, ut vestis necessaria, præscribitur a Rubrica (Rit. serv. in celebr. Miss. Tit. I. n. 2.) in celebratione Missæ. Homobonus autem, quem citat, et sequitur Gavanto (Part. 2. Tit. I. litt. y.) dicit, in itinerantibus, et rusticanis in defectu talaris, vestem breviorem, quæ medium cruris saltem attingat, posse tolerari. Sed in hac Marsorum Diœcesi ex Constitutione 46. Synodi anni 1815. etiam itinerantes saltem in Sacristia hanc vestem talarem assumere debent.

34. Q. Semper ne a Clericis hæc vestis est adhibenda?

℟. *Semper*, ut præcipit Tridentinum (Sess. 14. Cap. 6. de Ref.) *oportet, Clericos vestes proprio congruentes Ordini deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrin-*

secam ostendant. Sed cum Tridentinum, ut ait Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. 11. Cap. 8. n. 1.). Episcopi judicio statuendum relinquat, quænam vestis Clericis conveniat, ibi enim legitur : *Juxta ipsius Episcopi ordinationem, et mandatum* ; hinc unusquisque constitutiones Synodales, vel ab Episcopo extra Synodum factas inquirat. Et, si ibi vestes breviores permittantur, aut saltem tolerentur ; extra sacras Functiones potest uti. Et ubi Constitutiones particulares non existunt, observetur consuetudo *proborum* Sacerdotum, et Clericorum, ut sentit Cardinalis de Luca, quem citat, et sequitur Ferraris (V. *Clericus* Art. 1. n. 38.).

25. Q. Quare dixisti : *extra sacras Fuuctiones?*

℟. Quia, quando quis celebrat Missam, aliasque Sacras Functiones, ut supra (n. 33.) dictum est, necessario (cum limitationibus, ut ibi) vestem talarem debet adhibere. Imo in prædicta Marsorum Synodo præscribit Episcopus Rossi (ibid.), quod Missam celebraturi hac veste talari induti Ecclesiam ingrediantur. Et, si rationabili ex causa, ut moderavit ejus Successor Episcopus Durini (modif. 2.), taliter induti non accesserint ; ad instar itinerantium saltem in Sacristia eam accipiant.

36. Q. Quid præterea in hac Marsorum Diœcesi circa hanc materiam est statutum?

℟. Eadem Synodus (n. 139.) inter alia hæc decernit. 1.° quod Clerici sine Collario, et Corona clericali suo quisque Ordini congrua non incedant. 2.° quod, ut a sæculari more, et vanitate abhorreant, vestibus nigri coloris ad mediam saltem tibiam descententibus utantur. 3.° confirmando statuta ab alia Synodo anni 1673. (Tit.

25.), et regales Sanctiones (Circul. ad Episc. 21. Aug. 1797. Art. 16. et 17.), interdicit omnino pileos rotundos, fasciolas, et sic vulgo dicta *capani*, *sariche*, *giacchette*, *calzebrache*, *scamisciate*. Hæc igitur serventur.

37. Q. In quo consistit *Tonsura clericalis?*

℟. Consistit tum in modesta capillorum tonsione, quæ a laicorum vanitate abhorreat; tum in corona, seu *Clerica* in summitate capitis deferenda. Etenim in Cap. *Clerici* 15. de Vita et honest. Cleric. sic Innocentius III. præscribit: *Coronam, et Tonsuram habeant congruentem.* Dicit *congruentem*; idest, cuilibet Ordini respondentem. Ut enim legitur in Concilio Toletano IV. et in Placentino sub Urbano VI. mensura Coronæ, seu Clericæ pro Tonsuratis debet esse Hostiæ minoris, pro Sacerdotibus Hostiæ majoris, paulo minor pro Diaconis, minor pro Subdiaconis, et adhuc minor pro Clericis in minoribus.

38. Q. Quomodo peccant Clerici, qui in Habitu, et Tonsura non incedunt?

℟. Si sint in sacris constituti, vel si sint in minoribus, aut etiam simplices tonsurati; gaudent tamen Beneficio Ecclesiastico; generaliter loquendo peccant graviter: Tridentinum enim (loc. cit.) cum maxima energia improperat hunc neglectum; et *publice* deferentes vestes laicales arguit temeritatis, Religionisque contemptus, eosque maximis pœnis addicit. Ita communiter Sanchez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 6. n. 825. Vide etiam Ferrar. V. *Clericus* Art. 1. n. 55. etc.). Si autem Clerici in minoribus non sint Beneficiati, ad summum peccant leviter. (B. Ligor. sup.)

39. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. Quia variæ sunt causæ, quæ a gestatione habitus congruentis Clericos possunt excusare. 1.° si fiat, ut facilius inter Infideles Evangelium possit prædicari. 2.° si fiat ad vitandum periculum mortis, aliusve gravis damni. 3.° Si fiat ob magnam paupertatem; habitumque congruentem nequeat quis sibi comparare. 4.° Si fiat non in publico, sed in loco privato, ut domi, in horto etc. 5.° Si fiat causa itineris; dummodo habitus sit modestus, et decens. 6.° Si fiat ad breve tempus.

40. Q. Quid præterea est circa hoc notandum?

℟. Notandum, quod si quis habitum deserat, ut liberius per plateas deambulet; vel ut malum aliquod committat; vel ut larvatus tempore bacchanalium excurrat; etiamsi hoc fiat per tempus breve, non excusaretur a gravi. Vide B. Ligorio, et Ferraris (supra). Et nota pariter cum Croix (Lib. 4. n. 1372.) quod, si quis (secluso contemptu) per unum aut alterum mensem Clericam non deferat, posset excusari a mortali : quia Clericæ defectus tantam admirationem causare non solet. Sed proh dolor! Clericam, quæ spineam Christi Coronam repræsentat, tot Clericos pudet gestare.

41. Q. Quæ pœnæ inflictæ sunt contra Clericos in Habitu, et Tonsura non incedentes?

℟. Si Clerici sint Beneficiati, aut in sacris, has pœnas contra eos Tridentinum (ibid.) infligit. In primis, si postquam ab Episcopo etiam per edictum publicum moniti fuerint, congruentem habitum (supra num.° 34. etc.) non detulerint; per suspensionem ab Ordinibus, Beneficiis etc. eorumque proventibus sunt puniendi, et, si semel moniti, denuo in hoc deliquerint, possunt, et debent privari Officiis, Beneficiis etc. Imo ex Const.

Sixti V. *Cum sacrosanctam* 9. Jan. 1588. non solum possunt, et debent privari, sed privati ipso facto existunt; et eorum Beneficia etc. veluti vacantia possunt aliis conferri. Si autem Clerici in minoribus non sint Beneficiati, in Habitu et Tonsura non incedendo, ex eodem Tridentino (Sess. 23. Cap. 6. de Ref.) fori privilegio non gaudent.

Caput III.

De vitandis a Clericis.

42. Q. Quænam a Clericis sunt vitanda?

℟. Multa sunt, quæ licet in laicis permittantur, aut saltem tolerentur; aut non multum redarguantur; in Clericis tamen ob eminentem eorum gradum nec permittuntur, nec tolerantur, et nimis redarguuntur, imo prohibentur. Quæ autem illis vetantur, inter alia sunt negotiatio quæstuosa; quædam artes, et Officia; quædam Venationes et Ludi; quædam Conversationes, et Choreæ; et alia, de quibus in sequentibus Paragraphis agetur.

Paragraphus I.

De Negotiatione quæstuosa Clericis prohibita.

43. Q. Quænam est *Negotiatio quæstuosa*?

℟. Negotiatio quæstuosa, quæ Clericis vetatur, est ea, qua quis rem aliquam sibi comparat eo animo, ut integram, et non mutatam carius vendat, aut cum lucro permutet; ita ut lucrum sequatur ex sola rei translatione de persona in personam: sicut faciunt negotiatores jumentorum,

victualium, mercium, aliarumve rerum: ut earum venditione, et permutatione aliquid lucrentur. Hæc est negotiatio quæstuosa, quæ utpote periculis plena, et statui Clericali valde indecora Alexander III. *secundum instituta prædecessorum* suorum *sub interminatione anathematis Clericis, ac monachis prohibuit* (Cap. *Secundum* 6. *Ne Clerici* etc.); et hanc prohibitionem præter alios Pontifices confirmarunt, et innovarunt etiam Benedictus XIV. in Const. *Apostolicæ servitutis* 25. Febr. 1741., et Clemens XIII. in Const. *Cum primum* 17. Sept. 1759.

44. Q. Quare dixisti: *Eo animo, ut integram, et non mutatam carius vendat?*

℟. Quia, si quis rem emat, ex qua possit aliquid efformare; ex. gr. si quis telam, et colores emat, ut picturas faciat, et vendat; si lignum, et metalla comparet, ut Statuas, Cruces etc. efformet; hic non esset quæstuosus negotiator, sed exerceret artificium seu operam manualem; quæ, quando est honesta, et propriis manibus exercetur absque sui officii detrimento, et non causa lucri, et ditescendi, vel lautius vivendi, sed ad honestam sui, suorumque sustentationem; non solum est Clericis permissa ad imitationem tot Sanctorum, et ipsius S. Pauli (Actor. 20. 34.); sed ut multum utilis ad concupiscentiam frenandam, ad corporis macerationem, et ad otium vitandum potius laudatur; et in Concilio Carthaginensi IV. (ap. Bened. XIV. de Syn. Diœc. Lib. 10. Cap. 6. n. 2.) jubetur *Clericis victum, et vestitum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui detrimento parare*: præsertim, si artificium illud, et operam manualem exerceant etiam ad pauperes sublevandos.

45. Q. Quid prætcrea circa hæc est notandum?

℟. Quod non sit negotiatio quæstuosa, et proinde Clericis non sit interdictum colere sua prædia, eorumque fructus etiam minutim vendere; greges, et apes tenere, earumque fœtus, lanam, lac, ceram, et mel vendere; et sic de similibus. Item, si quod quis emit ad sui, familiæque sustentationem absque intentione revendendi; postea vel diminutione familiæ, vel aliis de causis superfluum, vel inutile, vel incommodum reddatur; poterit pretio currenti etsi cariori licite vendere: quia his in casibus deest, ut supponimus, animus distrahendi, et carius vendendi quod vilius fuit emptum: quæ intentio, ut inquit B. Ligorio (Lib. 3. n. 836.) requiritur, ut negotiatio sit Clericis interdicta. Et ob eamdem rationem non erit iis interdictum revendere carius agnos, triticum, et alia, quæ emerunt pro sustentando se, familia, communitate Ecclesiastica, cui præsunt, si postea pretium augeatur; ut vilius alia emant: quia hoc, ut advertit S. Thomas (2. 2. q. 77. a. 4.): non ad negationem pertinet, sed ad æconomiam, dummodo, quando emunt, non habeant intentionem ea revendendi, et lucrandi.

46. Q. Quid circa hanc materiam decrevit Sacra Congregatio Concilii?

℟. Multæ quæstiones apud Theologos illis temporibus agitabantur, quibus ad dictam S. C. delatis, eadem annis 1627. 1629. 1662. et 1687. (vide ap. Ferrar. V. *Clericus* Art. 3. a n. 17. ad 47.) hæc inter alia decrevit: 1.° licitum esse Clericis boves, et alia animalia pro necessario culturæ usu suorum prædiorum emere, eorumque fœtus vendere; illaque, dum sibi non inserviunt, aliis locare. 2.° eos, qui in propriis terris quer-

eus, et castaneas habent, posse emere sues, eosque alere, et vendere pro sua, et familiæ sustentatione. 3.° animalia, quæ in propriis prædiis sunt nata, vel habent ex successione, ex decimis (non autem ad hunc effectum empta) posse ea locare, concedere *a giovatico* pro certa tritici quantitate juxta usum proborum, et dare etiam in societatem.

47. Q. Quid aliud decrevit dicta Sacra Congregatio?

℟. Decrevit 4.° posse Clericos dare certum numerum ovium propriarum pro certa quantitate caseorum; et si oves fuerint emptæ, id fiat non ad lucrum, sed ad comparandum necessaria ad victum. 5.° posse Clericos, si vere pauperes sint, ad suam, familiæque sustentationem terras Ecclesiæ conducere; non autem bona laicorum, nisi ex mera, et præcisa necessitate. 6. posse Episcopum prohibere Clericis etiam tantum tonsuratis, ne exerceant mercaturam, neque suscipiant appaltus tabaci, salis, saponis, ceræ, macinatus etc. Caveant tamen Clerici, ne quod ab Ecclesia pro mera necessitate permittitur; id fiat ab eis animo ditescendi, et lucrandi.

48. Q. Quid notandum circa præfata Decreta?

℟. Notandum, quod tam in operibus manualibus, quas Clerici exercent; tam in cultura, et administratione propriorum bonorum; tam in comparatione, et distractione fructuum, et animalium præsertim in mercatibus, et nundinis, quas Clerici vix petere deberent; nil, quod sit sordidum; nil, quod avaritiam sapiat; nil, quod decorem dedeceat ecclesiasticum, appareat: ne, quod sapienter monet Clemens XIII. in citata (n. 43.) Constitutione *Cum primum*; ii, *qui*

filii lucis esse, *et apparere deberent*; *sæculi filios terrenæ aviditatis anxietate superare videantur*. Et, si quis Clericus ecclesiastici decoris, et gravitatis immemor, turpiter Episcopi judicio in iis se gerat; vult Pontifex ibi, ut Episcopus ejusmodi Clerici turpitudinem, et cupiditatem increpationibus, salutaribus pœnitentiis, ac demum pœnarum, ac censurarum gladio coerceat, ac puniat.

49. Q. Si Clericus sit pauper, potest ne negotiari?

℟. Quondam commune erat apud Doctores (vide B. Ligorio Lib. 3. n. 837.), pro necessaria sui, suorumve sustentatione posse. Sed Clemens XIII. (ibid.) præcepit, quod, etiamsi hujusmodi indigentiæ sint veræ; non possit Clericus negotiari absque dispensatione Sedis Apostolicæ, si Clericus sit intra Italiam; et, si sit extra Italiam, absque dispensatione saltem Ordinarii. Et insuper voluit, tales dispensationes non esse concedendas, nisi constet, prædictas indigentias nulla alia ratione levari posse; et cum pacto, ut in concedendis dictis dispensationibus, indicentur modi honestiores, quibus Clericus pauperibus consanguineis succurrere valeat, durante tantum eorum indigentia. Et super horum executione, et observantia, Ordinarii vigilantiam, et conscientiam vult Pontifex esse oneratam.

50. Q. Quid dicendum si Clerici negotientur per alium?

℟. Aliqui Doctores ap. B. Ligorio (ibid. n. 832.) opinabantur, posse Clericos dare laico pecuniam negotiandam, ut ipsi cum socio possent inde lucrum referre. Sed cum vetitum sit Clericis *causa lucri negotiari*; cumque juxta regu-

lam 72. Juris *quod quis facit per alium, perinde est*, ac *si faciat per seipsum*; id vetuit Benedictus XIV. in citata Constitutione *Apostolicæ* (n. 43.); et hujusmodi Clericos alieno nomine negotiantes perinde ac per seipsos negotia exercerent, considerat. Solum permittit, quod, si alicui Clerico jure hæreditario, vel alio titulo negotium obvenerit; obtenta prius facultate a S. Congregatione Concilii, et extra Italiam ab Ordinario; possit per breve tempus, nisi statim negotium illud valeat dimittere, per alium exercere. Et, si tempore in concessione elapso, statim non dimittat, aut si per seipsum exerceat; vult, dictum Clericum subjacere pœnis in Clericos negotiatores inflictis.

51. Q. In quam culpam, et pœnam incurrunt Clerici quæstuosam negotiationem exercentes?

℟. Si Clerici sint in sacris, aut, etiamsi sint in minoribus, sunt beneficiati (ut cum Communi sentit Lugo cum aliis quos citat, et sequitur B. Ligorio ib. n. 831.); generaliter loquendo peccant graviter, cum negotiatio severe, et sub interminatione anathematis (n. 43.) Clericis prohibeatur; et præter Excommunicationem ferendæ sententiæ possunt suspendi (Cap. *Sed nec procurationes* 4. Ne Clerici etc.); et possunt etiam degradari, ut legitur in C. *Clericus* 4. dist. 91.; et insuper ex Const. Pii IV. *Decens esse* 5. Nov. 1560. incurrunt in pœnam spolii. Dixi: *generaliter loquendo*: quia cum Canones loquantur de Clericis negotiationem exercentibus; non videtur negotiationem exercere, nec graviter peccare, nec in pœnas incurrere Clericus, qui, ut advertit Lugo cum aliis, quos citat ibid. et sequitur ipse Beatus, bis, ter in materia non gravi nego-

tiaretur; ex. gr. si libros, cruces, Coronas etc. emeret, ut occulte carius venderet.

Nota.

Quod in hoc Paragrapho dictum est de Clericis, comprehendit etiam Monachos, seu Religiosos, etiamsi non sint Clerici.

Paragraphus II.

De Officiis, et Artibus, quæ Clericis prohibentur.

52. Q. Quæ Officia sunt Clericis vetita?

℟. Multa sunt Officia, quæ Clericis interdicuntur. 1.° interdicitur eis, si sint Beneficiati, vel in sacris constituti, agere Officium Advocati in Foro sæculari; dummodo non agatur de causa propria, vel Ecclesiæ suæ, vel personarum miserabilium, quæ proprias causas administrare non possunt (Cap. *Clerici* 1. de Postulando); vel, si necessitas immineat, pro personis conjunctis; ut legitur Cap. *Cum Sacerdotis* 3. Tit. eod. Vide etiam infra n. 250. Secundo interdicitur inservire personis laicis, præsertim mulieribus, utpote sacro ministerio, et characteri indecorum (Innocentius XII. in Encycl. ad Episc. 16. Mar. 1697.).

53. Q. Quid aliud Clericis interdicitur?

℟. 3.° Interdicitur eis sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ (Cap. *Sacerdotibus* 2. et Cap. *Sed nec* 4. Ne Clerici etc.) exercere officium ministri, et procuratoris personarum laicarum etiam principum, propriam operam, et industriam ca-

rum obsequiis, et servitiis forsan vilibus addicendo; et quod pejus est, sua sacra ministeria negligendo. Hoc exercitium prohibet etiam Clemes XIII. (in cit. Const. n. 43.), et inculcat Episcopis, ne patiantur, Clericos quietos in suo dedecore insordescere; et eos ad propria munera revocent. Notat autem B. Ligorio (Lib. 3. n. 838. in fine), se non audere damnare de mortali Clericum, qui ob tale exercitium sua ministeria non negligit: præsertim, si id faceret non avaritiæ causa, sed ad decentius statum suum, et familiæ conservandum.

54. Q. Quænam alia Officia Clericis vetantur?

℟. 4.° Vetatur Clericis exercere judicium sanguinis, ita ut non possint nec proferre, nec dictare sententiam sanguinis, nec ullo modo in his causis se immiscere. Hinc Clerici, et Prælati Ecclesiastici jurisdictionem temporalem habentes, per Judicem laicum generaliter deputatum debent hæc judicia exercere (Cap. *Episcopus* 3. et Cap. *Clericus* 5. Ne Clerici etc.). 5.° vetatur Clericis in sacris exercere Officium Tabellionis, seu notarii (ex Cap. *sicut te* ibid.). Possunt tamen, ubi est consuetudo, hoc Officium exercere, præsertim in Curiis Ecclesiasticis; et illi Notarii, qui dicuntur *Apostolici*.

55. Q. Sunt ne alia Officia Clericis interdicta?

℟. 6.° Interdicitur eis in scholis pubblicis Juri Civili, et medicinæ studere, non autem in scholis privatis, et domi, ut tenet communior Doctorum; teste Fagnano (in Cap. *Super specula* n. 8. et 30.), præsertim, si Juri civili vacent pro pleniori intelligentia Juris Canonici, et Theologiæ. 7.° interdicitur Clericis in sacris exercitium medicinæ, et Chirurgiæ (Cap. *Sententiam* 9.

eod. Tit.) extra casum necessitatis, in defectu alius Medici, et Chirurgi, ex motivo charitatis; dummodo non faciant incisionem, vel adustionem. Imo ex medicorum penuria indulgetur a S. Congregatione Concilii, et etiam in Secretaria Brevium Clericis exercere medicinam.

56. Q. Est ne aliud circa hoc addendum?

℟. Maxime. 8.° Clerici absque dispensatione Sedis Apostolicæ non possuut esse tutores testamentarii, et dativi (S. Congr. Episc. 24. Jun. 1619.); dummodo pupilli non sint pauperes, orphani, viduæ, qui alium tutorem habere non possint: quia tunc dispensare posset Episcopus (Cap. *Licet* 1. et Cap. *Defensionis* 2. Dist. 87.). Dixi: *testamentarii; et dativi*; quia Clerici, si velint, possunt esse tutores legitimi consanguineorum usque ad quartum gradum cum licentia Episcopi. De dictis in hoc Paragrapho, vide alios textus apud Ferraris (V. *Clericus* Art. 3. a n. 59. ad 89.).

57. Q. Sunt ne alia officia Clericis vetita?

℟. Sunt illa officia, et artes, quæ inducunt Irregularitatem; aut illas exercentes ab ordinatione removentur; ut sunt histriones, mimi, comædi, aleatores pubblici, aurigæ, gladiatores, cursores, citharædi, lyristæ, saltatores, caupones, macellarii, satellites, cloacas emundantes, pelles expurgantes; ut habetur in Clement. 1. de vita, et honestate Clericorum: ubi Glossa omnes has artes enumerat, ut habetur ap. Ferraris (V. *Irregularitas* Art. 1. n. 12. versic. *Octava*.

Paragraphus III.

De Venationibus, et Ludis Clericis interdictis.

58. Q. Quænam *Venationes* Clericis interdicuntur?

℟. Etiamsi Canon 15. Concilii Lateranensis IV. *Venerationem, et aucupationem universis Clericis* indistincte *interdicat*, sicut et in Cap. *Episcopum* 1. de Clerico venat.; nihilominus, cum Concilium Tridentinum (Sess. 24. Cap. 12. de Ref.) loquendo de Clericis dicat: *Ab illicitis venationibus, et aucupiis abstineant*; Glossa in hoc Caput cum multis Doctoribus apud Benedictum XIV. (de Syn. Diœc. Lib. XI. Cap. 10. n. 8.), et B. Ligorio (Lib. 3. n. 606.) duo venationum genera distinguunt: *clamorosam, et quietam. Clamorosa, seu tumultuosa* est illa, quæ fit cum magno armorum, canum, accipitrum, venatorum apparatu, et tumultu; ut apri, cervi, et majores feræ capiantur. Et hanc illicitam dicunt. *Quieta* autem est illa, quæ fit solis laqueis, et retibus, aut etiam armis, sed paucis cum canibus ad occidendum lepores, aves, vulpes, aliasve feras minores, sine ullo strepitu; et hanc licitam dicunt.

59. Q. Quomodo peccant Clerici venatores?

℟. Si *Venatio* sit *clamorosa*, per se peccant graviter; quia in ea gravis adest deordinatio, et in cit. Cap. *Episcopum* est interdicta sub pœna Suspensionis, licet ferendæ sententiæ. Sed cum hæc censura in eum Clericum infligatur, qui *in hac voluptate sæpius detentus fuerit*; inferunt Doctores ap. B. Ligorio (ibid.), quod si talis *Ve-*

natio sit rara, absque scandalo, et absque detrimento propriæ obligationis; hujusmodi Clericus non sit facile damnandus de mortali. Imo, si sit rara, moderata, facta causa necessitatis, exercitii; dicunt, omni culpa vacare. Si autem *Venatio* sit *quieta*, facta recreationis, necessitatis, exercitii causa, non erit peccaminosa; dummodo in Diœcesi non sit vetita; nec Clericus propriis desit obligationibus.

60. Q. Quid dicendum de *Ludis*?

℟. Jam dictum est supra (Lib. 2. n. 758. 759. 760. et 761.), *Ludos* fortuitos, qui a casu pendent, ut sunt ludi *taxillorum*, *bassetta*, *faraone*, *zecchinetto*, *primera*, et similes, vetitos esse, et non solum Ecclesiasticis, sed etiam laicis, et non solum jure Canonico, sed etiam jure Civili; et ibi dicta recolantur. Quoad autem *Ludos industriosos*, et *mixtos*, quisque de Clero servet statuta Diœcesis, in qua versatur. Et, si recreationis causa, ob animi solamen aliquando ludat; ludat in modica quantitate; ludat per modicum tempus; ludat cum aliis Clericis, vel probis laicis; et meminerit servare conditiones, quas ibidem (n. 762. 763. 764. et 765.) diximus esse necessarias, ut Ludus sit licitus.

Paragraphus. IV.

De Conversationibus Clericis interdictis.

61. Quænam *Conversationes* sunt Clericis interdictæ?

℟. *Prima tentamenta Clericorum*, inquit S. Hieronymus (Epist. ad Ocean. (*sunt fœminarum frequens accessus. Iste sexus reprehensibiles*

exhibet Clericos. S. Isidorus Pelusiota (Lib. 2. Epist. 284.n. 1.) scribens ad Palladium Episcopum inquit: *Mulierum congressus*, *vir optime* (*nota vir optime*), *quantum fieri potest*, *fuge*. Et idipsum monent tot alii Sancti viri. Ergo juxta eos mulierum maxime *Conversatio* Clericis interdicitur. Et, si aliquando non ob confabulandum, non ad jocandum, non ad ridendum; sed vel ex necessitate, vel ex urbanitate, et convenientia sint illæ invisendæ; *non solus cum sola*, ut monet idem S. Heronymus (Epist. ad Nepot.) hoc accidat; et *sermo sit brevis*, *et rigidus*, ut ajebat S. Augustinus relatus a S. Thoma (Opusc. de modo confit.).

62. Q. Quid dicendum, si mulieres sint bonæ famæ?

℟. Etiamsi forent sanctæ, earum *Conversatio*, præsertim si sit frequens, est fugienda. Imo, ut notat idem S. Augustinus (ibid.) *quo sanctiores fuerint*, *eo magis alliciunt*; *et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis*. Et refert luctuosa exempla Sacerdotum eminentium, qui in hujusmodi occasione proruerunt. Nec *in præterita castitate* juxta monitum præfati S. Hieronymi (ibid.) Clerici *confidant*: in puncto enim accidit quod non accidit in anno. Et idcirco sacri Canones (Cap. *Clericus* 20. Dist. 81.) mulierum *Conversationem* frequentare etiam sub pœna Depositionis Clericis interdicit.

63. Q. Quid dicendum de Clericis cohabitantibus cum fœminis?

℟. Si simplex *Conversatio* est tam periculosa; quo periculosior cum ipsis cohabitatio? *Cum fœmina semper esse*, clamabat S. Bernardus (Serm. 65. in Cantic.), *et fœminam non cognoscere*,

nonne plus est, *quam mortuum suscitare?* Si ergo, o Clerice, nullum mortuum suscitasti, nec suscitaturum confidis (quod est minus); sperabis in tam periculosa occasione non casurum, præsertim si vivas habeas passiones, bene nutritus sis, et otiosus? *Quod minus est*, *non potes*; *et quod majus est*, *vis*, *ut credam tibi?* Et ob tam grave periculum in Cap. *A nobis* 9. de Cohabit., et alibi vetatur Clericis cohabitatio cum mulieribus, nisi forte de illis sint, *in quibus* naturale fœdus nil mali permittet suspicari.

64. Q. Quænam sunt mulieres, in quibus nil mali suspicari permittitur?

℟. Sunt matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, nepotes, aliæve strictæ consanguineæ (Cap. *Cum omnibus* 27. dist. 81.), si sint bonæ famæ. Nam si forent aliquo modo suspectæ; etiam istæ a Clericorum domibus essent arcendæ. Vide Ferraris V. *Clericus* Art. 4. n. 3. Notent autem Clerici, quod S. Augustinus nec cum propria sorore voluit cohabitare, dicens (Cap. *Legitur* 25. dist. 81.): *Quæ cum sorore mea sunt*, *sorores meæ non sunt*. Et idcirco si in domibus parentum, fratrum etc. Clerici habitent, cauti sint cum ancillis domesticis, et cum illis, quæ domum adventant; tum ut periculum et proprium, et illarum evitent; tum ut propriæ famæ consulant.

65. Q. Quid dicendum de mulieribus non consanguineis?

℟. Si a Clericis debitæ adhibeantur conditiones, et mulieres sint bonæ famæ, et ætatis provectæ, idest quinquaginta annorum, ut explicat Monacelli (Tom. I. Tit. 6. form. 2. n. 1.); harum famulatus, et cohabitatio Clericis permittitur (in Cap. *Cum in juventute* 15. de Præsumpt.). Sed

quia sæpe evenit, ut mulieres minoris ætatis tantæ sint virtutis, et bonæ famæ, ut nullum dent male suspicandi locum; et contra aliæ in majori ætate constitutæ, hunc suspicionis locum adhuc præbeant; hinc, ut monet Ferraris (loc. cit. n. 9.), conscientiæ, et prudentiæ Episcoporum remittitur, ut, attenta ætate, qualitate, et morum honestate tam Clericorum, quam mulierum, eis concedant, vel interdicant. Sed quoad fieri potest, ab hujusmodi famulatu abstineant Clerici, in quo ob pugnam, quæ intercedit inter spiritum, et carnem aut vincendum, aut pereundum est.

66. Q. Sunt ne aliæ *Conversationes* a Clericis vitandæ?

℟. Fugiant etiam consortium virorum dissolutorum, ebriosorum, incredulorum, aut ad alia vitia deditorum; præter enim scandalum, quod populis præberent; eorum vitia facile imitabuntur. Ut enim dicit Psalmista; *Cum perverso perverteris*. Imo, si aliquis Clericus sit indisciplinatus, et ab ecclesiastico spiritu alienus; ob easdem rationes etiam ipsum evitent; nisi spiritu charitatis moti, talium Clericorum aut laicorum conversationem ad instar Redemptoris quæritent; ut Dei auxilio a vitiis illos retrahant, et ad meliorem frugem adducant. Et meminerint etiam Clerici, juxta S. Hieronymum (ibid.) *facile contemni Clericum, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat.*

PARAGRAPHUS V.

De Tabernis, Crapulis, Choreis etc. vitandis a Clericis.

67. Q. Quid dicendum de *Tabernis*, et *Crapulis?*

℟. In Cap. *Clerici* 4. dist. 44. sic statuitur: *Clerici edendi, et bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.* Idipsum præscribit Canon 13. Apostol. *Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehensus fuerit, a communione excludatur, excepto tamen necessario in itinere.* Et, si a communione potest excludi, idest excommunicari; transgressio censenda est gravis. Quoad crapulam vero Innocentius III. sic decernit (Cap. *A Crapula* 14. de Vit. et honest. Cleric.): *A crapula*, idest a superfluitate ciborum, ut explicat Glossa, *et ebrietate*, idest a superfluitate potus, *omnes Clerici diligenter abstineant*; et transgressores suspendi mandat. Et Apostolus (1. Cor. 6. 10.) excludit ebriosos etiam laicos a regno Cœlorum.

68. Q. Quid censendum de *Choreis*?

℟. Cum *Choreæ* modo, quo communiter exercentur inter mulieres et viros, sint juxta Bellarminum (Conc. 4. Quadrag.) Segneri etc. plenæ periculis, et valde provocantes ad libidinem; quia ibi liberæ manus, liberi oculi, liberi pedes, objectum delectabile proximum, et vividum: imo, cum, ut notat S. Basilius (Serm. 8. de Temp.), si non omnes mulieres hisce occasionibus *peccatum corpore effugerunt, omnes tamen animo depravatæ, et inquinatæ sunt*; cumque, ut plorat S. Ephrem (de Ludis fug.), *ubi ci-*

tharæ et choreæ, ibi virorum tenebræ mulierum perditio, Angelorum tristitia, diaboli festum; nemo non videt, in quanto horrore sint hæ habendæ a Clericis, qui officio sui ministerii contra hæc tripudia declamare debent. Et S. Antoninus (Par. 2. Tit. 6. c. 9.) tunc excusat a peccato gravi Clericos, quando *inter se, et non in præsentia laicorum* hujusmodi levitatibus se darent.

69. Q. Sunt ne Canones hujusmodi spectacula Clericis vetantes?

℟. Sunt maxime. Referam aliquos. In C. *His igitur* dist. 23. legitur: *A mundi voluptatibus* (Clerici) *sese abstineant; non spectaculis, non pompis intersint.* Choreas prohibet C. *Non oportet* dist. 5. de Consecr. Choreas prohibet Tridentinum (Sess. 25. Cap. 12. de Refor.). Choreas ducere, et spectare prohibet S. Carolus (Conc. Prov. 1. p. 2.). Idipsum Patres Concilii Burdigalensis, et alia. S. Franciscus Salesius in quibusdam occasionibus choreas permittit personis laicis, sed cum conditionibus tam difficilibus, ut sint quasi impossibiles observatu. Quoad Clericos tamen, in suis Constitutionibus Synodalibus (Part. 3. Tit. 4.) Suspensionem ipso facto incurrendam in illos Sacerdotes imposuit, qui *eo sceleris devenerint, ut choreas nedum spectare, sed et ducere auderent.* Vide Bened. XIV. de Syn. Diœc. Lib. XI. Cap. 10. n. 11. et Instit. 76. a n. 6. ad 9.

70. Q. Quid notandum circa *Comœdias*, aliaque Spectacula?

℟. Cum in *Comœdiis* repræsententur ut plurimum res turpes, aut saltem amatoriæ; in eisque toties addiscatur modus decipiendi, et alia mala:

idcirco Sacri Canones (ap. Ferrar. V. *Clericus* Art. 4. n. 14. etc.) eas Clericis interdicunt ; et S. C. Concilii nomine Clementis XI. die 31. Octob. 1706. mandavit Vicario Capitulari Aquilano, ut sub gravibus pœnis Sacerdotibus, aliisque Clericis vetaret, ne illis, quæ publice faciendæ erant, comœdiis, intervenirent; etiamsi res sacras, et spirituales illæ repræsentarent. Illis pariter interdicitur *mimis*, *jaculatoribus*, *et histrionibus intendere*. Sicut et vetatur illis personatos, vulgo *mascheratos* incedere. Et S. C. Concilii 10. Apr. 1645. declaravit, posse Episcopum etiam Excommunicationis pœna Clericos personatos incedentes punire, ac coercere.

Caput IV.

De Privilegiis Clericorum.

71. Q. Quænam sunt Clericorum Privilegia?

℟. Volens Ecclesia singularibus favoribus eos prosequi, qui divino servitio sunt mancipati, duobus privilegiis eos donavit: Privilegio *Fori* et Prigilegio *Canonis*. Privilegium *Fori* in hoc consistit, quod statim ac est quis insignitus clericali Tonsura, de jure communi tam in causis civilibus, quam in criminalibus eximitur a potestate Judicis laici, et subjicitur Judici et Foro Ecclesiastico. Vide Canones ap. Ferraris V. *Clericus* Art. 2. sed, si quis sit tantum Tonsuratus, aut Minorista, ad hoc ut gaudeat hoc Privilegio unam ex tribus conditionibus, quas Tridentinum (Sess. 23. Cap. 6. de Ref.) requirit, debet habere; idest, vel habeat Beneficium Ecclesiasticum; vel clericalem habitum, et tonsuram defe-

rens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola de licentia Episcopi versetur.

72. Q. Quare dixisti: *de jure communi?*

℟. Quia, si in aliquibus Regnis, aut Nationibus particularia sint Concordata, hæc serventur: ut evenit in hoc regno Neapolitano, ubi vigore ultimi Concordati facti cum S. Sede anno 1818. (Art. 20.) quoad causas civiles, ut in contractibus, hæreditatibus, debitis etc. Clerici, etiamsi sint Sacerdotes, hoc privilegio non gaudent; sed ad instar laicorum Judici laico subjiciuntur. Quando autem Clerici hoc Privilegio priventur; quando iterum acquirere possint; quando gaudeant; si Clerici sint conjugati, vide apud Auctores, et præsertim Ferraris loco citato.

73. Q. Est ne aliquid notandum circa hoc Privilegium?

℟. Notandum, quod Clerici absque Episcopi licentia nec testimonium judiciale in Foro sæculari apud Judicem laicum ferre possunt (Cap. *Testimonium* 11. Quæst. I. et alibi). Et si absque hac licentia Clericus deponat; etiamsi ejus depositio foret valida; posset tamen ab Episcopo pœna arbitraria puniri (Bellet. disquisit. Cleric. par. 1. tit. de *Cler. teste* §. 2. n. 6. et de pœn. Cleric. §. 51. n. 14.). Et præterea notandum, quod, si Episcopus permittat Presbytero pro causa civili in Foro laicali deponere, cum hisce conditionibus permittere debet; 1. dummodo ex ejus depositione aliquo modo criminalitas oriri non possit. 2.° ut juramentum veritatis dicendæ præstetur in tribunali Episcopi (S. C. Episc. 14. Apr. 1616. et 19. Jul. 1619.)

74. Q. In quo consistit Privilegium *Canonis?*

℟. In hoc consistit, quod Ecclesia volens, ut suis ministris, quos Apostolus (Ephes. 2. 19.) *Dei domesticos* appellat, omnis reverentia exhibeatur; statuit (Can. 15. Conc. Later. II. sub Innoc. II.) quod, *si quis suadente diabolo, in Clericum, vel Monachum* auderet *manus violentas injicere*; idest actione externa graviter injuriosa, et peccaminosa ipsum, vel res ei adhærentes attingere; foret juxta Communem ipso facto excommunicatus; etiamsì læsio esset levis, et tactus physicus levissimus. Ut qui Clericum feriret, percuteret, carceraret, aqua, pulvere, vel luto fœdaret, venenum illi præberet, in illum conspueret; ejus vestes laceraret; pileum pal ium etc. per vim ei eriperet; qui equum, in quo considet, vulneraret; per frænum sisteret, et similia. Vide B. Ligorio Lib. 7. num. 272. 273. 274. Et quod dicitur de Monachis, intelligitur etiam de Monialibus, eorumque Conversis, et Novitiis.

75. Q. Quid important verba illa: *Suadente diabolo?*

℟. Important, quod actiones illæ graviter injuriosæ fiant ex animo pravo, ex malitia, ex odio, ex ira, advertenter; ita ut peccatum sit mortale. Et hoc verificatur etiam, si taliter quis percuteret seipsum, aut ab alio percuti sineret, ob injuriam, quam suo statui Clericali irrogat. Hinc qui joco percutit, vel jocose se invicem percutiunt etiam cum aliqua ira, quæ ad peccatum mortale non pertingat: qui ex ira subitanea non plene advertens percutiat: genitores, magistri, superiores, qui ob correctionem, licet aliqua ira accensi, filios, discipulos, subditos moderate percutiunt, et pro modo culpæ verberant; non incurrunt in hanc Excommunicationem. Dicitur *moderate*: nam

S. C. Concilii, ut refert Zacharia apud Croix (Lib. 7. n. 318.) declaravit excommunicatum quemdam Sacerdotem, qui correctionis causa suum discipulum, qui erat Clericus, in capite pluries percussit, et deinde pugnis, et etiam baculo verberavit. B. Ligorio ibid. n. 275.

76. Q. Omnes ne Clerici gaudent hoc Privilegio *Canonis?*

℟. Varii sunt qui non gaudent 1.° Clerici, qui dimisso habitu, et tonsura Ecclesiastica, negotiis sæcularibus se immiscent, si ter admoniti ab Episcopo non se emendent (Cap. *In audientia* 15. de Sent. excom. et alibi). 2.° Clerici degradati, et solemniter depositi (ex Cap. *Degradatio* 2. de Pœnis in 6.° et alibi) 3.° Clerici latrocinia, grassationes, aliave delicta enormia perpatrantes; vel bella, et seditiones in populo commoventes (Cap. *Cum non ab homine* 14. de Sent. excom. et alibi). 4.° Clerici bigami, idest, qui duas uxores habuerunt, aut unam, quæ fuerat vidua, aut alias corrupta (Cap. unico de Bigamis). Quando autem percussores Clericorum sint vitandi; quando percussores excusentur ab incurrenda Excommunicatione; quis ab ea absolvere possit, et alia ad rem; videbimus Lib. V. dum agetur de Censuris.

ARTICULUS II.

De Clericis in specie.

77. Egimus in Articulo præcedenti de Clericis in genere. Agamus nunc de Clericis in specie, consideratis nempe ut Beneficiatis, Pensionariis, Præstimoniariis, Canonicis, Parochis, Confessariis; et videamus qualitates, et dotes, quibus

prædīti esse debent; quæ sint eorum officia, et obligationes; quid possint; quid non possint: ut unusquisque quæ sui sunt muneris probe calleat; et pro sua, Propulique salute solerter exequi studeat.

Caput I.

De Beneficiatis in genere.

78. Q. Quid intelligitur sub nomine *Beneficiati?*

℟. Intelligitur ille Clericus, cui collatum est Beneficium Ecclesiasticum, seu jus perpetuum percipiendi fructus, seu reditus ex bonis Ecclesiasticis, Ecclesiastica auctoritate constitutum propter aliquod munus pariter Ecclesiasticum. In sequentibus Paragraphis videbimus, quæ sint eorum qualitates, et dotes, et alia, de quibus supra.

Paragraphus I.

De Dotibus, et Qualitatibus Beneficiatorum.

79. Q. Quas qualitates, et dotes habere debet Beneficiatus?

℟. Multæ sunt; sed referam tantum præcipuas. Requiritur 1.° ut is, cui confertur hujusmodi Beneficium, sit ex legitimo matrimonio natus (Cap. *Cum in cunctis* de elect.); non sit simoniacus (Cap. *Si alicujus* 59. de elect.); non sit infamis, aut alio modo irregularis (Cap. *Henricus* 2. de Cleric. pugn.); et non sit aliqua censura innodatus (Cap. *Cum dilectus* 8. de consuet., et alibi): dummodo legitimam dispensationem non obtinuerit. 2.° requiritur, ut is sit Clericus sal-

tem primæ Tonsuræ, (Cap. *Ex litteris* 6. de Transact.). Si autem illud Beneficium in limine fundationis requirat aliquem ordinem, aut gradum, ut nempe Clericus sit *Doctoratus*, *licentiatus* etc.; qui eo ordine, aut gradu caret, ineptus est ad illud Beneficium; dummodo infra annum illum Ordinem, aut gradum non obtineat (ex S. C. Conc. 4. Aug. 1654.).

80. Q. Quænam sunt aliæ qualitates?

℟. Requiritur 3.° ut Clericus iste sit cælebs, idest non ligatus matrimonio. Hinc non solum invalida est collatio Beneficii facta Clerico conjugato (Cap. *Sane* 2. de Cleric. conjug.); sed insuper si Beneficiatus matrimonium contraheret, statim, et ipso jure privatus est Beneficio (Cap. *Si qui Clericorum* 1. de Cleric. conjug. et alibi). 4.° requiritur ætas a jure præscripta, quæ juxta Tridentinum (Sess. 23. Cap. 6. de Ref.) pro Beneficiis simplicibus, et pro Canonicatibus Collegiatæ est *quatuordecim annorum* saltem inceptorum, ut declaravit S. C. Concilii (ap. Ferrar. V. *Ætas* n. 10.) nisi aliter Beneficii fundator disposuerit, aut Beneficium illud requirat aliquem sacrum Ordinem cum majori ætate: quia tunc aut illum Ordinem debet habere, aut in ea ætate debet esse constitutus, ut infra annum, ut diximus, possit promoveri.

81. Q. Quæ ætas requiritur pro Parochis, et Canonicis Cathedralis?

℟. Pro Parochis præscribit Tridentinum (Sess. 24. Cap. 12. de Ref.), ut *saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum* (ipsi) *attigerint*. Et hæc eadem ætas requiritur etiam pro illis Canonicis Cathedralis, qui per turnum debent canere Missam pro Benefactoribus; cum hoc onus per seipsos de-

beant adimplere; ut declaravit S. C. Conc. 4. Dec. 1627. In illis autem Cathedralibus, in quibus adest distributio Sacrorum Ordinum, idest, ut alii sint Subdiaconi, alii Diaconi, alii Presbyteri; saltem debent esse in ea ætate, ut infra annum ad respectivum Ordinem, possint promoveri (Trident. Sess. 24. Cap. 14. de Ref.). Extra vero casus prædictos sufficit ætas annorum viginti duorum, ut idem Trid. ibid. Cap. 12. Qui anni juxta declarationem S. C. Conc. 20. Sept. 1631. debent esse completi.

82. Q. Sunt ne aliæ qualitates, et dotes?

℟. Requiritur 5.° ut Beneficiatus præditus sit probitate morum, et tantam scientiam habeat, quanta saltem necessaria, et sufficiens est ad rite exequendum suum officium. Sic colligitur ex Cap. *Cum in cunctis* 1. de Elect. Et in Cap. *Grave nimis* 29. de Præb. notatur, electionem eorum, *quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia* suffragatur in grave damnum Ecclesiæ redundare. Et insuper in eodem Capite præcipit Innocentius III. Ecclesiæ Prælatis sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ, ut dignis conferant Beneficia, exclusis indignis. Hinc inferunt Doctores, tam Prælatos promoventes scienter indignum, quam indignum ipsum scienter promotum peccare graviter (Ferrar. supra n. 14.).

83. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Requiritur 6.° intentio perseverandi in statu clericali, et suscipiendi saltem infra annum Ordines a suo Beneficio requisitos. Et licet multi Doctores excusent a peccato mortali eum, qui Beneficium simplex recepit cum animo ducendi postea uxorem; si autem tale Beneficium requirat Ordinem sacrum; et multo magis, si Beneficium sit Paro-

chiale; communiter sentiunt, peccare mortaliter: imo si Beneficium esset Parochiale, teneretur etiam ad restitutionem fructuum (Cap. *Commissa* de Elect. in 6.). Vide B. Ligorio Lib. 4. n. 113. et 114. Si autem cum intentione perseverandi Beneficium recepit; et postea mutata voluntate, ob justum finem illud renuntiat, non peccat.

PARAGRAPHUS II.

De obligationibus Beneficiatorum.

84. Q. Ad quid tenentur Beneficiati?

℟. Multæ sunt eorum obligationes. 1.° tenentur et sub gravi, etiamsi Beneficium sit tenue, ad quotidianam recitationem Horarum Canonicarum. Sed de hac obligatione locuti sumus supra Libro II. loquendo de Horis Canonicis a num. 217. ad 276. et ibi vidimus, quomodo sint recitandæ tam in Choro, quam privatim; qui ab his recitandis excusetur; quæ sint pœnæ contra non recitantes; et alia necessaria. 2.° tenentur juxta Constit. Pii IV. *Injunctum* 13. Nov. 1564. ad emittendam professionem Fidei infra duos menses post adeptam possessionem in manu Episcopi, vel Vicarii Generalis sub pœna amissionis fructuum post elapsos duos menses. Et, etiamsi vigore Tridentini (Sess. 24. Cap. 12. de Ref.) teneantur soli Parochi, et Canonici Cathedralis: attamen fere in omnibus Diœcesibus hæc Fidei professio præscribitur pro omnibus Beneficiatis, ut statuitur etiam in nostra Synodo Diœcesana an. 1815. n. 8.

85. Q. Quænam sunt aliæ obligationes Beneficiatorum?

℟. Si Beneficiatus habeat curam animarum, vel

Chori servitio sit addictus, tenetur 3.° ad residentiam, ut dictum est supra (Lib. II. n. 351.), et dicetur infra, cum agetur de Parochis, et Canonicis (n. 131. et a n. 140. ad 144.). Quoad vero habentes Beneficium simplex, licet spectato jure communi, adhuc ad residentiam teneantur sub pœna privationis Beneficii (Cap. *Conquerente* 6. de Cleric. non resid.); ex generali autem Ecclesiæ consuetudine a residentia excusantur: dummodo vel ex fundatione, vel ex statuto, vel consuetudine in loco Beneficij injunctum Ecclesiæ servitium per seipsum præstare non debeant, prout refert Parcias (ap. Ferrar. V. *Beneficiatus* Art. I. n. 25.), resolutum esse a sacra Rota 10. Jun. 1588.

86. Q. Ad quid aliud obligatur Beneficiatus?

℟. Si Beneficio adnexum sit onus celebrandi Missas, aliasve preces, tunc Beneficiatus (idem dic de Cappellano) tenetur 4.° illas sub gravi celebrare in illa Ecclesia, Altari, die, et hora a fundatore designatis; ita ut, si absque justa causa aliter faceret; peccaret graviter. Ita communiter Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio Lib. 6. n. 329. Et eo magis erit Beneficiatus ad hoc adstrictus, si fundator illam Ecclesiam, Altare, diem, et horam designarit, vel ob specialem sui devotionem erga illum Sanctum, vel ob commoditatem familiæ, populi etc.

87. Q. Quare dixisti: *absque justa causa*?

℟. Quia, si ex. gr. vel ob aeris intemperiem sine magna difficultate ad illam Ecclesiam non possit Beneficiatus aliquoties accedere, ut evenire potest in Ecclesiis ruralibus; aut si aliquid ad Missam necessarium desit, quod diu foret expectandum; aut si e Sacristia egressus, videat illud Al-

tare ab alio Sacerdote occupatum ; aut illa Ecclesia , vel altare sint execrata ; vel alia rationabilis intervenerit causa ; tunc Beneficiatus poterit , imo debebit alibi celebrare juxta mentem fundatoris. Imo, si raro , puta , si de triginta Missis unam , aut alteram alibi celebret etiam absque causa , idem Beatus (ibid.) sentit , peccare tantum venialiter , præsertim , si mutatio esset solius Altaris , et non Ecclesiæ.

88. Q. Hujusmodi Missæ possunt ne per alium Sacerdotem celebrari ?

℟. Si in fundatione cautum sit, ut a solo Cappellano , vel Beneficiato celebrentur ; ipse et non alius debet celebrare ; dummodo hujusmodi Missæ non sint quotidianæ : quia tunc ob quamdam æquitatem , ut scilicet possit aliquando Beneficiatus pro conjunctis , amicis etc. applicare ; vel ob reverentiam a celebratione abstinere ; ex decreto S. C. Concilii 10. Martii 1623. posset per alium celebrare. Si autem hæc restrictio a fundatore non sit expressa , tunc etiam per alium potest ; imo , si aliquando foret ipse impeditus , tenetur per alium celebrare. Sed hoc casu ex alio decreto ejusdem S. Congregationis (ap. Ferrar. V. *Capellanus* n. 10.) sufficit , ut Sacerdoti Celebranti tribuat eleemosynam manualem juxta taxam Diœcesanam ; nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

89. Q. Est ne aliud præterea notandum ?

℟. Notandum , quod qui habet onus Missæ quotidianæ per seipsum celebrandæ , ex decreto S. C. Concilii 18. Sept. 1683. concurrente aliqua rationabili causa præsertim infirmitatis, potest a celebratione abstinere , quin suppleat per alium. At hisce occasionibus non posset nec pro seipso ,

nec pro aliis celebrare; nisi suo oneri velit per alium supplere, ut dictum est numero præcedenti. Si autem suo oneri per alium possit supplere, si aliquoties velit a celebratione vacare; debet supplere per alium, excepto tempore infirmitatis quindecim dies non excedentis; quibus diebus ex alio decreto ejusdem S. C. 17. Nov. 1695. non teneretur per alium celebrare. Et hisce casibus hanc supponi debet esse mentem fundatoris. Et si debitas Missas non celebraverit, pro qualibet Missa non celebrata (ex S. C. Conc. 17. Sept. 1695. (solvere debebit duos julios respondentes 24. granis monetæ Neapolitanæ.

90. Q. Si reditus deficiant, potest ne Beneficiatus ex se Missarum numerum minuere?

R/. Si reditus pro Missis statuti dificiant in totum absque sua culpa Croix cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio(Lib. 6. n. 33. Dub. 2.) communiter dicunt, ad nihil Beneficiatum teneri; atque id declaratum fuit a S. C. Conc. 8. Aug. 1705. Si autem reditus sint tantum diminuti; tunc si fundator ratione redituum designavit eleemosynam, ex. gr. tarenum pro qualibet Missa, hoc casu sicut, si reditus augerentur, etiam numerus Missarum esset augendus; sic est minuendus, si diminuantur reditus. Si autem fundator numerum Missarum designaverit, et stipendium saltem ordinarium deficiat, tunc recurrat ad Episcopum, qui, nisi possit auctoritate ordinaria; ex facultate, quam plerumque a Summo Pontifice obtinent Episcopi, ratione redituum Missarum numerum redegerit.

91. Q. Sunt ne aliæ obligationes in Beneficiatis?

R/. Maxime. Tenentur 5.° sub gravi erogare in pauperes, aliosve pios usus quidquid de proven-

tibus Beneficialibus supersunt suæ honestæ sustentationi. Ita ex Conciliis, Patribus, et ratione intrinseca sentiunt omnes Canonistæ, et Theologi, præter unum Lorcam, ut asserit Benedictus XIV. (de Syn. Diœc. Lib. 7. C. 2. n. 5.); sive hæc obligatio oriatur ex justitia, sive oriatur ex Religione, Charitate, et Misericordia. Hinc qui hujusmodi superflua in notabili quantitate, idest, etiam vigesimam eorum partem, ut sentit B. Ligorio cum aliis, quos citat Lib. 3. n. 491. IV.), in alios usus impendit, graviter peccat.

92. Q. Quid intelligitur sub nomine *honestæ sustentationi*, *pauperes*, *usus pios*?

℟. Quid intelligatur sub nomine *honestæ sustentationi*, vide supra Lib. 2. n. 354. Sub nomine autem *pauperum*, quibus superflua sunt eroganda, intelliguntur non solum illi, qui carent necessariis ad vitam, sed etiam illi, qui carent necessariis ad proprium statum conservandum juxta suam conditionem; sicut etiam hospitalia, aliaque loca publicæ beneficentiæ. Sub nomine autem *piorum usuum*, in quo pariter debent erogari superflua, intelligitur quidquid ad Dei cultum, et animarum salutem spectat: ut illud, quod impenditur pro fabrica Ecclesiæ, Beneficii, Altarium, sacris supellectilibus etc. pro sustentandis Missionariis, aliisque Evangelicis Ministris etc.

93. Q. Quid agendum, si ista superflua Beneficiatus in alios usus impenderit?

℟. Ista superflua, aut sunt jam consumpta, aut existunt in æquivalenti. Si existunt in æquivalenti; quia cum his sibi comparavit prædia, census, aut alias res, faciat nunc Beneficiatus quod antea non fecit; et ut ab æterna damnatione se eripiat, illa prædia etc. aut eorum æquivalens in pauperes,

aliosve usus pios eroget; et in hujus defectu faciat hæres, si sciat, prædia illa etc. ex proventibus Beneficialibus provenire: hæres enim in omnes obligationes defuncti juxta Communem succedit. Si autem hæres sit de illorum prædiorum etc. provenientia; pro rata dubii juxta sapientis consilium in pauperes etc. illorum portionem eroget.

94. Q. Quid dicendum, si hæc superflua fuerint consumpta?

℟. Si certum esset, Beneficiatos teneri ex justitia ad dictam erogationem, certum pariter esset, teneri ad restitutionem superfluorum male consumptorum. Sed cum hæc gravis controversia inter Doctores tam agitata, non sit adhuc ab Ecclesia definita; et Benedictus XIV. (ibid. n. 1.) non approbet, ut a privatis decidatur; nil certi potest definiri. S. Thomas (Quodlib. 6. a. 12. ad 3.) sentit *non teneri ad restitutionem*, *sed solum ad pœnitentiàm peragendam*. Beneficiati tamen teneant alta mente repostum monitum, quod Ven. Bellarminus (Controv. 8. et 9.) dabat suo nepoti Episcopo Theanensi, *parum* scilicet *referre*, *utrum Prelatus* (idem dic de aliis Beneficiatis) *damnetur ad inferos*, *quia peccavit contra justitiam*, *an quia peccavit contra charitatem*, *non bene distribuendo suas facultates*. Vide etiam infra n. 106.

Paragraphus III.

De iis, quæ in bonis Benificialibus possint, vel non possint Beneficiati.

95. Q. Beneficiati possunt ne alienare bona Beneficialia?

℟. Nequaquam, nisi adsint justæ causæ, et re-

quisitæ solemnitates. Ita statuit Paulus II. in Constitutione *Ambitiosæ* ƒ. Mar. 1467. ; præter alios Canones id prohibentes. Hinc Beneficiati non possunt vendere, donare, oppignorare, hypothecare, permutare, dare in emphyteusim (nam hæc omnia veniunt sub nomine *alienationis*) ; imo nec locare bona beneficialia ultra triennium fructiferum. Dictum est *fructiferum* : quia, si aliquis fundus non fructificet singulis annis, sed singulis bienniis, tunc locari posset per sex annos. Et si semel in singula triennia fructificet ; posset locari etiam per novem annos. Ita passim communiter Doctores. Et quod dicitur de bonis Beneficialibus, intelligitur etiam de bonis cujuscumque Ecclesiæ, Monasterii, aut pii Loci Episcopi auctoritate erecti.

96. Q. Quæ sunt bona Beneficialia, et Ecclesiastica, quæ alienari non possunt ?

℟. Primo sunt bona immobilia, idest, quæ a loco moveri non possunt : ut sunt domus, agri, possessiones etc. Secundo sunt servitutes activæ prædiorum : ut sunt jura piscandi, venandi etc. (Clem. *Monasteriorum* 1. de reb. Eccl.). Tertio sunt census, et annui reditus (Clem. *Exivit* 1. de verbor. signif.) ; et quæcumque alia res, quæ Beneficiato, vel Ecclesiæ possit fructificare. Quarto sunt mobilia prætiosa, quæ propter pretium, artificium, raritatem, antiquitatem etc. splendorem specialem Ecclesiæ conferunt : ut sunt Vasa aurea, argentea, gemmæ, suppellectiles pretiosæ, copiosa bibliotheca, et similia ; sicut et insignes Reliquiæ Sanctorum. Vide Ferrar. V. *Alienare* art. 1. a n. 1. ad 9.

97. Q. Quid dicendum de Arboribus ?

℟. Si arbores sint fructiferæ ; quæ ratione fru-

ctuum, quos producunt, suum proventum dant Beneficio, Ecclesiæ, etc.: ut sunt olivæ, poma, nuces, castaneæ, quercus, et similes; hæ (ex cit. Const.) non possunt alienari: dummodo ob vetustatem, infectionem etc. non reddantur inutiles, nocivæ, aut sint nimis densæ; aut indigeant renovari, aut si mutentur in arbores conditionis melioris: quia tunc recognitæ, ut tales ab Episcopo per peritos (nam Beneficiatus, administrator etc. non potest æquus judex esse in causa propria), possunt recidi, et alienari. Si autem arbores fructificent ratione ligni, ut sunt Silvæ cæduæ, populi, et similes; tunc, cum ex earum recissione fructus reddatur Ecclesiæ, Beneficio, Loco pio; possunt alienari, seu recidi; dummodo ratione artis hoc fiat (Ferrar. ib. a. 4. n. 17.).

98. Q. Quare (n. 95.) dixisti: *Nisi adsint justæ causæ, et requisitæ solemnitates?*

℞. Quia, quando adest justa causa cum debitis solemnitatibus, aliqua potest fieri alienatio. Causæ sunt quatuor. 1.ª est *evidens Ecclesiæ necessitas*, cui aliter subveniri non possit, nisi alienatione alicujus boni (Clement. *Monasteriorum* 1. de reb. Eccl.). 2.ª est manifesta *Ecclesiæ utilitas*, si aliquis fundus permutetur; detur in Emphyteusim; vel si vendatur ad emendum alium meliorem etc. (*C. Sine exceptione* 12. q. 2.). 3.ª est *pietas*: ut si aliquis fundus alienetur pro redimendis captivis, pro alendis pauperibus tempore magnæ penuriæ etc. (*C. Aurum* 12. q. 2.). 4.ª est *incommoditas*, si ex. gr. aliquis fundus plus incommoditatis, quam utilis Ecclesiæ afferat, vel ob nimiam distantiam, vel quia fructus percipi non possint, nisi magno cum dispendio etc. (*C. Terrulas* 53. Caus. 12. q. 2.). Solemnitas autem

principalis est consensus Summi Pontificis, qui per sacras Congregationes dare consuevit.

99. Q. Semper ne requiritur consensus Summi Pontificis?

℟. Si res alienanda sit exigui valoris, non excedentis viginti quinque aureos de Camera, qui faciunt quadraginta scuta monetæ romanæ, sive quinquaginta ducata monetæ neapolitanæ, tunc ex predicto C. *Terrulas* sufficit consensus Episcopi *sine consilio Fratrum*: dummodo res in varias portiones non dividatur, ut evadat exigui valoris; hoc enim est prohibitum a S. C. 7. Octobr. 1602. approbante Clemente VIII. Et potest sufficere licentia Episcopi, si expectato consensu Papæ, transiret occasio notoriæ utilitatis Ecclesiæ; vel si magna Ecclesiæ necessitas non permitteret expectare ejus consensum. Item, si ob bonum commune Princeps aliquam permutationem peteret cum alia æquali. Item, si fiat mutatio unius rei in aliam absque translatione dominii; ut si ex antiquo Calice Crux fiat; et similia, ut videre est ap. Croix Lib. 4. n. 1367.

100. Q. Si Beneficiatus non potest locare ultra triennium fundos sui Beneficii, potest ne locare saltem ultra id tempus fructus sui Beneficii?

℟. Quidam Theologi apud Croix (Lib. 4. n. 1368.) sentiebant, hunc contractum esse licitum. Sed ob tot, et tam gravia mala, quæ inde possunt, et solent evenire, Benedictus XIV. in Const. *Universalis Ecclesiæ* 29. Aug. 1741. severe prohibuit Beneficiatis, ne sub nomine alienandi utilitatem, et commodum percipiendi fructus, aut alio titulo distrahere audeant suorum Beneficiorum proventus, vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel

plures solutiones certa pecuniarum quantitate. Et id prohibuit sub pœna Excommunicationis, nullitatis actus, seu contractus, etiamsi juramento firmati; renovando etiam pœnas contra alienantes bona Ecclesiæ.

101. Q. Quænam pœnæ statutæ sunt contra male alienantes?

℟. Hæ pœnæ reperiuntur in citata Constit. *Ambitiosæ*, et alibi (Vide Ferrar. ibid. Art. 6.). Prima est, quod talis alienatio sit saltem in foro externo ipso jure irrita. Secunda, quod tam alienantes, quam cooperantes, et alienata recipientes incurrunt Excommunicationem (etsi non reservatam). Tertia, quod, si alienans sit Beneficiatus, ipso facto privatus est illo Beneficio, quod alteri potest conferri. Cum autem hæ pœnæ inflictæ sint contra eos, qui *præsumpserint*, excusat ignorantia, quæ non sit crassa, vel supina (Lib. I. num. 19.). Sic habetur in Cap. *Ut animarum periculis* 2. de Constitut. in 6. Et, si alienans sit Regularis, præter dictas pœnas incurrit statim privationem Officiorum, inhabilitatis ad illa, et vocis activæ, ac passivæ (ex Decr. S. C. Conc. 6. Sept. 1624.).

102. Q. Si Beneficiatus habeat pingue patrimonium, potest ne vivere de fructibus Beneficii?

℟. Negant aliqui pauci: sed communiter S. Antoninus (3. p. tit. 15. c. 1. §. 18.) cum aliis, quos citat; et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 491. Q. 5.) affirmant. Sic legitur in Cap. *Cum secundum* 16. de Præbend. *Cum secundum Apostolum qui Altari servit, vivere debeat de Altari; et qui ad onus eligitur, non debeat repelli a mercede; patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Christi, cujus obsequio de-*

putantur. Et quamvis SS. Hieronymus, Augustinus, et Prosper dicant, tunc reditus Beneficiales erogandos esse in pauperes: Fagnanus autem (in Cap. *Si quis sane* n. 10. etc.), et ante ipsum S. Thomas (2. 2. q. 185. a. 7. ad 3.) sentiunt, verba istorum Sanctorum intelligenda esse, quando pauperes extrema in necessitate versantur: quia tunc Beneficiatus etiam de bonis patrimonialibus superfluis deberet sub gravi subvenire.

103. Q. Beneficiatus cum proventibus Beneficialibus potest ne subvenire consanguineis?

℟. Concilium Tridentinum (Sess. 25. Cap. 1. de Ref.) prohibet Beneficiatis, *ne ex reditibus Ecclesiasticis consanguineos, familiaresque suos augere studeant . . . . . Sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuant*. Si ergo consanguinei, et familiares vere indigeant necessariis ad decentiam proprii status, poterit illis aliquid moderate subministrari, sed non ad eos augendos, aut *ut ditiores inde fiant*; sed *ut non indigeant*, juxta monitum S. Thomæ (2. 2. q. 185. a. 7. ad 2.); ut aliquis nepos habeat modum studendi, et similia. Et nota cum B. Ligorio (Lib. 3. n. 491. Quær. 3.), consanguineos indigentes posse præferri aliis pauperibus etiam gravius egentibus; dummodo in extrema necessitate non versentur: quia propinquorum paupertas in Beneficiati dedecus redundaret.

104. Q. Est ne aliud addendum circa fructus Beneficii?

℟. Notandum 1.° quod Beneficiatus potest de his aliquid reservare pro suis indigentiis probabiliter eventuris, ex. gr. pro infirmitate, sterilitate, lite, et similibus. 2. quod potest cum his solvere debita contracta post habitum Beneficium, vel pro sui

sustentatione, vel ad causas pias: nam debita contracta ad causas profanas, aut ante habitum Beneficium, in defectu tantum bonorum patrimonialium posset solvere cum Beneficialibus. 3.° potest facere moderatas remuneratorias donationes. 4.° exercere honestam hospitalitatem, et similia. Non potest tamen hos consumere in excessivis, et voluptuosis ludis, conviviis, theatris, vanitatibus, palatiis, et similibus. Et S. Thomas (Quodlib. 6. a. 12. in corp. ad 4.) dicit, eum, qui in voluptuosis conviviis, et aliis hujusmodi superfluitatibus superfluas facit expensas, absque dubio peccare mortaliter. Vide Ferrar. V. *Benificiatus* art. 2. n. 29. etc., et art. 3. n. 14.

105. Q. De quibus bonis potest disponere Beneficiatus?

℟. Quadruplicis generis sunt bona Ecclesiasticorum. *Patrimonialia*, et sunt illa, quæ Beneficiato obveniunt ex hæreditate, legato, donatione, artificio etc. sicut obveniunt etiam laicis. *Quasi patrimonialia*, seu *industrialia*; et sunt illa, quæ non ex reditibus Ecclesiasticis Beneficiato obveniunt, sed ratione officii, ac ministerii spiritualis, quod exercet; ex. gr. celebrando, Sacramenta administrando, concionando, assistendo funeralibus, jure stolæ, et similibus. Et ad hæc bona pertinent etiam *distributiones chorales*, quæ percipiuntur ab interessentibus Choro. *Ecclesiastica*, seu *Beneficialia*; et sunt illa, quæ Beneficiato obveniunt ex decimis, vel ex fundis Beneficii. *Parsimonialia*; et sunt illa, quæ Beneficiato obveniunt studiosa frugalitate, et parsimonia vivendi subtracta suæ honestæ sustentationi. His prænotatis, dico, quoad bona patrimonialia, posse Beneficiatum disponere ad libitum, tam in vita, quam causa mortis. Communis.

106. Q. Quid dicendum de aliis bonis ?

℟. Quoad bona *Beneficialia* suæ honestæ sustentationi superflua, jam supra (n. 92. et seqq.) dictum est, posse Beneficiatum, imo debere disponere in pauperes, et alios usus pios. Sed, ut Beneficiati solliciti sint in vita de hac superfluorum distributione, Ecclesia prohibuit Beneficiatis, de his superfluis testari, seu disponere causa mortis. Ubi autem est consuetudo, non improbatur, ut Beneficiati causa mortis possint de superfluis disponere ad causam piam, et ob remunerandos illos, qui viventi servierant. Ita in Cap. *Relatum* 12. de Testam.

107. Q. Quid dicendum de bonis *parsimonialibus*, et *industrialibus ?*

℟. De his bonis potest Beneficiatus tam in vita, quam causa mortis disponere, prout melius in Domino videbitur. Quoad bona *parsimonialia*, etiamsi pauci Doctores contradicant; Navarrus autem, Lessius, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. III. n. 491. III.) admittunt; et Beatus id probat etiam auctoritate S. Thomæ 2. 2. q. 185. a. 7. in Corp. et ad 2.). Et revera cur in alios usus non pravos, quod ventri, et commoditatibus Beneficiatus subtraxit, non poterit invertere ? Quoad bona vero *industrialia*, seu *quasi patrimonialia* Benedictus XIV. (de Beatif. serv. Dei Lib. 3. Cap. 34. n. 23.) clare docuit, *eorum reditus sibi retinere*, *vel etiam aliis pro libito elargiri.* Et idem sentiendum de distributionibus Choralibus, seu quotidianis, quæ non veniunt nomine fructuum, ut declaravit S. C. Conc. 9. Febr. 1726. ap. Syn. Diœc. Lib. 5. Cap. 2. n. 5.

108. Q. Beneficiatus potest ne suum Beneficium amittere?

℟. Maxime, et multis de causis. Communiores referam. 1.° amittit per resignationem, permutationem, et renuntiationem a Superiore acceptatam. 2.° per professionem religiosam. 3.° per contractum matrimonium. 4.° per consecutionem, et pacificam saltem duorum mensium possessionem alterius Beneficii incompatibilis. 5.° per adscriptionem militiæ sæcularis. 6.° per alienationem bonorum Beneficialium in casibus non permissis, ut dictum est supra n. 101. 7. per depositionem, et privationem. 8.° per dimissionem habitus, et tonsuræ Clericalis, si post Episcopi monitionem habitum non reassumat, aut denuo dimittat, ut dictum est n. 41. 9. per neglectam susceptionem Ordinum Beneficio annexorum.

109. Q. Sunt ne aliæ causæ, ob quas Beneficiatus amittere potest Beneficium?

℟. Maxime. 1.° Qui per simoniam confidentialem (ex Const. *Intolerabilis* S. Pii V.), vel realem (ex Extravag. *Cum detestabile* de Simon. inter comm.) Beneficium consecutus fuit (Lib. 2. n. 325. 326.); ipso facto Beneficium amittit. 2.° post juridicam probationem Beneficium amittit quicumque deprehensus fuit in crimine hæresis (Cap. *Ad abolendam* 1. de Hæretic.); qui falsificavit literas Apostolicas (Cap. *Ad falsariorum* 6. de Crim. falsi); qui nefandum sodomiæ vitium exercuit (Constit. *Horrendum* S. Pii V.); qui procuravit, vel mandavit assassinium (Cap. *Pro humani* 1. de Homic. in 6.). 3.° post sententiam judicis Beneficio privantur qui rei sunt adulterii (Can. *Si quis Clericus* 10. dist. 81.), perjurii (Cap, Ad *querelam* de jurejur.), vel ebrietatis (Cap. *A crapula* 14. de Vit. et honest.); vel homicidii; et illi Clerici in Sacris, qui concubinas habere au-

derent (Can. *Decernimus* 2. dist. 28.). Vide Ferrar. V. *Beneficium* Art. 7., Antoine Tract. de Benef. q. 7. et Besombes de Benefic. Tract. 3. Artic. 3. §. 2.

Caput II.

De Pensionariis, et Præstimoniariis.

110. Q. Quid est *Pensionarius?*

℟. Est ille, qui pensionem, idest aliquam portionem fructuum, ex alterius Beneficio percipit. Pensionarius autem, aut est *laicalis*; et est ille, qui sive clericus, sive laicus hanc pensionem percipit ob aliquod ministerium temporale, aut aliam causam temporalem, ut cantoris, organistæ, æditui, procuratoris, advocati etc. Sed de hoc Pensionario non est hic sermo. Pensionarius *Ecclesiasticus*, seu *Clericalis* est ille Clericus, qui pensionem percipit, vel ob ministerium spirituale, ut concionatoris, confessoris, coadjutoris, economi curati etc. (de quo nec erit sermo); vel percipit pensionem absque ullo munere præstando, sed tantum, ut honestam habeat sustentationem. Et de hoc tantum hoc loco agemus.

111. Q. Omnes ne Clerici possunt esse *Pensionarii?*

℟. Minime. Clerici enim professi in aliqua adprobata Religione, conjugati, excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares non possunt esse *Pensionarii.* Vide jura ap. Ferrar. V. *Pensio* a n. 56. ad 63. Item, ut Clerici possint esse *Pensionarii*, requiritur, ut non possint aliunde vivere: hujusmodi enim pensiones, non ut Clericus ditescat, sed ut honestam habeat sustentationem, conceduntur. Insuper requiritur, ut justa inter-

veniat causa ; scilicet pietatis, vel utilitatis Ecclesiæ; ut ex. gr. Parochus, qui ob senium, aut infirmitatem Beneficium renuntiavit, habeat unde vivere : ut Clericus ecclesiasticis studiis possit vacare ; ut titulo Pensionis possit ordinari ; aut alia adsit causa, quæ licet aliis ignota, moveat animum Pontificis, ad quem solum regulariter loquendo spectat pensiones concedere, et qui disponere potest de omnibus Beneficiis. Communis ex Cap. *Licet* de Præb. in 6.

112. Q. Quare dixisti : *regulariter loquendo* ?

℟. Quia licet Episcopus non possit novam pensionem perpetuam Beneficio imponere, aut antiquam augere (Cap. *Prohibemus* 7. de Censib.): nihilominus juxta sententiam, quam Fagnanus (in Cap. *Nisi* 21. de Præb. ap. Ferrar. ib. n. 16.) vocat receptissimam ; Episcopus jure ordinario potest incerta fructuum portione pensionem ponere sed duraturam ad vitam Beneficiati gravati in eam consentientis ; dummodo adsit rationabilis causa ; ut esset pro lite componenda in obscuritate juris ; uni scilicet Beneficium conferendo, alteri pensionem ad Beneficiati vitam duraturam ; vel pro aliquo Clerico egeno studiis vacante; vel pro utilitate alicujus Ecclesiæ, pauperum, benemeritorum ; pro aliisque usibus piis ; ut colligitur ex cit. Cap. *Nisi*, et ex Cap. *De cetero* 5. de Transactionib.

113. Q. Quænam sunt obligationes Pensionarii?

℟. Tenetur 1.° et sub gravi, et sub onere fructus restituendi, ut dictum est (Lib. II. n. 269. et 270.) de Beneficiatis quotidie recitare Officium parvum B. V. Mariæ (Constit. *Ex proximo* S. Pii V.), nisi ratione vel Ordinis sacri, vel Beneficii, vel etiam ex devotione Officium divinum

recitet : quia tunc Barbosa cum aliis, quos citat, et sequitur Ferrar. ibid. n. 124. dicit, non teneri ad recitationem Officii B. V. M. Tenetur 2. pro rata omnibus oneribus, et impositionibus, ut Beneficiatus ipse (Barbosa ib. n. 129.) : dummodo Papa ab omni prorsus onere pensionem non concesserit. An autem superfluos fructus in pauperes debeat erogare, ut dictum est (n. 91. et seq.) de Beneficiato; disputant Doctores. Azorius (ap. B. Ligorio Lib. 3. n. 491. Q. 6.) refert decisionem Rotæ Romanæ, quod non teneatur : quia Papa pensionem assignando jam in pios usus applicavit.

114. Q. Pensionarius potest ne amittere suam pensionem?

℟. Maxime. Et 1.° per liberam renuntiationem a se factam. 2.° Per mortem. Hic autem nota, quod Beneficiatus tenetur ex conscientia solvere hæredibus partem illam pensionis, quam viventi Pensionario non solvit. Ita Doctores ap. Ferrar. ibid. n. 110. innixi decisioni Rotæ. 3.° Amittit per professionem Religiosam in approbata Religione emissam. 4.° Per celebrationem matrimonii. 5.° Per nomen datum militiæ sæculari. 6.° Per alias causas, et varia delicta, quæ videri possunt apud Auctores, et præsertim apud Croix Lib. 4. n. 1175. et seqq.

115. Q. Quid est *Præstimoniarius?*

℟. Est ille Clericus, cui ob vitæ subsidium aliquod præstimonium, seu portio quædam a Beneficiorum reditibus abstracta conceditur, vel ut sacram Scripturam in Cathedralibus, et Collegiatis exponat; vel ut Grammaticam pauperes Clericos gratis edoceat, ut Trident. Sess. 5. Cap. 1. de Ref.; vel ut studiis possit commodius vacare etc.

Si hoc præstimonium detur ad vitam, juxta motum proprium S. Pii V. æquiparatur Beneficio; et *Præstimoniarius* tenetur ad Horas canonicas; ut Beneficiatus. Si autem præstimonium datur ad certum tempus, durante ex. gr. expositione Sacræ Scripturæ, Scholæ faciendæ, Scholæ frequentandæ, et similia; tunc non censetur ut Beneficium; et *Præstimoniarius* tenebitur tantum ad quotidianam recitationem quinque *Pater*, et *Ave*, ut Croix Lib. 4. n. 217. Vide Ferrar. V. *Præstimonium*, et Cuniliati Tr. 4. de I. Præc. Decal. Cap. XI. §. 2. n. X.

CAPUT III.

De Canonicis.

116. Q. Quid circa Canonicos notandum?

℟. Varia est Canonicorum natura. Alii sunt *Regulares*. Sed de his non est hic sermo. Alii, ut videre licet in multis locis etiam hujus Marsorum Diœcesis, hoc nomine gaudent; etiamsi Choro non sint addicti; eorumque munera ut plurimum sunt, celebrandi certas Missas, et Functiones; Parochum in Cura animarum coadjuvandi; et alia juxta laudabiles propriæ Ecclesiæ consuetudines. Et de his nec erit nobis loquendum. Alii sunt Canonici Cathedralis, aut Collegiatæ Choro addicti; et de his in hoc loco agemus; et videbimus, quæ sint eorum obligationes tam in genere, quam relate ad Canonicum Theologum, Pœnitentiarium, Curatum, Magistrum, Punctatorem, ac Studentem.

Paragraphus I.

De Canonicis in genere.

117. Q. Quænam sunt Canonicorum obligationes?

℟. Multæ quæ sunt communes etiam Mansionariis, et aliis Beneficiatis Choro addictis. In primis, cum hi Ecclesiastico gaudeant Beneficio; omnibus illis obligationibus obstringentur, quas supra (n. 84., et seqq. et Lib. II. a n. 351. ad 354.) inesse vidimus Beneficiatis. Secundo tenentur ad publicam in Choro divini Officii recitationem. Quomodo autem debeat esse hæc recitatio, ut Canonici, aliique Choro adstricti muneri suo satisfaciant, ut distributiones, et fructus suos faciant; qui, et quando ab hac publica recitatione dispensentur; quales pœnæ contra negligentes, vide ibidem (Lib. II. a n. 263. ad 276.), ubi de Horis Canonicis egimus, et vide alia, quæ infra hic judicavimus addenda.

118. Q. Quid insuper addendum circa hunc Officii recitationem?

℟. Addendum, quod cum hæc recitatio *studiose*, *et devote* sit peragenda, ut in Decretali *Dolentes* 9. de Celebr. districte præcipit Innocentius III.; sentit Benedictus XIV. (Instit. Eccl. 107. §. 25.), præferendam asse illam sententiam, quæ docet, eos, qui Horis in Choro admiscent jocos, risus, cachinnos, confabulationes etc.; reos esse peccati gravis, et ad restitutionem teneri: eo magis quod in dicta Decretali ille Pontifex pœnam Suspensionis licet ferendæ sententiæ contra hos infligat.

119. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Insuper addendum, quod, etiamsi omissio recitationis unius parvæ Horæ, ex. gr. Tertiæ in Choro sit grave peccatum juxta Communem, ut asserit Cuniliati (Tr. 4. de I. Præc. Decal. Cap. XI. §. 3. n. III.): nihilominus doctissimus Suarez (ap. Cunil. ibid. n. IV.) aliorum sententiam referendo, dicit, non statim damnandum de mortali Canonicum, qui recitationi unius, aut plurium Horarum in Choro absque causa non assistit; dummodo privatim recitet, cum sit hoc difficile definitu. Consulit tamen, ne facile, vel frequenter id fiat, cum adsit grave periculum peccandi lethaliter. Notet hæc verba qui absque legitima causa tam facile a Choro se dispensat. Et item addendum, quod quamvis, ubi est consuetudo (S. C. Conc. 28. Sept. 1754.), teneantur in Coro ad Psalmos Graduales, Pœnitentiales, et ad Officium B. V. M. ac Defunctorum; extra Chorum tamen non tenentur (S. Rit. Congr. 2. Sept. 1741.).

120. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum juxta sententiam S. Antonini, et aliorum, quos refert, et sequitur Cuniliati (sup. n. VI.), quod qui lectiones, vel aliud, quod in Choro legitur; vel propter structuram Chori, vel ob legentis ineptitudinem non intelligit; non peccat, dummodo conetur intelligere; nec tenetur repetere. Nec juxta doctrinam Salmaticentium (Tr. 16. cap. 1. p. 3. n. 18.) remittenda, aut repetenda est saltem in Choro Homilia, Lectio, Oratio, aut aliud, quod præter intentionem, bona fide, ex errore, vel inadvertentia omissum, aut mutatum sit; ne confusio, aut etiam scandalum in Choro inducatur. Dictum est: *saltem in Choro*; quia privatim consultius videtur, quod omissa, vel mutata remittantur.

121. Q. Quænam sunt aliæ obligationes Canonicorum ?

℟. Nisi habeant indultum speciale S. Sedis Apostolicæ, tenentur tertio Canonici, seu alii de Capitulo canere quotidie, et applicare pro benefactoribus Ecclesiæ in genere Missam Conventualem. Et, si in Feriis Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum, Vigiliarum occurrat Festum duplex, semiduplex, vel dies Octava alicujus Festi; præter missam de Festo cantatam post Tertiam, debet cantari alia Missa de Feria post Nonam. Imo, si Feria IV. Rogationum occurrat aliquod ex his Festis, debet cantari alia Missa de Vigilia Ascensionis post Sextam, non obstante quacumque consuetudine in contrarium.

122. Q. Omnes ne istæ Missæ applicari debent pro benefactoribus ?

℟. Etiamsi multum laudandi essent qui facerent; non autem tenentur; et applicatio secundæ, et tertiæ Missæ libera est celebranti : dummodo in *memento* mortuorum non obliviscatur de dictis benefactoribus; et dummodo in aliqua Ecclesia non adsit laudabilis consuetudo applicandi pro benefactoribus etiam secundam, et tertiam Missam. Ita Benedictus XIV. confirmando antiquos Canones, et Decreta S. C. Concilii juxta Rubricas præscripsit in Encyclica *Cum semper* 19. Augusti 1744. directa ad Episcopos. Nec ulla ex his Missis potest legi, sed omnes cantari. Ita S. R. C. 22. Dec. 1753. ad 10.

123. Q. Sunt ne aliæ Missæ ex præcepto cantandæ in Cathedralibus, et Collegiatis ?

℟. Maxime. Extra Adventum, Quadragesimam, et Tempus Paschale, prima die cujuscumque mensis, quæ Festo novem Lectionum non sit impedi-

ta, Missa Conventualis canenda est pro Sacerdotibus, benefactoribus, et aliis defunctis. Et si hac die occurrat Festum simplex, vel Feria, quæ propriam habeat Missam; aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, nec infra hebdomadam remitti possit; tunc duæ Missæ erunt cantandæ; una pro Defunctis post Primam, ut supra; alia de Simplici, aut Feria prædicta post Nonam (Rubr. V. n. 1.). Item si infra Octavam Corporis Christi fit de Octava, et occurrat Vigilia; cantandæ sunt duæ Missæ; de Octava post Tertiam, de Vigilia post Nonam (Rubr. III. n. 2.). Et in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum duæ pariter sunt Missæ cantandæ; de Festo post Tertiam, de *Requiem* post Nonam. *Rubr. pr.*

124. Q. Qui negligit has Missas cantare, incidit ne in aliquam culpam, et pœnam?

℟. Cum Missæ Conventuales sint quasi complementum, imo pars præcipua divini Officii, et strictiori jure tum a Rubricis, ut videre est apud Merati (P. 3. Tit. XI. §. IV.), cum a Summis Pontificibus præcipiantur; patet, ut communiter sentiunt Doctores, quos citat, et sequitur Bonacina (ap. Merati supr.), et alii ap. Ferraris (V. *Canonicus* Art. V. n. 65.), graviter peccare non solum eum, qui negligit cantare, sed etiam omnes illi, qui sunt in causa, ne cantentur: quia quando omissio est peccaminosa; qui est causa omissionis, est causa peccati, ut cum aliis Doctoribus probat Pasqualigus (ap. Merati ibid.). Et præter culpam, in pœnam privatur distributionibus illius diei (S. R. C. 4. Jul. 1615.). Imo in Provincia Mediolanensi hujusmodi non cantantes trium dierum distributionibus carent (Conc. Prov. 2.).

125. Q. Sunt ne aliæ occasiones, in quibus distributiones quotidianæ amittantur?

℟. Cum distributiones quotidianæ ab Ecclesia sint introductæ ad compensandam illorum diligentiam, qui divinis inserviunt; ut post antiquos Canones Tridentinum (Sess. 21. Cap. 3. de Ref.) insinuat; patet, eos, qui dum Horæ Canonicæ, aut Missa, seu Missæ Conventuales celebrantur, Choro non intersunt; regulariter loquendo distributiones quotidianas respondentes parti omissæ non lucrari. Insuper amittunt fructus, et distributiones, et ad restitutionem tenentur qui etiamsi Choro intersint, non psallunt tamen, nec canunt cum aliis, ut melius possunt. Ita Benedictus XIV. in Const. *Præclara* 19. Jan. 1748. (Tom. 3. Supplem. n. 4.). Sicut nec lucrantur distributiones pro parte respondente defectibus qui dormiunt, aut confabulantur, ut Suarez, et alii ap. Ferrar. V. *Distributiones* n. 43.; nec qui tempore Adventus, aut Quadragesimæ Concioni non assistunt, ut præscribit S. R. C. 26. Mart. 1672.

126. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo*?

℟. Quia qui absunt ob infirmitatem, rationabilem corporis necessitatem, vel ob evidentem Ecclesiæ utilitatem; ex decreto Bonifacii VIII. (Cap. *Consuetudinem* de Cleric. non resid.) distributionibus non sunt privandi. Infirmitas autem debet esse gravis, vel quæ gravis possit effici accessu ad Chorum; vel si medela non sit compatibilis cum assistentia ad Chorum; vel si ob podagram, debilitatem crurium, aut ob senium non possit quis ad Ecclesiam commode se conferre. Hic autem nota, quod si infirmus, dum erat sanus, non solebat Choro interesse; tunc ex Decreto S. C. Conc. 5. Jun. 1706. non potest distributiones prætende-

re: quia præsumendum est, absentiam non ab infirmitate, sed a continuatione malæ voluntatis provenire. Cæco autem debentur, et ab initio cæcitatis, ut decrevit eadem S. C. 29. Jan. 1662.

127. Q. Quando ob corporis necessitatem distributiones non amittuntur?

℟. Quando ob timorem gravis damni vel in vita, vel in honore, vel in bonis, ad Ecclesiam non possit quis accedere: quando injuste ab inimico est persecutus, et vexatus (S. C. Conc. 14. Apr. 1736): quando injuste vel est excommunicatus, vel in exilium pulsus, vel carceribus detentus; ut ex pluribus Decretis S. Congregationis apud Ferraris (V. *Distributiones* Art. 1.): dummodo per sententiam definitivam, quæ in rem judicatam transeat; absolutus sit ut innocens. Insuper non amittit, quando ex facto Principis sæcularis non possit in loco Canonicatus residere; vel quando adsit aliud justum impedimentum. Hisce autem casibus distributiones non lucraretur Canonicus, aut alius Choro addictus, si ante hujusmodi vexationes non erat solitus intervenire (ex cit. Decr. 20. Apr.)

128. Q. Quinam distributiones lucrantur, si absint ob utilitatem Ecclesiæ?

℟. 1. Illi, qui ob defensionem jurium, Beneficiorum etc. propriæ Ecclesiæ pro tempore necessario absunt (S. C. Conc. 16. Jul. 1695.). 2. Canonici, qui comitantur Episcopum ad invisenda Limina Apostolorum, vel ipsius jussu ad dicta sacra Limina accedunt; ut decrevit Sixtus V., et S. C. Conc. 1. Oct. 1662. ap. Lambert. Inst. Eccl. 107. n. 59. 3. Canonici, qui Episcopo pontificaliter celebranti inserviunt in civitate, vel in suburbiis, non autem in alio loco, vel comitantes in visitatione Diœcesis; dummodo omnes fructus in distri-

butionibus non consistant: quia tunc tertiam partem tantum amittunt (S. C. Conc. 7. Mart. 1600. et 5. Dec. 1626.).

129. Q. Sunt ne alii, qui ob dictam causam distributiones lucrentur in absentia?

℟. Maxime. Est Canonicus, qui sede vacante eligitur Vicarius Capitularis pro tompore, quo est occupatus in negotiis Diœcesis, ut communiter sentiunt Doctores ap. B. Ligorio (Lib. 4. n. 130.). Non autem lucratur Vicarius Episcopi, quiá hic non Ecclesiæ, sed Episcopo deservit juxta S. C. Conc. 18. Dec. 1627.). Lucrantur pariter illi, qui ob commoditatem populi (non suæ) tempore Chori Missam celebrant jussu tamen Superioris (S. C. Conc. 29. Jul. 1628.). Item Canonicus Theologus, Pœnitentiarius, et Curatus in quibusdam casibus, ut videbitur Paragrapho sequenti. Et ex concessione Clementis XI. (Encycl. 1. Febr. 1710.) lucrantur etiam illi Canonici, aliique Choro addicti, qui licentia proprii Ordinarii Exercitiis spiritualibus vacant in aliqua domo Religiosa, extra tamen Adventum, Quadragesimam, et solemniores Festivitates.

130. Q. Est ne aliud circa distributiones notandum?

℟. Notandum est, quod si quis indebite, ut dictum est n. 123. et 124., distributiones acceperit pro tempore, quo servitium Ecclesiæ non præstitit; etiamsi alii Canonici etc. vellent illas donare; non potest retinere, et debet restituere juxta S. C. Conc. 5. Jun. 1706. et distribuendæ iis, qui servitium præstiterunt, quin licitum sit alicui Choro addicto, cui eæ obvenerint, illas remittere, ac donare, non obstantibus quibuscumque statutis, ac consuetudinibus, quas Tridentinum (Sess.

24. Cap. 12. de Ref.) improbat. Et denique notandum, quod, si quis Choro assistat ob finem primarium distributiones lucrandi; juxta S. Thomam (Quod. 8. q. 6. a. 1.) et graviter peccaret, et simoniam committeret.

131. Q. Canonici etc. habent ne alias obligationes?

℟. Cum ad Chori servitium sint obligati, patet, teneri eos etiam ad residentiam in loco, aut prope locum ubi est Beneficium; ut hora debita possint Choro adesse. An, et quando, et quanto tempore a loco residentiæ possint abesse; in quam pœnam non residentes incurrant, vide Lib. II. n. 263. 264. 265. et 276. ubi locuti sumus de obligatione, et modo ad Chorum interveniendi: nam eadem verificantur etiam de non residentibus. Quæ autem causæ a residentia excusent, vide quæ hic supra dicta sunt n. 126. et sequentibus. Et insuper addendum, quod cum ex Cap. *De cetero* de Cleric. non resid. liberum sit Episcopo assumere pro suo servitio duos, vel Canonicos, vel Beneficiatos suæ Diœcesis, ut ex S. C. Conc. 9. Sept. 1628. vel pro Visitatione Diœcesis, vel pro aliis muniis obeundis; isti, dum Episcopo inserviunt, ut residentes reputantur: distibutiones autem non lucrantur, ut S. C. Conc. 22. Apr. 1679. (ap. Lambert. ead. Constit. 107. n. 58.).

Paragraphus II.

De Canonico Theologo, Pœnitentiario, Curato, Magistro, et Studente.

132. Q. Quænam sunt obligationes particulares Canonici Theologi?

℟. Si is in sacra Theologia non sit Doctor, infra annum doctoralem lauream in illa facultate debet suscipere. Ita Bened. XIII. in Constit. *Pastoralis* 29. Maj. 1725. Secundo, ut constituit idem Pontifex in Concilio Romano (Tit. I. Cap. 7.), quod quotannis tenetur habere saltem quadraginta Lectiones sive per se, sive per substitutum ab Episcopo eligendum (S. C. Conc. 30. Maj. 1620.) sumptibus ipsius Canonici (S. C. Conc. 29. Mar. 1687.), tempore, loco, et super materiam ab Episcopo designandam (S. C. Conc. 4. Apr. 1596.). Et, si Canonicus in hac Lectione defuerit, potest Episcopus illum cogere sequestrationibus fructuum, et perseverante contumacia, etiam ad privationem pervenire (S. C. Conc. ap. Ferrar. V. *Canonicus* Art. 9. n. 21.). Illa autem die, qua Lectiones habet, gaudet distributionibus, etiamsi Choro non intersit. S. C. Conc. 18. Jun. 1622.

133. Q. Quænam sunt obligationes particulares Canonici Pœnitentiarii?

℟. Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis ex Tridentino (Sess. 24. Cap. 8. de Refor.) debet esse Magister, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, et annorum quadraginta, seu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur. Hic non ex Episcopo, sed a jure, (ut videre est in Syn. Diœc. Lib. III. Cap. IV. n. 3.) facultatem habet audiendi confessiones in Diœcesi; sed a casibus Episcopo reservatis absque hujus licentia absolvere nequit (S. C. Conc. 24. Maj. 1642.). Pœnitentiarius tenetur audire confessiones Diœcesanorum, et præsertim parochianorum Civitatis, et si horum confessiones audire recusaverit, et specialiter in die-

bus jejuniorum, et Festis solemnibus, potest ab Episcopo puniri. Ead. ap. Ferrar. ibid. n. 74.

134. Q. Pœnitentiarius gaudet ne aliquo privilegio?

℟. Etiamsi alii Canonici si audiunt confessiones, dum Horæ canonicæ recitantur, amittant distributiones illius Horæ (S. C. Conc. 14. Mar. 1620); nihilominus Canonicus Pœnitentiarius, cum ex Tridentino (ibid.) *dum confessiones in Ecclesia audit, interim præsens in Choro censeatur*; lucratur distributiones quotidianas. Et idem dicendum de illo Canonico, qui in locum Pœnitentiarii ab Episcopo subrogatur (Ead. 10. Mar. 1635.); et etiam de illis Canonicis, qui de mandato Superioris Pœnitentiarium in magno concursu adjuvant (Ead. 4. Sept. 1591. ap. B. Lig. Lib. 4. n. 131.). Et insuper Pœnitentiarius, dum audit confessiones in Ecclesia, non solum lucratur distributiones, sed etiam illas eleemosynas, quæ distribuuntur pro associandis, et sepelliendis cadaveribus, pro supplicationibus, et processionibus, quæ per urbem aguntur. Ita ead. S. C. Conc. 4. Sept. 1591.

135. Q. Quid notandum circa Canonicum Curatum?

℟. Notandum, quod præter obligationes, ut Parocus (de quibus partim Lib. II. Art. 3. Cap. I. n. 512. et seqq., et partim hic agemus in sequenti Capite), debet etiam ut Canonicus Choro interesse, Missam Conventualem pro Benefactoribus decantare. Et si die festivo hanc Missam debeat decantare, per alium debet celebrare pro Populo; ut videre est ap. Lambertini, qui Inst. 107. n. 15. id probat ex pluribus Decretis S. C. Concilii, vel si ipse celebret pro Populo, per alium Canonicum cantet Missam pro Benefactoribus.

236. Q. Hic Canonicus gaudet ne privilegiis?

℟. Maxime. Si enim Curam habeat in illa Ecclesia, ubi Canonicatum habet, si tempore, quo divina Officia celebrantur, audiat Confessiones, infirmis assistat, aut alia ad ipsam Curam spectantia exerceat, ut decrevit S. C. Conc. 19. Sept. 1743.; etiamsi Divinis non intersit, lucratur non solum fructus suæ præbendæ, sed etiam distributiones quotidianas. Si autem Curam habeat in alia Ecclesia, ubi debeat residere; ex Const. *Cupientes* S. Pii V. 8. Jul. 1568. fructus præbendæ lucratur, non vero distributiones, nisi in illis diebus, quibus Choro intervenit. Et idem dicendum de illis Beneficiatis, Mansionariis etc., qui Curam habent animarum.

137. Q. Quid dicendum de Canonico, qui sit Magister, aut Studens?

℟. Cum ad regimen, et servitium Ecclesiæ maxime intersit viros litteratos habere; Ecclesia permittit tam Canonicis etc. docentibus in Scholis, vel Sacram Scripturam (Trident. Sess. 5. Cap. I. de Ref.), vel sacram Theologiam (Cap. *Super specula* 5. de Magistr.), vel Sacros Canones (Cap. *Cum de diversis* 2. de Privileg. in 6.), quam Canonicis etc. in Scholis illas scientias addiscentibus, ut absque redituum amissione possint abesse a servitio Chori; at privantur distributionibus quotidianis. Cumque studium Grammaticæ, ac Logicæ sit necessario præmittendum ad præfatas scientias addiscendas; aliqui Doctores ap. B. Ligorio (Lib. 4. n. 131.) extendunt idem privilegium etiam docentibus Grammaticam, vel Logicam.

138. Q. Ad quid tenentur Canonici Punctatores?

℟. Tenentur ad fideliter munus suum exequendum; et possunt ab Episcopo cogi ad jurandum de fideliter punctando. Hinc qui ob odium etc. punctat eos, qui non sunt punctandi; aut econtra ob amicitiam, timorem, conniventiam etc. punctandos non punctet; tamquam apertus fur, ut tales appellat Episcopus Gravinen. (ap. Ferrar. *V. Punctator* n. 5.) ad restitutionem etiam de proprio tenetur iis, qui sua causa debitis emolumentis fraudantur: eo magis quod *quavis collusione, aut remissione exclusa*, ut inquit Trident. (Sess. 24. Cap. 12. de Ref.) distributiones ab aliis amissæ nequeunt donari.

139. Q. Qui in Choro sunt punctandi?

℟. Punctandi sunt non solum qui absque legitima causa, aut omnibus Horis, aut etiam uni Canonicæ Horæ, aut Missæ Conventuali non intersunt, aut qui tenetur illam cantare, et non cantat; aut qui tempore Adventus, et Quadragesimæ concioni non intersunt: sed sunt punctandi etiam illi, qui licet intersint, non psallunt tamen alta voce, nec canunt cum aliis; qui in Choro confabulantur, rident, aut dormiunt, ut dictum est supra (n. 124. etc.); aut absque Habitu Chorali ad Chorum interveniunt (S. R. C. 3. Mar. 1633.). Qui autem licet absint, distributiones non amittunt, nec sunt punctandi, vide supra n. 126. etc., et n. 132. et sequentes. Meminerint tamen tam punctatores, quam punctandi, quod præter punctatorem Chori, alius adstat in cœlis punctator, qui cum decipi non possit, prætextus hominibus ignotos noscit, et vult punire.

Caput IV

De Parochis.

140. Q. Quot sunt Parochorum obligationes?

℟. Multæ sunt. Ad quid teneantur erga proprios subditos, circa residentiam, Sacramenta administranda, Missas applicandas, Conciones habendas, Doctrinam Christianam edocendam, correctiones faciendas, infirmos visitandos, vidimus jam, cum Libro II. egimus in IV. Decalogi Præcepto de mutuis obligationibus a n. 512. et sequentibus, et vide etiam num. 120. et seqq. ubi de Correctione facienda. De aliis obligationibus, et attributionibus agemus hoc loco, et cum de Sacramentis disseremus.

141. Q. Ubi Parochus debet residere?

℟. Si Ecclesia domum habeat sufficientem, ibi debet residere: aliter intra limites Parochiæ (S. C. Conc. 19. Nov. 1718.). Et si absque legitima causa absit (dummodo absentia non sit per paucos dies), *præter mortalis peccati reatum*; ut statuit Tridentinum (Sess. 23. Cap. I. de Ref.), *pro rata temporis absentiæ fructus suos non facit, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere potest; sed tenetur, aut ipso cessante* (idest ex se non restituente) *per superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci* (nota *loci*) *erogare*. Si autem Parochus habeat Vicarium, seu Economum perpetuum, cui tota incumbit cura cum onere residendi, tunc Parochus ad residentiam non tenetur. Decisum refert Gonz. ap. Gavanto Episc. instit. V. *Paroc. resid.* n. 14.

142. Q. Quid dicendum, si Parochus habeat Coadjutorem in Parochia residentem?

℟. Etiamsi Parochus pro meliori cura animarum, et pro majori quiete suæ conscientiæ Coadjutorem habeat, cui munera magis ardua affidat, ut tempore nocturno infirmis assistere, aut alia; nihilominus, ut declaravit S. C. Conc. 13. Nov. 1627., etiam ipse tenetur residere. *Cum* enim *præcepto divino mandatum sit omnibus*, *quibus animarum cura* commissa *est*, *oves suas agnoscere* . . . . . . *Sacramentorum administratione*, *bonorum omnium operum exemplo pascere*; *pauperum*, *aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere*, ut Tridentinum (ibid.) decrevit: ut oves diu, noctuque proprium pastorem accedere possint; et hic ovium necessitatibus occurrere possit; non potest id præstare, nisi resideat.

142. Q. Numquam ne possunt Parochi a residentia abesse?

℟. Idem Tridentinum (idid.) Parochis permittit, ut causa prius per Episcopum cognita, et probata, ejusque licentia in scriptis obtenta, possint a propria Parochia abesse, sed non ultra bimestre sive continuum, sive interruptum; et relicto idoneo Vicario per ipsum Ordinarium approbando cum debita mercedis assignatione: *nisi christiana charitas* (sunt verba Concilii ibid.), *urgens necessitas*, *debita obedientia*, Papæ scilicet, aut Episcopo ob bonum Ecclesiæ, vel reipublicæ, ut dicunt Elbel, et alii apud B. Ligorio (Lib. IV. n. 125.), *ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas nonnumquam expostulent*, ut Episcopus per longius tempus eis permittat abesse: ibi enim dicitur, licentiam discedendi ultra bimestre non concedendam, *nisi ex gravi causa*, quæ est aliqua ex supradictis.

143. Q. Quid dicendum, si Parochi abscedant absque licentia?

℟. Si Absint per solum biduum, non peccant; dummodo substitutum ab Episcopo approbatum relinquant. Si autem absint ultra biduum; cum id Benedictus XIII. prohibuerit in Concilio Romano (Tit. XVII. Cap. 6.), et statutum est etiam in Marsorum Synodo Diœcesana 1815. n. 150., saltem venialiter peccabit. Si autem absque licentia absit ultra sex, aut septem dies, aut ad summum ultra quindecim, aut viginti dies, ut extendit Tournely, et alii ap. B. Ligorio (ibid. n. 123.), peccabit graviter, et ad restitutionem pro rata absentiæ tenebitur, ut præcepit idem Benedict. XIII. ibid.

144. Q. Est ne aliud præterea addendum?

℟. Addendum, quod, si Parocho occurrat necessitas, quæ moram non patiatur, saltem per epistolam Episcopum adeundi; poterit discedere, ut ait Sporer, et alii, quos citat, et sequitur idem Beatus (idid.), relicto tamen idoneo substituto, qui suas gerat vices, et certiorato Episcopo de suo inopinato discessu, et de causa discedendi, ut saltem tunc licentiam præbeat, nisi brevi fiat reditus. Et id Episcopus Durini modificando statutum in dicta Synodo n. 150. decrevit (Modific.6.). Insuper unusquisque statuta suæ propriæ Diœcesis super hac materia consulat, ne erret.

145. Q. Quænam sunt aliæ obligationes?

℟. Oportet, ut inquit Apostolus (1. Timot. 3. et Tit. 1.), Parochum *sine crimine esse*, *sobrium*, *prudentem*, *ornatum*, *pudicum*, *hospitalem*, *doctorem*, *modestum*, *benignum*, *non vinolentum*, *non percussorem*, *non litigiosum*, *non cupidum*, *non bilinguem*, *non turpe lucrum sectantem*, uno verbo *irreprehensibilem*, idest, ut ait A Lapide, *qni non tantum vitio careat*, *sed qui omni-*

bus virtutibus sit ornatus. Et, *si quis* (quod Deus avertat) turpiter et scandalose vivat; mandat Tridentinum (Sess. 21. Cap. 6. de Ref.), ut ab Episcopo coerceatur, et castigetur; et, si adhuc incorrigibilis in sua nequitia perseveret; possit etiam Beneficiis privari. Vide supra n. 4. et 5.

146. Q. Sunt ne aliæ obligationes in Parocho?

℟. Tenetur, ut pater amans, suos parochianos veluti filios respicere, erga illos exercendo misericordiæ opera tum spiritualis, tum corporalis, visitando præsertim infirmos, ea prudenti frequentia, quæ a qualitate morbi, et personarum postulatur: et consideret, quod quo vicinior est mors, eo majores sunt dæmonis tentationes, et major etiam corporis, ac animi debilitas. Insuper obstetrices instruat, ut sciant quomodo in casu necessitatis valide, et licite baptizent; quando absolute; quando et quomodo conditionate; ne Parochi, vel obstetricis incuria infantis anima pereat.

147. Q. Est ne aliud addendum circa Parochi obligationes.

℟. Debet præterea Parochus attente, et sæpe Rituale Romanum perlegere, ut probe calleat, quomodo non solum valide, sed etiam licite Sacramenta administret: quomodo erga ægrotos se gerere debeat, tum quoad Sacramenta recipienda, tum ad illos juvandos in extremo agone, et postquam expiraverint: quomodo se gerere circa defunctorum exequias, et sepulturam: quibus sepulturam ecclesiasticam dare non liceat: quomodo se gerere circa benedictiones, processiones, conjurationes faciendas etc.

148. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Sæpe etiam perlegat Constitutiones Synodales propriæ Diœcesis; tum ut ipse observare queat;

tum ut observantiam in suis Parochianis promoveat. Insuper Librum habeat, in quo Missas pro Populo celebratas notet; sicut et quinque alios Libros, in quibus notet baptizatos, confirmatos, matrimonia, defunctos, et statum animarum juxta formam in calce ipsius Ritualis præscriptam: quos libros cum ceteris libris, et chartis ad Parochiam pertinentibus in Archivio Parochiali diligenter conservabit.

149. Q. Est ne aliud circa Parochos notandum?

℟. Cum Parochus ordinariam habeat in suos Parchianos jurisdictionem, et potestatem; ubique terrarum potest absque alia facultate eorum confessiones audire, ut declaravit S. C. Conc. 3. Dec. 1707. Et pari ratione idem videtur dicendum de administratione aliorum Sacramentorum. Ut autem evitentur scandala; decet, ut cum intelligentia Parochi illius loci hoc faciat. Non idem dicendum de Æconomis Curatis, Vicariis, Coadjutoribus etc., qui sunt amovibiles. Hi enim, cum non ordinariam, sed delegatam habeant ab Episcopo jurisdictionem; extra hujus Diœcesim nihil possunt in illos. Notandum insuper, quod etiam contradicente suo Episcopo, posset in Religione profiteri. Competit autem Episcopo illum revocare, si justas habeat causas. Sic in Epist. *Ex quo* Bened. XIV. 14. Jan. 1747. legitur. Et denique notandum, quod si Parochus Beneficium dimittat, aut eo privetur, nova indiget Episcopi approbatione, ut confessiones possit audire. Communis.

150. Q. Parochus potest ne confessiones audire extra propriam Parochiam?

℟. Si sint sibi parochiani, jam dictum mox est, posse ubique. Si autem non sint parochiani; etiamsi aliqui affirmativam tenuissent sententiam; videtur

tamen non posse absque facultate. Parochus enim non approbatur pro universa Ecclesia, sed tantum pro *ea civitate*, *seu oppido*, *ubi sita est Parochialis*, *non autem passim per Diœcesim*, ut declaravit S. C. Conc. (ap. Lambert. Inst. 86. n. 3.); et multo minus extra Diœcesim sine licentia Episcopi Diœcesani, ut patet ex alia declaratione ejusdem S. C. 19. Jan. 1641. Ubi autem adest consuetudo, ut Parochus per totam Diœcesim audiat confessiones, non contradicente Episcopo, potest retineri. Vide B. Ligorio Lib. 6. n. 544.

Caput V.

De Confessariis.

151. Q. Quid notandum circa Confessarios?

℟. Cum Sacerdotes in sacra ordinatione potestatem accipiant remittendi, ac retinendi peccata; ne incassum hanc divinam facultatem ipsi recepisse videantur, unusquisque videt, quanta cura, et diligentia debeant se habilitare ad fidelium confessiones excipiendas; quantoque studio, et amore hoc opus tam Deo gratum; fidelibus, sibique ipsis proficuum exercere. *Deo gratum*: quia rite, recteque hoc Sacramentum administrando, cum Christo cooperantur ad redemptionem animarum. *Fidelibus proficuum*: quia illos dispositos absolvendo, a potestate dæmonis potenter eripiunt. Etiam *ipsis Confessoribus proficuum*, tum ob virtutes charitatis, patientiæ, mortificationis, in quibus se exercere possunt, hoc Sacramentum administrando; tum ob fervidas preces, quas pro ipsis et sanis, et ægrotis, et defunctis fundunt fideles tam bene directi in viam salutis; tum maxime ob certam mer-

cedem, quam expectare debent a Domino, qui nec cyathum aquæ pro suo amore datum absque mercede relinquit (Marc. 9. 40.).

152. Q. Quid sequitur ex dictis?

℟. Quantum de æterna salute, ut sapienter monet B. Ligorio (Lib. 6. n. 625.), expavescere debent desidiosi illi Sacerdotes, qui ob evitandum incommodum, quod debent subire, et pro acquirendis notionibus necessariis, et pro exercendo hoc opere divino; licet in aliis ecclesiasticis ministeriis non sint continuo occupati; ab hoc onere in sacra ordinatione illis imposito se subtrahunt, sub specioso prætextu non gravandi suam, aliorumque conscientiam; sed revera, ut aliis generalibus occupationibus, negotiisve, et forsan ecclesiastico vetitis vacent. Et interim, præsertim illis in civitatibus et locis, ubi penuria adest confessariorum, tot fideles sub dœmonis potestate debent remanere cum periculo numquam alias evadendi. Et ubi est zelus, quo et pro Dei honore, et pro animarum salute debent Sacerdotes ardere?

153.. Q. Quid requiritur ad rite ministrandum hoc Sacramentum?

℟. Plura requiruntur. Principalia hoc in loco attingemus, discutiendo in diversis Paragraphis, quid requiratur ad validam, et licitam ejus administrationem; quæ sint Confessarii erga pœnitentem obligationes, ut pater, ut medicus, ut doctor, ut judex; quanta prudentia, et cautela sit ei necessaria; quantaque cura in sigillo sacramentali servando: ut nostri Sacerdotes bene callendo quæ in Confessario requiruntur; toto studio, et cura exequantur pro spirituali profectu, et suimet, et pœnitentium.

Paragraphus I.

De requisitis ad valide ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ.

154. Q. Quid requiritur pro valida hujus Sacramenti administratione?

℟. Quatuor requiruntur. 1.° Potestas Ordinis Sacerdotalis; 2.° Potestas jurisdictionis; 3.° Intentio; 4.° Prolatio formæ. Requiritur 1. *Potestas Ordinis Sacerdotalis* (Trident. Sess. 14. Cap. 6. et Can. 10.). Hinc qui non est Sacerdos, si auderet absolvere; præter gravissimum sacrilegii peccatum, quo se alligaret, semper invalide absolveret, et in Irregularitatem incurreret. Vide infra Lib. V. n. 83. Requiritur 2. *Potestas jurisdictionis*: quia licet Sacerdos in sui ordinatione potestatem accipiat remittendi peccata; cum hæc potestas, seu absolutio sit actus judicialis, non potest eum exercere, ut definivit Tridentinum (ibid. Cap. 7.) si in fideles *ordinariam*, *aut subdelegatam non habeat jurisdictionem.* Et defectu hujus jurisdictionis non solum a peccatis mortalibus, sed etiam a venialibus invalide absolveret, ut decrevit Innocentius XI. per S. C. Conc. 12. Februar. 1679.

155. Q. Quænam est jurisdictio ordinaria?

℟. Jurisdictio *ordinaria* est illa, quæ annexa est dignitati, Officio, Beneficio Parochiali. Et hæc durat, usquedum non amittatur illa dignitas, Officium, Beneficium. Hanc autem jurisdictionem habet Papa per totum orbem; Episcopi, ceterique Ordinarii, sicut et Prælati Regulares, ac Parochi in suos respective subditos; in quos ubique terrarum possunt hanc jurisdictionem exercere; eosque valide, ac licite absolvere. Sic etiam quoad

Parochos declaravit S. C. Conc. 3. Dec. 1707. Si quis autem extra propriam Diœcesim peccata sua velit confiteri ; cum saltem ex consensu universali , et conniventia Episcoporum , ut inquit B. Ligorio (Lib. 6. n. 548.) ; quoad confessionem faciendam fit subditus illius Ordinarii , ac Parochi ; posset proinde valide et licite absolvi etiam in aliena Diœcesi , et Parochia.

156. Q. Quænam est jurisdictio *delegata* ?

℟. Est illa , quam pro locis tantum propriæ Diœcesis (Innocent. XII. Const. *Cum sicut* 10. Apr. 1700.) possunt Episcopi , ceterique Ordinarii aliis Sacerdotibus communicare. Et si hæc jurisdictio ab Episcopo etc. limitata foret pro certis locis tantum, vel personis , vel tempore ; hujusmodi Confessarii nil possent in aliis locis , et personis ; ac expleto tempore approbationis , ex. gr. sex mensium, unius anni etc.; ipso facto cessat jurisdictio , ac potestas absolvendi : etiamsi Confessarius ille esset Regularis. Ita ex Const. Bened. XIII. *In supremo* 23. Sept. 1724. hodie tenendum est. Hic autem notandum , quod Regulares pro excipiendis confessionibus Correligiosorum ejusdem Ordinis , sicut et famulorum in Monasteriis degentium , ibique continue commensalium, ex Const. *Superna* Clem. X. non indigent approbatione Ordinarii ; sed sufficit approbatio Prælati Regularis. Et , si Religiosi in itinere Confessarium non habeant sui Ordinis ; ex concessione Innocentii VIII. possunt se confiteri cuicumque Sacerdoti idoneo , etsi non approbato (B. Ligor. n. 575.).

157. Q. Jurisdictio delegata cessat ne per mortem Episcopi delegantis ?

℟. Si approbatio data fuit ab Episcopo etc. sua vita durante ; hoc mortuo , vel Officium dimitten-

te, expirat, ut patet. Si vero data fuerit tempore illimitato, vel si tempus fuerit limitatum quidem, sed non elapsum; Salmaticenses, et alii apud B. Ligorio (ibid. n. 559.) probabilius, et communius sentiunt, non cessare; dummodo a successore, vel Superiore non fuerit revocata. Et hoc firmatur ex praxi, et regula generali, quod gratiæ factæ non expirant, finita jurisdictione concedentis. Si autem approbatio data fuerit *ad beneplacitum* vel *arbitrium* nostræ voluntatis; tunc cum post mortem cesset *beneplacitum*, *et voluntas*; cessat pariter jurisdictio: etiamsi delegatio facta fuerit a Papa, ut sentit idem Beatus (loc. cit.).

158. Q. Ecclesia supplet ne unquam hanc jurisdicionem?

℟. Maxime, et in duobus casibus. 1.° in *articulo* mortis, ut statuit Tridentinum (Sess. 14. Cap. 7.); 2.° in ejus *periculo*, ut disponit Rituale Romanum (Doctr. huj. Sacram.). Et hoc; ne Confessarii defectu aliqua anima pereat. Hinc, deficiente Confessario approbato, quilibet Sacerdos, etiamsi sit excommunicatus, suspensus, degradatus etc. (ut contra multos cum caterva Doctorum sentit Ferraris V. *Moribundus* n. 33.); accedente etiam declaratione Innocentii XI. juxta assertionem Cardinalis Albitii apud B. Ligorio n. 560.), potest absolvere etiam a peccatis, et censuris reservatis, cum promissione tamen jurata a pœnitente quoad censuras; quod si a morte evadat, sub pœna reincidendi in eamdem censuram sistere se debeat Superiori, (Cap. *Eos*, *qui* de Sent. Excom. in 6. et ex S. C. Episc. 7. Dec. 1746.), aut Confessario privilegiato; et insuper, ut parti læsæ satisfaciat. *Articulus* autem *mortis*

est, quando ex gravitate morbi creditur quis moriturus: *periculum* vero *mortis*, quando quis licet sanæ valetudinis; in data circumstantia currit periculum moriendi, ut in prælio, longa navigatione, partu difficili etc.

159. Q. Quare dixisti: *deficiente Sacerdote idoneo, et approbato?*

℟. Quia, si hic existeret, non verificaretur, animam illam absque confessione perire; et proinde Ecclesia jurisdictionem non suppleret. Dicendum tamen cum B. Ligorio (n. 563.), quod, si approbatus nollet pœnitentis confessionem audire, vel non posset, quia complex ex. gr. aut alia de causa; vel si approbatus, et idoneus fuisset inimicus, aut consanguineus, aut affinis, aut objectum sui peccati, ita ut infirmus horreret apud illum confiteri, aut esset in periculo faciendi confessionem sacrilegam; tunc non videtur, Ecclesiam, quæ est mater tam benigna, in tanta necessitate velle hujusmodi infirmum obligare ad faciendam confessionem approbato; et proinde hoc casu Sacerdos simplex posset ejus confessionem excipere, et absolvere.

160. Q. In quo alio casu Ecclesia jurisdictionem supplet?

℟. Quando adest titulus coloratus, sive putativus, cum errore communi. Titius ex. gr. parochiale obtinuit Beneficium. Sed quia hujusmodi Beneficii collatio fuit simoniaca, ex. gr. vel ipse erat excommunicatus, vel irregularis licet occultus; collatio fuit invalida; et proinde titulus Parochialis non verus. Sed, quia ob errorem communem reputabatur verus Parochus, licet titulus foret tantum putativus; ob bonum commune, et ne tot animæ periclitentur, Ecclesia supplet ju-

risdictionem ; et confessiones bona fide illi factæ erunt validæ. Communis. Idem dicendum videtur de Sacerdote approbato ab Episcopo ad audiendas confessiones. Sed quia tempus approbationis fuit elapsum, vel facultas revocata, aut per aliquam censuram suspensa ; titulus approbationis non est verus, sed putativus. At, si hæc communiter ignorentur; ob eamdem rationem confessiones bona fide illi factæ erunt validæ. Sic Cuniliati (Tract. 14. Cap. 4. §. 4. n. 13.). Tales autem Confessarii, nisi ab invincibili inadvertentia excusentur, gravissime peccarent.

161. Q. Quænam intentio requiritur ad validam hujus Sacramenti administrationem ?

℟. Intentio est voluntas aliquid faciendi. Et in casu nostro est voluntas absolvendi juxta mentem S. Matris Ecclesiæ. Si hæc voluntas habeatur in actu, quo verba absolutionis proferuntur, dicitur *intentio actualis*. Et licet hæc sit optima, et procuranda ; non est tamen necessaria. Ut enim inquit S. Thomas (3. Par. q. 64. art. 8. ad 3.), hæc *non totaliter posita est in hominis potestate* ; *quia præter intentionem, cum vult multum intendere, incipit alia cogitare*. Si autem hanc voluntatem non habuit Confessarius in actu proferendi absolutionem, sed habuit antequam ad confessiones excipiendas accederet, et adhuc perseveret, dicitur *intentio virtualis* ; et hæc juxta mentem S. Doctoris (ibid.) est sufficiens. Si denique hanc voluntatem habuit in audiendis anteactis confessionibus ; et licet hanc non revocaverit, ob multas tamen, et dissitas interruptiones non censeatur moraliter perseverare, dicitur *intentio habitualis* ; et hæc juxta Communem non est sufficiens.

162. Q. Quænam forma adhibenda est pro validitate hujus Sacramenti ?

℟. Etiamsi in Rituali Romano præscribatur forma absolutionis, dicendo primum *Misereatur tui* etc., *Indulgentiam* etc. *Dominus noster* etc. *Passio D. N. J. C.* etc. moneatque, quod in confessionibus frequentioribus, et brevioribus omitti possit *Misereatur* etc. *Indulgentiam* etc.; et satis sit dicere *Dominus noster* etc. usque ad *Passio D. N. J. C.*; moneatque insuper, quod urgente gravi necessitate in periculo mortis, breviter dici possit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen*; verba autem essentialia, in quibus absolutionis forma consistit, et sine quibus etiam inculpabiliter omissis invalida esset absolutio, ut ex Evangelio colligit Cathechismus Romanus (De Sacr. Pœnit. n. 14.) sunt: *Ego te absolvo*, vel alia æquivalentia; sed absque peccato verba æquivalentia non possunt adhiberi. Sicut non potest mutari forma in Rituali præscripta.

Paragraphus II.

De requisitis ad licite ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum.

163. Q. Quid requiritur pro licita hujus Sacramenti administratione?

℟. Quatuor requiruntur. 1. Recta intentio. 2. Bonitas vitæ. 3. Oratio. 4. Scientia. Requiritur ergo *recta intentio*: ita ut nullo affectu humano motus, non ob solum terrenum emolumentum ad sanctum Tribunal Confessarius accedat, ibique detineatur; sed desiderio Deo placendi, animasque fidelium in viam salutis ducendi, hoc sacrum ministerium exerceat: tum quia in Pœnitentiæ Tri-

bunali sedens, Dei vices gerit; tum ut Spiritus Sancti assistentiam sibi attrahat; quæ est tam necessaria, ne in tam arduo negotio fallatur cum suo, et alieno detrimento; imo ut et sibi, et animabus a se directis possit prodesse.

164. Q. Quomodo dignoscitur hæc recta intentio?

℟. Quando Confessarius quoscumque pœnitentes cujuscumque sint conditionis, ætatis, et sexus velut animas Christi sanguine redemptas æqualiter excipit, miseretur, auxiliatur, et judicat. Et multo magis hanc rectam intentionem monstrabit, si promptiorem, ac alacriorem erga pauperculos, rudes, et senes, qui plerumque solent esse neglecti; libenti animo se præbeat: eo magis quod absque periculo vanæ gloriæ, amoris proprii, respectus humani cum his operam suam impendet, et cum majori sui merito, animarumque profectu, qui tantam charitatem in suo Patre spirituali invenientes, non cessabunt preces, et lacrymas etiam pro ipso fundere.

165. Q. Quid sequitur ex his?

℟. Quod, si quis Confessarius libentius excipiat nobiles, quam viles; libentius personas devotas, quam peccatores; libentius doctos, quam rudes; libentius juvenes, quam senes; libentius fœminas, quam viros; et cum primis affabilem, patientem, mansuetum, et promptum se exhibeat; et cum secundis austerum, impatientem, iracundum, renitentem se præbeat; si ægro animo ferat, aliquam ovem dilectam a suo ad aliud ovile permeare; is clare demonstrat, non animo Deo placendi; sed humanis affectionibus motum hoc sanctum ministerium exercere.

166. Q. In quo consistit *bonitas vitæ*?

℟. In hoc præcipue consistit, quod Confessarius hoc Sacramentum ministraturus debeat esse in statu gratiæ. Et unusquisque scit, quo gravissimo scelere se alligaret Sacerdos ille, qui in mortali existens, absque prævia Sacramentali confessione, aut saltem perfecta contritione, ad confessiones excipiendas accederet. Et juxta probabiliorem, et veriorem sententiam, ut B. Ligorio (Lib. 5. n. 50. q. 6.) cum aliis, quos citat; tot sacrilegia committeret, quot absolutiones impartiret: in unaquaque enim absolutione forma completa existit. Verum quidem est, pœnitentem rite dispositum etiam ab indigno valide absolvi, ut difinivit Tridentinum (Sess. 14. Can. 10.). Sed quid miserius? pœnitens, qui est reus, e sacro Tribunali sanctificatus discedit, dum Cenfessarius exit comdemnatus, et sua sponte æternis se mancipat suppliciis.

167. Q. Quare dixisti: *præcipue consistit?*

℟. Quia non sufficit, ut in mortali Confessarius non ministret; sed ut vitæ integritate, ac morum honestate refulgeat; sicut recte monet Clemens X. (Const. *Superna* 22. Maj. 1670. §. 6.). Si enim quisque Sacerdos juxta Apostolum debet esse *irreprehensibilis;* idest, ut supra (n. 4.) explicavimus, quod careat vitiis, virtutibusque sit ornatus: multo magis hoc requiritur in Confessario, qui horrorem vitiis, amorem virtutibus debet suis pœnitentibus insinuare. Et, si, ut sapienter monet S. Carolus (Monit. ad Confess. §. 4.), magis exempla, quàm verba movent; quo fructu horrorem vitiis, et amorem sobrietati, continentiæ, mansuetudini, devotioni, liberalitati, cetérisque virtutibus, quibus ipse caret, ceteris inspirabit; præsertim si oppositis vitiis fuisset ipse deditus?

168. Q. Quare *Oratio* est necessaria?

℟. Quia, si absque Dei auxilio nihil boni potest quis efficere; clare patet, quanto fervore hoc divinum auxilium debeat Confessarius implorare; et ut dignoscat pœnitentium dispositiones; et ut ad contritionem illos provocet; et ut noscat, qui absolutione sint digni, vel indigni; et ne erret in casuum decisione; et ne in audiendis aliorum fœditatibus suus spiritus contaminetur etc. Hinc assiduus sit in meditatione, in precibus; oret pro vera suorum pœnitentium conversione; et ut multiplicatis intercessoribus, facilius divinam Misericordiam consequatur; ad Matrem Misericordiæ cum fiducia recurrat; ad suum, suorumque pœnitentium S. Angelum Custodem; et ad illos præsertim Sanctos recurrat, qui cum tanto fructu hoc ministerium exercuerunt, ut sunt S. Franciscus Salesius, S. Vincentius a Paulo, S. Philippus Nerius etc.

169. Q. Quænam *Scientia* requiritur?

℟. Ex Rituali Romano (ibid.) colligitur, Confessarium scire debere ea saltem, quæ communiter occurrunt; et proinde, ut notant Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 6. n. 627.); scire debet 1. quæ sint peccata mortalia, et quæ venialia, saltem ex genere suo. 2.° Species distinguere, et numerum peccatorum, ac circumstantias necessario explicandas (Vide Lib. I. a n. 289. ad 310.). 3.° Spectantia ad restitutionem bonorum, et famæ (vide Lib. II. a n. 799. ad 969.). 4.° Casus, Censurasque reservatas saltem communiores. 5.° Quænam sint dispositiones necessariæ in pœnitentibus. 6.° Quinam sint occasionarii, qui habituati, qui ricidivi etc. (Vide Lib. IV. n. 254. et seqq.). 7.° Quænam sint re-

media, et pœnitentiæ ordinariæ pœnitentibus præscribendæ (ibid. n. 208. et seqq.). 8.° Denique, nisi habeat illam scientiam eminentem, qua possit casus omnes illico resolvere; habeat saltem illam scientiam mediocrem, qua quæ frequentius accidunt, prompte resolvere sciat; et de aliis dubitare.

170. Q. Undenam hauriri potest ista *Scentia?*

℟. In primis hauritur *assiduis ad Deum precibus*, ut monet idem Rituale; *ex Catechismo Romano*; ex Constitutionibus Synodalibus; *ex probatis Auctoribus* de Theologia Morali pertractantibus; et ex illis præsertim, qui eximiæ doctrinæ sanctitatem, longamque adjungunt experientiam; et etiam ex recentioribus, ubi Constitutiones Pontificiæ, et recentia Decreta reperiuntur. Hos Auctores frequenter, et usque ad ultimam senectam attente perlegat Confessarius; et sic conservabit, et augebit quod jam didicit: imo plus leget, et studebit, plus legendi, et studendi obligationem agnoscet, ne in suo munere exercendo erret.

171. Q. Quid sequitur ex his?

℟. Sequitur, quod, si Confessarius hoc studium neglexerit, eveniet illi quod de quibusdam Confessariis suorum temporum deplorabat (Inst. Eccl. 32. n. 4.) Lambertini, postea Benedictus XIV.; qui etiamsi *Confessarii munus præclarissime initio suscepissent*, *neglecta tamen omni studiorum cura*, *moralis Theologiæ pristinam scientiam amiserunt*; et vix *inter tyrones adnumerari* potuerunt, cum evidenti periculo male exercendi suum munus, cum injuria tanti Sacramenti, et animarum detrimento: nam unusquisque ex propria experientia cognoscit, multa etiamsi pluries lecta, mente evanescere; et proinde in magno periculo propriæ, et alienæ salutis versari

hujusmodi negligentem Confessarium. Ut enim Christus ait (Mat. 15. 14.) : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Paragraphus III.

De obligationibus Confessarii ut Patris, Medici, Doctoris, ac Judicis.

172. Q. Ad quid tenetur Confessarius ut *Pater?*

℟. Cum supra (n. 164.) dictum sit, Confessarium indifferentem esse debere in audiendis pœnitentibus; ut autem Patris officium vere exerceat; nullum respuere debet, etiamsi sit aliquis rudis, mendicus, senis; præsertim si horis, et diebus insolitis sic a Deo inspiratus, ad eum accedat. S. Philippus Nerius dicebat, ferventiores pœnitentes fuisse illos, quos horis insolitis, et etiam nocturnis audierat. Quod gaudium, et meritum Confessario, si hac sua paterna sollicitudine aliquem magnum peccatorem e dœmonis faucibus possit eripere, et in Dei sinum adducere! Econtra quam rationem divino Tribunali reddere deberet Confessarius, si pœnitens a se rejectus, extincto illo extraordinario gratiæ impulsu, non amplius rediret, et in peccato perseveraret? At, si reapse tunc non posset, humanioribus verbis alium diem, et horam illi assignet, ut redeat.

173. Q. Ad quid aliud tenetur Confessarius, ut *Pater?*

℟. Tenetur pariter benigno vultu, et affabili pænitentem excipere, quicumque ille sit. Et, si sciat, aut a Pœnitentis confessione comprehendat, illum magnum esse peccatorem, conscientiam habere intricatam, a tempore sic longo non esse confessum ;

summas gratias in primis Deo agat, quod piscem sic magnam ad suum rete adduxerit; et ad instar piscatoris, qui viso magno pisce, pisciculos non curans, illum insequitur; sic Confessarius non curans alios pœnitentes, qui suum tribunal circumstant, et qui forsan illa die confiteri non possunt, totus incumbat in suum pœnitentem; animet ad sincere aperiendam conscientiam suam; promittat illi veniam, si reapse se pœniteat, et vitam mutaturum proponat; exhibeatque se promptum ad ei auxiliandum.

174. Q. Quid proderit hæc paterna exceptio?

℟. Proderit, quia pœnitens videns tam benigne se exceptum a Confessario; ut patrem amantissimum illum respicit; animatum se sentit ad nihil tacendum; obligatum se conspicit ad exequenda ejus monita, ac præcepta etiam dura; etiamsi non absolutus, contentus discedit a suis pedibus; amorem concipiet erga hoc Sacramentum, et frequentabit. Econtra si Confessarius hujusmodi pœnitentem ab initio exprobabit, quia tanto tempore a Sacramento abfuit etc.; quid facilius, quam, diabolo instigante, aliqua peccata occultare, et cum sacrilegio, et proinde magis reum a pedibus Confessarii abire, cum periculo non amplius ad Sacramentum redeundi, et in majora crimina ruendi? Quidam reus ad mortem damnatus, astantibus dixit, talem mortem se facere, quia improprie a quodam Confessario fuit ipse rejectus.

175. Q. Hanc paternam charitatem debet ne in alio Confessarius ostendere?

℟. Debet præcipue ostendere in tolerandis sui pœnitentis imperfectionibus. Sunt quidam pœnitentes verbosi, ignorantes, molesti, confusi, impræparati, qui tot ineptias in suis confessionibus in-

farciunt; qui explicare se nesciunt, cum casibus intricatis. Si Confessarius non inducat viscera paternæ charitatis, quæ omnia suffert, omnia sustinet; falso zelo accensus, in verba impropria exibit; et quamvis sit sanæ moralis; ut cito ab illis molestiis se eximat; vel tamquam rigidus inabsolutum, sed exarcebatum pœnitentem dimittet; vel tamquam laxus indispositum absolvet. Consideret ergo Confessarius, quod, si Christus pro illis pœnitentibus sanguinem, et vitam tanto dedit amore: quomodo is ipsorum molestias, laborem, tempus, frigus, calorem, et alia incommoda tolerare renuet?

176. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Si Confessarius, ut *Pater* suorum pœnitentium nullum debet respuere, omnes benigno vultu excipere, eorumque imperfectiones tolerare; eo magis in decursu confessionis debet illos instruere, ut integre, et rite confiteantur; efficacia illis præbere remedia, ut ad vomitum non redeant, ut vitam in melius emendent, ut in gratia perseverent, imo ad perfectionem anhelent. Et magis insudare debet, ut eos ad contritionem excitet, et sic absolutionis beneficium, si ut Judex dignos eos reputet, possit illis impartire; et sic partes medici, Doctoris, et Judicis rite possit implere.

177. Q. Ad quid tenetur Confessarius *ut medicus*?

℟. Sicut medicus corporum moriturorum morbi qualitatem, gravitatem, originem, tempus etc. inquirit; et an ægrotus infirmitatem aliquam, aut circumstantiam ob ignorantiam, aut verecundiam occultet, ut opportuna præbeat remedia; et sic ægrotus sanare queat, non recidivet; et in casu reincidentiæ magis satagit, ut opportuniora inve-

niat remedia : sic et multo magis Confessarius ut *medicus* animarum , quæ numquam moriuntur , investigare debet de morbi , seu peccatorum specie , gravitate , tempore , origine , consuetudine , occasione etc. , et an pœnitens peccatum habeat , quod per ignorantiam , vel verecundiam , aliamve malitiam occultet ; ut suum pœnitentem ad absolutionem rite disponat ; et salutaria adjungit remedia , ne pœnitens recidivet , immo in gratia perseveret , et accrescat ; et , si recidivet , originem novi lapsus inquiret ; ac alia , et salubriora remedia suggeret , ut possit emendari.

178. Q. Undenam Confessarius hæc hauriet remedia ?

℟. A Moralistis , a tot illis Auctoribus , qui de modo practico confessiones excipiendi scripserunt ; ut sunt B. Ligorio in sua Praxi , et aliis Opusculis ; Segneri (*Confessore istruito*) , P. Cajetanus a Bergamo (*Uomo apostolico al Confesionale*) ; Anonymus (*Il Sacerdote santificato*) ; ubi insuper duas epistolas satis utiles reperies , in quibus Sacerdotem edocet , quomodo sanctificare se possit et attenta recitatione divini Officii , et devota Missæ celebratione ; Philippus Salvatori (*Istrutione pratica pei novelli Confessori*) ; sicut etiam ex Directorio ascetico P. Scaramelli , aliisque Asceticis ; et multo magis ad pedes Jesu Christi in sancta Oratione.

179. Q. Ad quid Confessarius tenetur ut *Doctor ?*

℟. Si Confessarius noscat , suum pœnitentem aliquam gravem obligationem culpabiliter ignorare , ex. gr. jejunandi , restituendi , legata adimplendi , debita solvendi etc. ; tenetur monere , et a culpabili ignorantia eum removere : aliter et

Sacramento, et pœnitenti noceret, ut patet. Si autem inculpabiliter aliquid ignoret; ex. gr. si bona fide rem alienam teneat, aut matrimonium invalide contraxerit: tunc, si speret Confessarius monitionem prodesse, et suum pœnitentem restituere, dispensationem pro matrimonio convalidando petere; tunc pariter ob eamdem rationem tenetur monere: sicut instruere deberet, si pœnitens ipse interrogaret: quia tacendo, videretur errorem approbare.

180. Q. Quid dicendum, si fructus non speretur?

℟. Cum Confessarius prudenter judicet, monitionem non prodesse, et pœnitentem ex. gr. non restituere, dispensationem non petere, et incommoda graviora timeantur; tunc potest pro tunc, imo generaliter loquendo debet tacere, ut post S. Bernardum, et tot alios Doctores tenet B. Ligorio (Lib. 6. n. 610. etc.): aliter peccatum materiale evaderet formale, quod magis debet præcaveri; quia solum peccatum formale Deum offendit. Dictum est: *generaliter loquendo*: quia si ignorantia, et si inculpabilis, esset circa mysteria principalia Fidei, vel circa aliqua ad sacramentum recipiendum necessaria; vel redundaret in damnum communitatis: ut si Confesarius noscat, Sacerdotem esse invalide ordinatum; vel aliquem Magnatem, Parochum, Confessarium, frequentantem Sacramenta etc. propriis obligatiouibus deesse, etsi inculpabiliter (si in his dari potest ignorantia inculpabilis); monere tenetur. Vide eumdem Beatum (ibid. n. 615.).

181. Q. Ad quid tenetur Confessarius, ut *Judex?*

℟. Debet esse prudens in decidendis opinioni-

bus controversis; debet inquirere speciem, circumstantias, numerum peccatorum; decidere, an pœnitens sit dispositus; an tunc possit, ac debeat disponi ad absolutionem recipiendam; decidere, an absolutio sit danda, neganda, aut differenda; decidere, quæ satisfactio pœnitenti sit adaptata; decidere, quando famæ, vel bonorum restitutio sit facienda; quomodo scandala reparanda; quando pœnitens ad correctionem, eleemosynam etc. faciendam teneatur; quando Confessarii ad turpia sollicitantes sint denuntiandi; quando pœnitens debeat denunciare proferentes propositiones contra Fidem, statum, bonum commune etc. Sed de his omnibus diffuse dicetur, cum agendum erit de Sacramento Pœnitentiæ Lib. IV. a n. 240. et seqq.

Paragraphus IV.

De Cautela in Confessario.

182. Q. In quo consistit hæc *cautela*?

℟. In custodia propriorum affectuum, et sensuum; in interrogationibus faciendis; in correctionibus, exprobrationibus, pœnitentiis, ceterisque obligationibus injungendis; in conversando, in loquendo etc. Sit in primis Confessarius cautus in reprimendis motibus iræ, et impatientiæ, qui quandoque exurgere solent in audiendis quibusdam verbosis, ac molestis pœnitentibus; non ostendat signa particularis affectionis ulli pœnitenti, præsertim sexus diversi, etiamsi esset sancta; non ostendat signa admirationis, et perturbationis in audiendis quibusdam gravibus, enormibusque peccatis etc.: quæ omnia quantum obesse soleant sinceritati confessionis, et quot sa-

crilegiorum sint causa; sciunt certe probi illi, et in hoc sacro ministerio versati Confessarii.

183. Q. In quo consistit *custodia sensuum?*

℟. Consistit præsertim in custodia oculorum; ita ut illos non figat non solum in illas, quas audit, aut sacrum tribunal circumstant; sed nec in illas, quæ astant in Ecclesia: tum ne periculo se exponat alicujus pravæ tentationis; tum ne mente distrahatur ab iis, quæ debet audire; tum etiam, ne scandalo sit astantibus, qui et a longe hujusmodi oculorum immodestiam admirantur. Et, si extra confessionale confessiones audiat; ita se collocet Confessarius, ut nec pœnitens oculos suos, nec ipse pœnitentis oculos conspicere possit. Et præterea, si infirmæ confessionem contigerit audire; januis audiat apertis, ut qui foris sunt, tam Confessarium, quam infirmam possint videre.

184. Q. Quid notandum circa *cautelam* in faciendis interrogationibus?

℟. Jam supra (n. 177. et 181.) dictum est, Confessarium, ut *Medicum*, et *Judicem* debere inquirere speciem, numerum, circumstantias etc. Sed licet debeat esse diligens, et quandoque etiam minutus in exquirendis peccatis; in peccatis autem carnalibus contra sextum Præceptum debet esse valde cautus, præsertim cum pueris, et adolescentulis utriusque sexus; ne malitiam, et quod ipsi ignoraut, eos edoceat, ut advertit Rituale Romanum. Ita autem suas interrogationes Confessarius accommodet, ut, si pœnitens non sit reus, non intelligat; et juxta responsiones, ad alias interrogationes procedat; ut possit tantum necessaria rescire, idest speciem, numerum, circumstantias, quæ mutant speciem (vide Lib. I. a n. 290. ad 294.). Si autem tantum aggravent,

tunc curet rescire quando necesse sit, ut consulat saluti pœnitentis; vel quando credi potest, peccatum illud esse reservatum; et inquirat etiam, an hujusmodi peccata in aliis confessionibus ob verecundiam forsan occultarit; ut opportuna possit præstare remedia.

185. Q. Quare dixisti: *prœsertim pueris* etc.?

℟. Quia non solum cum pueris, et adolescentibus *cautela* est adhibenda; sed etiam cum adultis, et ipsis conjugatis, interrogando terminis, quoad fieri potest, modestis; tum ne pravos motus, et delectationes Confessarius in se, et in pœnitentibus excitet; tum ne interrogationibus nimis liberis de hujusmodi fœda materia in crimen sollicitationis incurrat. Ac, si personæ conjugatæ non sint primæ ad se accusandas de peccatis inter se commissis; sit cautus in interrogando; et in genere poterit inquirere, an circa res ad matrimonium spectantes aliquem habeant conscientiæ remorsum; et juxta responsiones ad alias procedat interrogationes, evitando doctrinas nimis laxas, et nimis rigidas; et brevis sit in hujusmodi inquisitionibus, et quoad necessaria tantum: ne malitiosus, aut saltem nimis curiosus a pœnitente reputetur.

186. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Non solum in interrogationibus cautus debet esse Confessarius; sed cum pœnitentibus diversi sexus evitet longos, et superfluos, etsi devotos sermones, præsertim si ætas juvenilis, oris venustas, natalium splendor etc. aliquam pravam suspicionem in astantibus, aliisque incutere possit. Abstineat a verbis, quæ affectionem, adhæsionem, propensionem ipsis exprimant; etiamsi pœnitens illa sit multum pia, imo sancta. Oh! quot sensuali-

tatis incendia verba illa, et colloquia causarunt. Et ho! quot incauti Confessarii ab amore, qui ab initio erat totus spiritualis, purus et sanctus; transierunt ad amorem totum carnalem, sensualem, et peccaminosum. Nec illas admittat ante confessionale ad osculum manus, ad locutiones etc. dummodo non foret aliquod breve verbum; ut se gerebat S. Philippus Nerius.

187. Q. Quid notandum circa correctiones, et obligationes pœnitenti injungendas?

℟. Cautus sit Confessarius in correctionibus faciendis; et *confitentem non reprehendat*, ut monet Rituale, *nisi finita confessione*. Et, si vel ob impudentiam in se accusando; aut aliis justis de causis inter confessionem debeat pœnitentem corrigere; statim *fiduciam ei præbeat*, verbisque humanioribus ei *suggerat*, *ut omnia sua peccata rite, et integre confiteatur*. Imo confitentem nec interrumpat, *nisi opus fuerit aliquid melius intelligere*. Ac, si aliquam obligationem injugere ei debeat, ut odia deponendi, famam restituendi, damna resarciendi, occasionem vitandi etc.; ne faciat, nisi pariter confessione finita, et cum pœnitenti nihil aliud dicendum supersit: ne aliquod peccatum hujusmodi obligationes inducens præ timore occultet.

188. Q. In quo consistit *cautela* in conversando?

℟. Cum sit valde suspicandum, quod pœnitentes, etiamsi eximiæ sint virtutis, ac pietatis; insana verecundia præpediti, ita suadente diabolo, occultent, aut saltem difficulter manifestent aliquam miseriam propriæ animæ Confessario illi, quem sæpe vident, et tractant; cautus sit Confessarius in illis invisendis. Et si ob gravem infirmitatem, aut aliam necessitatem, utilitatem, aut

etiam ob simplicem urbanitatem in eorum domos accedat, memor sit decoris Sacerdotalis, a confidentiis abstineat; et proprio officio completo, urbaniter se dimittat, et exeat. Et ita faciendo, quot sacrilegia evitabuntur; et in pœnitentibus magis atque magis reverentia crescet erga suum Patrem spiritualem.

189. Q. In quo consistit *cautela in loquendo?*

℟. Cautus sit Confessarius; nec loquatur de rebus auditis in confessione, nec de confessionibus auditis. Quam turpe, et dedecorum in Sacerdote, si per sex, vel septem horas occupatus fuerit in audientis confessionibus; vel si aliquantulum frigoris, vel caloris tolleraverit, in tot questus prorumpere! Quo magis turpe, etiam coram secularibus, et etiam mulierculis loqui de auditis in confessione cum periculo forsan revelationis indirectæ sigilli sacramentalis. Oh quot animæ ne tot questus audiant, et audiendo tam libere loqui de auditis in confessione, horrorem concipiunt erga hoc tam salutiferum Sacramentum, et in vitiis confirmantur! Abstineat ergo Confessarius ab hujusmodi locutionibus. Et sciens, Christum pro animarum salute sanguinem, et vitam dedisse; gaudeat, si pro iisdem animabus aliquod incommodum debeat ipse tollerare.

Paragraphus V.

De Observatione Sigilli Sacramentalis.

190. Q. Quid est Sigillum sacramentale; et quæ ejus materia?

℟. Sigillum sacramentale est perpetuo obligatio servandi secretum de iis, quæ a pœnitente accu-

sata sunt, aut a Confessario cognita in ordine ad Confessionem sacramentalem. Et hæc obligatio est tam stricta; ut nullo in casu, nec ob mortem vitandam, possit tolli; et Confessarius posset etiam jurare, se nihil scire de auditis in confessione. Communis. Materia autem, seu illa, quæ cadunt sub sigillo, sunt quæcumque etiamsi levissima peccata non solum propria, sed etiam complicis, aliorumve, quæ forsan a pœnitente fuissent manifestata: sunt tentationes, pravæ inclinationes, habitus, occasionesque peccandi: sunt imperfectiones, defectus occulti, etsi naturales; ut defectus natalium, ignorantia, scrupulositas; et quidquid aliud, cujus revelatio displicere posset pœnitenti; aut odiosam redderet confessionem (B. Ligorio, Antoine, Cuniliati, et alii).

191. Q. Quomodo violatur Sigillum sacramentale?

℟. Dupliciter; directe, et indirecte. Violatur *directe*, si aliquod peccatum etc. ex sola confessione cognitum expresse reveletur. Ut qui diceret, aliquem pœnitentem commisisse blasphemiam, mendacium, reservatum, non esse absolutum, gravem pœnitentiam ei imposuisse etc. Item qui diceret, grave peccatum admissum esse, aut talia vitia regnare in aliquo Monasterio, Capitulo, Collegio etc. cujus individuos in confessione audivit; etiamsi personam non nominet. Item qui diceret, in aliqua civitate, aut oppido præsertim angusto, ubi confessiones excepit; gravia crimina perpatrari, multos esse sacrilegos, simoniacos, perjuros, inhonestos, fures, et similia, nisi aliunde constet.

192. Q. Quando Sigillum revelatur *indirecte?*

℟. Quando aliquid dicendo, vel agendo, præ-

betur motivum cognoscendi, aut suspicandi de peccato etc. in confessione cognito: ut qui negaret testimonium bonæ vitæ, aut suffagium in concursu, in capitulo illi, quem ex sola confessione cognovit improbum, aut communiter reputatur probus: qui negaret assistere matrimonio illius, quem ex sola confessione cognovit, aut indispositum, aut habere canonicum inpedimentum: qui ab officio, aut servitio expelleret illum, quem ex sola confessione cognovit defectuosum: qui schedam factæ confessionis, aut sacram Communionem negaret etiam secreto petenti, quia eum non absolvit. Advertat autem Confessarius, ut in hujusmodi schedis efformandis; de sola Confessione audita testificetur, et nullo in casu de data absolutione verbum faciat.

193. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Posset Confessarius *indirecte* violare Sigillum, si pœnitentem tali voce interroget, aut objurget, ut a circumstantibus possit audiri. Ita ergo loquatur, ut a solo pœnitente audiatur. Et si pœnitens sit surdaster; aut ipse, aut Confessarius circumstantes roget, ut se arceant; et sic liberius possit loqui. Notet ultimo Confessarius, posse Sigillum *indirecte* violari etiam voce alta absolutionis formam proferendo: quia circumstantes hujusmodi verba in alicujus pœnitentis confessione non audientes; possunt facile conjicere, illum non esse absolutum. Formam ergo absolutionis secreto pronunciet. Videatur B. Ligorio Lib. VI. n. 654.

194. Q. Numquam ne licet loqui de auditis in Confessione, notitiaque ex hiis habita uti?

℟. Si adsit pœnitentis spontanea, et expressa licentia (quam quandoque ob evitandum grave damnum tenetur ex conscientia dare), licet. Com-

munis. Si autem hæc licentia non adsit; etiamsi ex regula generali fere ab omnibus recepta, ut ait B. Ligorio (Lib. 6. n. 657. circa finem), licitum sit, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum pœnitenti gravamen infertur; cautus tamen sit Confessarius; et, si ob consilium petendum a sapientioribus; aut in concionibus faciendis; aut alia occasione de auditis in confessione loquatur; ne scandalum pariat audientibus; numquam dicat, se audivisse in confessione. Et insuper si is, quem Confessarius consulit, possit in cognitionem venire pœnitentis; absque hujus consensu nihil ei dicat.

195. Q. Quare addidisti: *Nec ullum pœnitenti gravamen affertur?*

℟. Quia, si ex tali locutione, aut notitia habita in confessione aliquod gravamen, et damnum possit pœnitenti evenire; ex Decreto S. C. Inquisitionis anno 1682. auctoritate Innocentii XI. edito; nullo in casu potest ea notitia Confessarius uti. Hinc, si Confessarius sciat ex sola confessione, insidias sibi parari; si talis confessio remaneat secreta, aut pœnitens licentiam det; poterit Confessarius fugere, aut alio modo sibi consulere. Si autem qui Confessarii vitam insidiantur, sciant factam confessionem; et Confessarius suspicetur (ut potest, et debet suspicari), illos in pœnitentem suam iram convertere; non potest fugere, nec sub aliquo prætextu se occultare; sed Deo suam causam committat. Et ob eamdem rationem, ne pœnitens gravetur, et sic odiosa reddatur confessio; Clemens VIII. 26. Maji 1594. pro Superioribus Regularibus decrevit, *ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

196. Q. Cum pœnitente potest ne Confessarius loqui de auditis in confessione ?

℟. Sine spontanea, et expressa pœnitentis licentia extra Sacramentalem Confessionem non potest; nisi pœnitens ipse prior interroget : quia tunc Confessarius posset ad interrogata respondere, sed nihil dicere de aliis auditis. Communis. Hinc, si Confessarius velit, aut debeat aliquem essentialem errorem, aut defectum in audita confessione commissum emendare; debet a pœnitente licentiam petere loquendi de materia factæ confessionis ad salutem animæ suæ pertinente. Et, si pœnitens hanc licentiam deneget; juxta Sanchez, et alios apud B. Ligorio (n. 652.) non posset loqui absque fractione sigilli : quia judicium jam completum est. Et hoc casu deberet Confessarius pro pœnitente orare ; ut, aut hanc licentiam concedat, aut ad suum tribunal redeat; et sic admissos emendare defectus.

197. Q. Quare dixisti : *extra sacramentalem confessionem ?*

℟. Quia in sequentibus confessionibus, justa interveniente causa, bene potest Confessarius, ut Judex, et Medicus, loqui de auditis in aliis confessionibus ; vel ad emendandum aliquem errorem commissum ; vel ad dignoscendum, an habitus extirpatus ; an occasio dimissa ; an odium depositum ; an restitutio facta etc. ; vel ad fortiora remedia sugerenda, meliusque pœnitentem dirigendum, et similia : quia hisce casibus, ut bene notat idem Beatus (n. 653.) censendum est, pœnitentem dare ei licentiam, imo gaudere, quod Confessarius suam quærat utilitatem. Imo, si post datam absolutionem, antequam pœnitens a sacro tribunali recedat, judicet Confessarius aliquid ad-

dendum circa dicta in confessione; absque sigilli fractione potest id facere: quia id spectat ad complementum judicii sacramentalis, quod adhuc censetur durare. Sic Antoine (Tr. de Pœnit. Cap. 2.), B. Ligorio cum aliis, quos citat (n. 652.).

198. Q. Qui ad Sigillum tenentur?

℟. Præter Confessarium tenetur etiam ille, cui Confessarius sacrilege aliquid revelavit. Item qui Confessarium se fingens, alicujus confessionem audire præsumpserit. Tenetur pariter interpres in confessione adhibitus. Tenetur Superior, cui petita sit facultas absolvendi a reservato. Item ille, qui cum venia pœnitentis consultus est pro decisione alicujus peccati. Item illi, qui aliquod peccatum confessum audierint, sive malitiose se accedendo ad confitentem (quod peccatum gravissimum est); sive casu; sive qui ex necessitate pœnitenti adstantes, seu assistentes, ut in naufragio, in conflictu, in quibusdam infirmitatibus etc.; aliquid sub sigillo cadens audierint. Uno verbo tenentur omnes illi, qui vel immediate, vel mediate, licite, vel illicite aliquid audiunt sub sacramentali Sigillo comprehensum. Alios, qui ad Sigillum pariter teneantur, vide apud Auctores.

199. Q. Quomodo peccant, et quibus pœnis subjiciuntur violatores Sigilli?

℟. Violatio Sigilli triplicem habet malitiam; *sacrilegii* contra reverentiam Sacramento debitam; *injustitiæ* ex pacto virtuali inter pœnitentem, et Confessarium de secreto servando. Et hæc peccata, supposita sufficienti advertentia, sunt semper gravia parvitatem materiæ non admittentia. Et malitiam habet etiam *detractionis*: quia revelatur peccatum pœnitentis, quod occultum supponitur. Sic Sporer cum aliis, quos citat, et sequitur B.

Ligorio (n. 635.). Pœnæ autem contra Confessarium sacramentalis Sigilli violatorem sunt (ex Cap. *Omnis utriusque sexus* de Pœnit. et Remis.) *depositio*, *et detrusio in arctum monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam*. Sed hæ pœnæ sunt ferendæ sententiæ.

Caput VI.

De Confessore Monialium.

200. Q. Quid notantum circa Confessorem Monialium?

℟. Varia sunt notanda. 1.° quod extra casum necessitatis non omnis Confessarius, sed ille tantum, qui pro illo monasterio deputatus est ab Episcopo, potest monialium, aliarumque in Clausura degentium confessiones excipere: etiamsi Monasterium subjectum sit Regularibus ex Const. *Inscrutabilis* Gregorii XV. Dixi: *extra casum necessitatis:* quia, si aliqua ex illis fuerit repentino morbo correpta in periculo moriendi; tunc in defectu sui proprii Confessarii quilibet alius Confessarius, seu simplex Sacerdos prope Monasterium existens, seu casualiter transiens, poterit ei sacram absolutionem impertiri (Ferraris V. *Moniales* Art. 5. n. 75.) ob regulam generalem, ne Confessarii defectu aliquis pereat (n. 158.).

201. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 2.° quod Confessarius ordinarius monialium, sicut et aliarum Mulierum in Conservatoriis degentium, transacto triennio (et si Confessarius sit Cassinensis, aut Dominicanus, transacto biennio), absque licentia S. Congregationis non potest amplius confessiones audire in eodem

Monasterio, et Conservatorio. Alias declaratur suspensus ab audiendis confessionibus (S. Congr. Episc. 4. Mart. 1591. 27. Mar. 1647. 18. Mar. 1649. 8. Jun. 1657.). Notandum tertio, quod, si ob ministranda sacramenta Clausuram Confessarius ingrediatur; id faciat cum cotta, et stola, comitatus a duabus ex senioribus monialibus, quæ videre possint Confessarium et infirmam se confitentem, rectaque via eat, redeatque, per monasterium non vagando etiam sub prætextu visitandi alias infirmas, quæ sacramentorum administratione non indigeant (ead. 21. Febr. 1617. 29. Jun. 1627. 13. Sept. 1583. Et si Confessarius sit regularis, debet insuper comitatus esse a socio vitæ exemplaris, qui saltem sit annorum quinquaginta. Innoc. XI. in Encycl. 21. Mar. 1682.).

202. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 4.° quod ex probatis Auctoribus (vide etiam infra n. 204. et seqq.) addiscere debet, quæ sint obligationes Monialium, præsertim illarum, quæ habent aliquod officium, in quo consistat observantia quatuor votorum; inquirere, an Abbatissa permittat abusus, in quo graviter posset peccare, ut communiter sentiunt Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 4. n. 13.). Et, si Confessarius in secularium confessione debet esse cautus in interrogationibus circa peccata carnalia; multo magis hanc cautelam adhibebit cum Monialibus. Inspiret potius in eis amorem castitatis, custodiam præsertim oculorum; secularium conversationem fugiendo, et etiam mulierum, quæ non semper honoste loquuntur; crates absque necessitate non accedendo etc. Et, si aliquam particularem amicitiam extra, aut intra Monasterium observet; fortis sit in ea sta-

tim compescenda: ne amicitia forsan innocens a principio in sensualem degeneret.

203. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Si etiam secularium Confessarius scire debet, quomodo per viam perfectionis sint animæ dirigendæ, multo magis id probe callere debet Confessarius monialium, inter quas non raro, et plus quam in sæculo fortunate reperiet, quæ jam per viam perfectionis incedunt; et alias, quas rite adjutas ad hanc beatam vitam potest dirigere. Addiscat ergo ex Auctoribus Asceticis, et præsertim apud Directorium Asceticum, et Discretionem spiritum P. Jo. Baptistæ Scaramelli, quomodo hæ animæ sint dirigendæ; et oh! quot meritis dives ante Deum apparebit. Tandem Confessarii modestia sit semper nota Religiosæ Communitati, et præsertim, quando ob administranda Sacramenta Clausuram ingredi debeat; ut Monialium reverentia semper crescat erga suum Patrem spiritualem; et omnia fiant in charitate Dei.

ARTICULUS III.

De Regularibus.

204. Q. Qui sunt Regulares?

℟. Regulares, seu Religiosi, aut Monachi sunt illæ personæ tam viri, quam mulieres, quæ in aliqua Religione approbata ab Ecclesia, post completum annum decimum sextum ætatis suæ, sicut et post completum annum Novitiatus, seu probationis (Trid. Sess. 25. de Regular. Cap. 15.), spontanee, et libere se Deo consecrarunt, emissis perpetuis votis Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ; et aliis, quæ in aliqua Religione a-

desse possint ; cum animo ibi perseverandi usque ad mortem , et ad perfectionem tendendi.

205. Q. Quare dixisti : *tam viri quam mulieres , et spontanee ?*

℟. Dixi : *tam viri , quam mulieres* : quia sub nomine Regularium comprehenduntur etiam Moniales. Dictum est pariter *spontanee et libere* : quia si quis , vel si quæ per vim , vel metum gravem (vide Lib. I. n. 11.) ab aliquo incussum Religionem sit ingressus , intra quinquennium a facta professione , ut statuit Tridentinum (ibid. Cap. 19.) posset apud Superiorem et Ordinarium reclamare. Quæ autem sint Regularium obligationes , tam quoad vota , quam quoad cetera ; quæ sint eorum privilegia ; quæ iis vetita ; in quibus ab Episcopo dependeant ; et quæ sint speciales obligationes Monialium , in sequentibus Capitibus videbimus.

Caput I.

De Regularium obligationibus.

206. Q. Ad quid tenentur Regulares ?

℟. Tenentur in primis servare vota Paupertatis , Castitatis , et Obidientiæ. Quoad *Paupertatem* Religiosus , vel Religiosa non potest habere dominium , et proprio nomine possidere ullam rem temporalem; et nec vestes . quibus tegitur ; nec illa vilia mobilia , quæ in cubiculo cum Superioris dependentia potest habere. Imo nec potest disponere de livello , aut aliis rebus , quas forsan habeat a propinquis , aut ab alio ; nec de pretio , quod percipit ex suis laboribus , concionibus etc. : sed hæc omnia juxta Tridentinum (ibid. cap. 2.) *statim Superiori tradantur , Conventuique incorporentur.* De his tamen , ut decrevit Sa-

er. Con. . . . Jul. 1585. (ap. Crispino Par 2. §. 42. n. 39.) *Abbatissa de suo arbitrio* (idem intelligendum videtur de alio Superiore Regulari) *prius subveniat necessitati illius, cujus intuitu hi reditus* Conventui *Obvenerunt*; *et quod superest convertat in communem Monasterii usum.* Dictum est: *nomine proprio* : quia Monasteria non solum mobilia, sed etiam immobilia possidere queunt (Trident. ib. cap. 3.).

207. Q. Quid sequitur ex dictis?

℟. Sequitur, quod si Religiosus, vel Religiosa absque licentia Superioris expressa, vel tacita, vel prudenter præsumpta disponit de aliqua re Monasterii, etiamsi sibi donata (nam quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit); vendendo, emendo, commodando, absumendo, destruendo, ludis exponendo, donando, retinendo, et etiam simpliciter utendo, graviter peccaret contra Votum *Paupertatis*; dummodo a parvitate materiæ (vide Lib. II. n. 798., etc. et 809.) non excusaretur. Imo, ut notat Suarez apud Antoine (Tr. de Obligat. Cap. 2. q. 5.), si absque dicta licentia daret aliquid, peccaret etiam contra Justitiam; et ut fur reputaretur: quia auferret a Monasterio quod suum non est. Et insuper, si absque dicta licentia rem aliquam detineret, et cum ea in morte deprehendatur, ex Cap. *Cum ad monasterium* 6. de Statu Monachor. in signum suæ perditionis in sterquilinio extra Monasterium deberet subterrari.

208. Q. Quare dixisti: *tacita præsumpta*?

℟. Quia, si Superior sciens, suum Religiosum aliquid accipere, donare, retinere; nec prohibet, cum facile possit; censetur *tacite* consentire. Secus autem judicandum, si Superior taceat ob ali-

quem humanum respectum, quia ille Religiosus est talis familiæ; quia timet querelas, murmurationes etc.: nam hisce casibus, ut bene notat Antoine (supra), non censetur consentire, sed potius tolerare; et propterea Religiosus a peccato non excusaretur. Quoad *licentiam* vero *præsumptam* non sufficit, quod Superior facile concederet, si peteretur: sed requiritur, ut causa accipiendi, donandi etc. sit urgens, ac Superior non possit adiri, nec expectari. Et hoc casu liceret uti hac *præsumpta*, aut *interpretativa* licentia: ut contra varios sentit S. Thomas, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. IV. n. 17.).

209. Q. Est ne aliud insuper addendum?

℟. Nota, quod, si quis Religiosus, vel Religiosa rem cum licentia acceptam abscondit, ne Superior eam repetat; aut si repetendo, conqueratur tamquam de injuria sibi facta; de Superiore obmurmuraret etc.; peccaret contra Votum. Communis cum Suarez apud Antoine (ibid.): quia illam rem non Monasterii, sed suam propriam reputaret. Notandum denique, quod, etiamsi Tridentinum (Loc. cit. Cap. 2.) velit, nihil Regularibus denegari, quod eis sit necessarium: præcipit tamen eorum Superioribus, ne permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, dedeceat; vel habeant superflua. Et insuper præcipit, quod si quis aliter fecerit, biennio voce activa, et passiva privatus sit; et juxta suæ Regulæ, et Ordinis Constitutiones puniatur. Ne autem in re tanti momenti erretur, unusquisque Regularium sui Ordinis Constitutiones ab Ecclesia probatas perpendat; et timoratorum exempla sectetur.

210. Q. Quid importat Votum Castitatis?

℞. Quod supra (n. 22.) dictum est de Clericis in Sacris, idem dici debet de Religiosis professis etiamsi non ordinatis; et de Monialibus. Et sicut Clerici in sacris nulliter matrimonium contraherent; et peccando contra Castitatem etiam solis actibus internis, duplex specie diversum peccatum committerent in confessione explicandum; luxuriæ scilicet, et sacrilegii: sic Religiosi tam viri, quam moniales similiter peccarent. Imo, si Religiosus fuisset Sacro Ordine insignitus; ut sentit Antoine (Loc. cit. q. 6.), gravius sacrilegium committeret: quia duplex Votum violaret. Si ergo Religiosi sicut et Clerici, mentis, et corporis Castitatem velint servare; consortium fugiant mulierum etiam devotarum, quæ *faciunt apostatare sapientes* (Eccl. 19. 2.): otium evitent, quod *multam malitiam edocet* (Eccl. 33. 29.): magni faciant Orationem, sine qua (Sap. 8. 21.) castitas haberi non potest. Et meminerint S. Hieronymi monitum, quod *venter vino æstuans spumat libidinem*.

211. Q. Quid importat Votum *Obedientiæ*?

℞. Importat, quod Religiosus, et Religiosa tenetur obedire in iis omnibus, quæ sunt juxta Legem Dei, juxta Vota, Regulam, Constitutiones, et Statuta Religionis probata ab Ecclesia. Insuper tenetur obedire Superiori in iis, quæ possunt conducere ad bonum gubernium status religiosi; etiamsi præciperet aliquid cum periculo vitæ; ut assistere Fratribus peste infectis, et similia: quia ad bonum Religionis regimen spectat (ut notant Suarez, et alii, quos citat, et sequitur Antoine ibid. q. 7.); quod Religiosi in necessitate sibi mutuo subveniant. Et ad hanc obedientiam tenetur, etiamsi quis dubius sit, an aliquid reapse condu-

cat nec ne ad bonum gubernium: quia in dubiis standum est judicio Superioris. Et generatim obedire tenetur in omnibus, quæ Superior explicite, vel implicite; directe vel indirecte præcipit, tum ad observantiam Regulæ, cum relate ad ea, quæ credit moraliter necessaria ad præcavenda peccata et scandala; et ad institutum Ordinis in suo vigore servandum.

212. Q. Quomodo peccatur non obediendo?

℟. Si Religiosus, vel Religiosa transgrediatur Regulam vel quoad vota, vel quoad præcepta gravia; vel quoad bonum regimen Religionis in materia gravi, peccat graviter. Communis. Si violet præceptum leve, vel grave in materia levi, peccat leviter; dummodo non transgrediatur ex contemptu: quia tunc peccaret graviter (S. Thom. 2. 2. q. 186. n. 9. in corp.). Et idem dicendum in praxi de Regula, quæ non obliget ad culpam, sed tantum ad pœnam ob aliquam inordinationem, quæ plerumque evenit. Ita Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Antoine (ibid. q. 8.). Imo, si Regulam, etsi non obligantem ad culpam, frequenter, et ex habitu violaret; posset peccare etiam graviter; præsertim ob grave damnum, quod affert Religioni, suo malo exemplo alios inducendo ad Regulæ laxitatem; religiosam disciplinam graviter perturbando; et intolerabilem se reddendo.

213. Q. Quid dicendum, si Regularis suo Superiori non obediret?

℟. Si Superior nudis verbis aliquid præcipiat, vel vetet; etiamsi Regularis posset graviter peccare ob transgressionem Legis divinæ, vel ob damnum, quod Religioni, vel alteri, posset afferre, aut aliis motivis: leviter tamen peccaret contra Votum. Ita Suarez, et alii apud B. Ligorio (Lib.

4. n. 38.). Si autem Superior præcipiat aliquid grave, ut explicatum est n. 211. et præcipiat in virtute sanctæ Obedientiæ, vel in nomine Jesu Christi, vel alia simili forma suam absolutam voluntatem exprimente; tunc Regularis inobediens graviter peccaret etiam contra Votum. Sicut graviter peccaret, si ex contemptu Superioris non obediret, dicendo ex. gr. *Nolo parere*, *Nolo facere*, et similia; vel repugnando obedire præcepto Superioris, vel Regulæ, quia illi Superiori, vel Regulæ non vult subjici; aut illud præceptum credit esse inutile, vel inane etc.; quia tunc contemptus ille in Deum ipsum redundaret, juxta illud Luc. 10. 16. *Qui vos spernit, me spernit.*

214. Q. Ad quid aliud tenentur Regulares?

℟. Præter quotidianam divini Officii recitationem juxta proprias Constitutiones; debent insuper tendere ad perfectionem. Quamvis enim, ut inquit S. Thomas (2. 2. q. 186. a. 1. ad 3.), *non oporteat, ut quicumque est in Religione, jam sit prefectus*; *oportet tamen, ut ad perfectionem tendat.* Et quamvis ad hanc obtinendam *non teneatur Religiosus* juxta mentem S. Doctoris (ibid. in corp.) *ad omnia exercitia*, *quibus ad perfectionem pervenitur*; tenetur tamen *ad illa*, quæ *determinate sunt ei taxata secundum Regulam*, *quam professus est.* Ut igitur Regulares ad optatam perfectionem possint tandem pervenire; servent Regulam; evitent peccata deliberata, etiamsi venialia; vacent Orationi; cohibeant effrænes passiones; proprios sensus mortificent; abnegent semetipsos; tollant suam crucem quotidie, et Christum sequantur: ut post mortem Christo ipso possint frui in æternum.

215. Q. Quomodo peccant Regulares, si ad Perfectionem non tendant?

℟. Ex citatis, et aliis textibus Angelici Doctoris, multi graves Doctores, quos citat, et sequitur Cuniliati (Tract. 16. Cap. 1. §. 2.), deducunt, semper peccare graviter; et hanc sententiam mordicus defendit idem Professor. Alii autem Doctores, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. IV. n. 10. et 11.), ex alio textu S. Doctoris (ibid. a. 2. ad 1.) communius sentiunt, tunc Regularem contra Professionem graviter peccare, quando, vel nullo modo curat ad perfectionem tendere; vel in materia gravi tria vota transgreditur, ut subdit a. 9. in Corp.; aut alia Regulæ præcepta ex contemptu non vult observare. Ibi enim legitur, contra Professionem operari, *si contemnet ad perfectionem tendere; et ex contemptu* alia Regulæ præcepta transgrediatur.

Caput II.

De iis, quæ Regularibus vetantur.

216. Q. Quid Regularibus vetatur?

℟. Quædam vetantur absolute, quædam conditionate. Vetatur *absolute* 1.° negotiatio quæstuosa, ut supra (n. 43. et seqq.) dictum est de Clericis secularibus. 2.° Non possunt condere testamentum nec de licentia Superioris. Communis, et certa (Cap. *Quia ingredientibus* 2. de Testam. et Can. *Quia ingredientibus* 7. Caus. 19. q. 3.): quia ob Votum Paupertatis Regulares nihil habent, de quo possint disponere. 3.° Non possunt esse compatres, seu patrini, et matrinæ, nec per procuratorem (Cap. *Non licet* 103. de Consecr. dist. 4.). Et pro Monialibus declaratum fuit etiam a S. C. Conc. 3. Octobris 1677. 4.° Vetatur eis

inducere quemcumque ad eligendam sepulturam in eorum Ecclesiis sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ (Clement. *Cupientes* 3. de Pœnis).

217. Q. Vetatur ne aliud?

℟. Maxime. 5.° Vetatur viris Religiosis admittere mulieres etiam parvulas intra clausuram, quæ ex Const. S. Pii V. *Romanum Pontificem* 16. Jul. 1560. essent ipso facto excommunicatæ excommunicatione Papæ reservata. Et quoad Religiosos, qui eas admittere præsumunt; sive id faciant cum prætextu, sive absque prætextu facultatum; præter pœnas Suspensionis a divinis, et inhabilitatis ad alia Officia latas a S. Pio V.; incurrerent etiam ipsi Excommunicationem eamdem latam a Gregorio XIII. in Const. *Ubi gratiæ*; et fuit etiam declaratum a S. C. Episc. et Regul. (ap. Ferrar. V. *Conventus* Art. 3. n. 8.). Cum autem mulieribus de stirpe regia permittatur, seu potius toleretur, ut cum sua honesta comitiva possint intrare, et devote visitare Monasteria virorum; ut videre est apud Ferraris (Loc. cit. n. 21. et 22.); permittitur Religiosis eas admittere. Quoad fundatrices vero et alias vide Constit. *Regularis disciplina* Benedicti XIV. (ibid. n. 36.). Et quoad Clausuram Monialium vide infra n. 227.

218. Q. Quid aliud Regularibus vetatur?

℟. Vetatur eis sub gravi, et sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ (Syn. Diœc. L. 8. C. 4. n. 7.) ministrare Viaticum, et extremam Unctionem secularibus infirmis, etiamsi in eorum Conventibus hospitentur (Clement. *Religiosi* 1. de Privileg.); et sepius declaravit S. C. Conc. (ap. Ferrar. ibid. Art. 2. n. 13.). Accedente autem licentia Parochi, vel Episcopi, possunt;

sicut et possent in mortis articulo, Parocho absente. 2.° Vetatur transire ad aliam, etsi strictiorem Religionem sine licentia Sedis Apostolicæ (Const. *Licet* Bened. XIII. 5. Febr. 1726.). 3.° Vetatur eis absque Parochi licentia canere Missas in Ecclesiis intra limites Parochiæ erectis; etiamsi vocati sint a prioribus, et Officialibus earumdem Ecclesiarum. Sic S. C. Conc. 10. Mar. 1727. ad 3. 4.° Vetatur eis absque licentia Episcopi accedere ad Monasteria Monialium etiam sibi subjectarum, et cum ipsis loqui; et transgressores possunt ab Episcopo puniri. Sacra C. Conc. approbante Urbano VIII.

CAPUT III.

De iis, in quibus Regulares Episcopo subjiciuntur.

219. Q. In quibus Regulares Episcopo subduntur?

℟. Si quis Regularium exerceat animarum curam super personas seculares; in iis, quæ ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent; jurisdictioni, visitationi, et correctioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi existit, immediate subditur (ex Const. *Inscrutabilis* Gregor. XV.). 2.° Regulares subduntur Episcopo quoad Prædicationem; ita ut, contradicende Episcopo, nec in propriis Ecclesiis concionari possunt. Et delinquentes potest Episcopus punire etiam per censuras, aliasque pœnas (ex cit. Constit.); et etiam eis interdicere munus prædicationis. S. C. Conc. approbante Innoc. X. in Const. *Cum sicut accepimus* ad 10.

220. Q. In quibus aliis Regulares Episcopo subjiciuntur?

℟. Subduntur 3.° in audiendis confessionibus secularium, etiamsi Sacerdotum: ita ut quamvis aliquis Regularis approbatus sit in una Diœcesi; non potest in alia illas audire absque approbatione Episcopi Diœcesani cum limitationibus, quæ ipsi placent. Vide Benedictum XIV. in Synod. Diœc. Lib. 9. Cap. 16. n. 7. Et delinquentes posset Episcopus, ut supra, coercere, et punire, et eis interdicere administrationem Sacramenti Pœnitentiæ (ibid.). 4. Subsunt quoad Ordinationem cum prævio examine (Trident. Sess. 23. Cap. 12. de Ref.). Hinc, nisi gaudeant privilegio a Papa alicui Religioni post Concilium Tridentinum nominatim concesso, Prælati Regulares debent dirigere Dimissorias Episcopo Diœcesis, in qua Regularis ordinandus domicilium habet. Et tunc ab alio Episcopo posset ordinari; quando Episcopus Diœcesanus, attestante per modum authenticum Vicario Generali, vel Cancellario, vel Secretario ipsius Episcopi, absit, aut Ordinationes non habeat. Sic post varios Pontifices constituit Benedictus XIV. in Constit. *Impositi* 27. Febr. 1747. Et quoad Interstitia solus Episcopus ordines collaturus absque dicto privilegio potest dispensare; ut ex pluribus Decretis S. C. Conc. apud Synod. Diœc. ibid. n. 6.

221. Q. Sunt ne alia, in quibus Regulares subsint Episcopo?

℟. Dependent 5.° in publica expositione SS. Sacramenti, quæ a Regularibus nec in eorum Ecclesiis fieri potest *nisi ex causa pubblica, quæ probata sit ab Ordinario*. S. C. Conc. 17. Aug. 1630. Imo tenentur parere Episcopo præcipienti, ne in eorum Ecclesiis exponatur insolita Imago, aut nova Reliquia ab ipso non adprobata. Et in-

obedientes etiam per censuras posset cogere. S. C. Conc. 5. Jul. 1700. 6.° Dependent pro alloquendo cum monialibus, aliisque intra clausuram degentibus, et etiam in Monasteriis sibi subjectis; cum quibus etiamsi consaguineis in 1. gradu non possunt Regulares alloqui absque Episcopi licentia nec per breve tempus, nec per honestam, et rationabilem causam; etsi aliquis eorum conciones habuerit ad Moniales. Et delinquentes præter gravem culpam subjacent Excommunicationi, privationi vocis activæ, ac passivæ, aliisque pœnis ab Ecclesia statutis; et possent ab Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri. S. C. Conc. approbante Clemente IX. 11. Maj. 1669. 26. Nov. 1672. 21. Maj. 1678. Et S. Cong. Episc. 23. Jul. 1649.

222. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Utique. Tenentur 7.° Regulares obedire Episcopo in iis omnibus, quæ juxta Decretum Tridentini Sess. 22. Episcopus præcipit observanda, vel evitanda in celebratione Missæ. 8.° Invitati ab Episcopo ad publicas Processiones, debent accedere. Imo ex Tridentino (Sess. 25. de Regul. Cap. 13.) possunt compelli. 9.° Si in Regularium Conventibus bis in hebdomada Lectio non habeatur Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ ad præscriptum Clementis VIII.; tunc ex mandato Benedicti XIV. 8. Nov. 1752. etiam Confessores Regulares intervenire debent Conferentiis Casuum moralium ab Episcopo statutis. 10.° Subduntur Episcopo pro audiendis confessionibus Monialium sibi etiam subjectarum (Gregor. XV. in cit. Const. *Inscrutabilis*). 11.° Ex Tridentino (ibid. Cap. 12.) servare debent Festa ab Episcopo instituta, et censuras tam a Sede Apostolica, quam

ab Ordinario promulgatas publicare, et servare.

223. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Ex eodem Tridentino (ibid. Cap. 11.) tenentur 12.° Regulares obedire Decretis Synodalibus in iis, quæ Curam animarum, et Sacramentorum administrationem respiciunt. Quinimo Suarez (Lib. 4. de Legib. Cap. 20. n. 10.) sentit, ad evitanda scandala teneri etiam ad alia Decreta, etiamsi non semper sub gravi, et cum tanto rigore, sicut seculares, qui Episcopali jurisdictioni plene subdundur. 13.° Ex citata Const. Gregorii XV. subduntur punitioni Episcopi, si violent sacramentale sigillum Confessionis; aut si sollicitent pœnitentes, aut doceant, non teneri ad denunciandos Confessarios sollecitantes. Et omissis aliis casibus, quos videre licet apud Auctores. 14.° Si Superior Regularis severe non puniat delinquentes extra claustra cum populi scandalo (Trid. ib. Cap. 14.), possunt ab Episcopo puniri. Denique notandum, Conventus intra Italiam existentes, in quibus saltem quinque Religiosi non aluntur, Episcopi jurisdictioni esse subjectos. Ita in Decreto *ut in parvis* Innoc. X. 10. Febr. 1654. Vide Syn. Diœc. Lib. 3. Cap. 2. n. 1. et 5.

Caput IV.

De Privilegiis Regularium.

224. Q. Quænam sunt Regularium Privilegia?

℟. Multa sunt, quæ licet videre apud Auctores, præsertim apud B. Ligorio (Lib. I. Append. 2. Cap. 5.). Communiora referam. 1.° Si Religiosorum Conventus, qui intra Italiam, et Insulas adjacentes existunt, habeant saltem sex Religio-

sos, ex citato Decreto *Ut in parvis* (num. præc.) ab Episcopi jurisdictione eximuntur. In Capite præcedenti tamen vidimus, in quibus subduntur Episcopis. 2.° Ob diversas concessiones eis factas a Summis Pontificibus, quas in suo robore persistere declarat Benedictus XIII. (Conc. Rom. Tit. 5. Cap 2.), cum dimissorialibus proprii Superioris, ut supra (n. 220.) explicatum est, possunt Regulares etiam extra Tempora ordinari aliquo die festivo. 3.° Quod regulares ad excipiendas confessiones non solum Corréligiosorum, sed etiam illorum secularium, qui sunt de familia, et continui commensales in suis Conventibus; non indigent adprobatione Episcopi; sed sufficit approbatio solius Prælati Regularis. Communis ex Decreto S. C. Conc. 14. Aug. 1568.

225. Q. Quænam sunt alia Privilegia?

℟. Quartum Privilegium est, quod si Religiosi peregrinantes Confessorem ejusdem Ordinis non habeant, juxta concessionem Innocentii VIII. (ap. B. Ligorio sup.) *quæcumque alium Præsbyterum idoneum Religiosum, vel Secularem eligere valeant*; etiamsi ab ordinario illius loci non sit adprobatus; ut communissime tenent Suarez, et alii (ibid.). 5.° Quod Religiosi prævio examine approbati ab Episcopo ad audiendas secularium confessiones; etiamsi possint iterum examinari ab Episcopo successore, non possunt tamen ab eodem Episcopo, nec a Vicario Capitulari, et multo minus a Vicario Generali. Sic S. Pius V. Const. *Romani Pontificis* 6. Aug. 1571. et S. C. Conc. 8. Jun. 1599. ap. Ferrar. V. *Approbatio* Art. 1. n. 49. 50. 57. 59. Nec ante finitum tempus approbationis possunt ab eodem Episcopo suspendi, *nisi nova superveniente causa, quæ ipsas con-*

fessiones concernat. Sic Clemens X. in Const. *Superna* (ibid.).

226. Q. Regulares habent ne alia Privilegia?

℟. Multa sunt Privilegia, quæ a Summis Pontificibus concessa sunt Regularibus, et quoad absolutionem a peccatis, et censuris reservatis; et quoad dispensationem in votis etc. Sed sicut varia ex his Privilegiis non certo sunt expressa, et alia a subsequentibus Pontificibus revocata: hinc ut sapienter advertit Auctor Notarum ad Ferraris (V. *Prælatus Regularis.* Nota (a) ad n. 20.), pii, doctique Regulares, ne frustrationis periculo absolutionem exponant, *nec uti, nec usuros esse Privilegiis, nisi ea certo sint expressa; et ita cognita, ut in Constitutionibus Pontificiis extent, nec sint revocata.* Et denique Regularium Confessarios monet, *ne obtentu Privilegiorum seculares absolvant a votis, ad petendum debitum conjugale* etc. *nisi certo eis constet, habere hæc Privilegia.*

CAPUT V.

De Monialibus.

227. Q. Quid notandum circa Moniales?

℟. Præter obligationes aliis Regularibus communes, de quibus supra a n. 206. ad 215., alias sibi proprias habent. Et 1.° tenentur ad Clausuram, ita ut, nisi aliquod Monasterium particulares habeat Costitutiones; Monialis e Clausura temere egrediens (exceptis casibus a Jure expressis), etiamsi per breve tempus, et per unum, aut alterum palmum toto corpore exeat, præter alias pœnas incurrit ipso facto Excommunicationem Papæ reservatam. Sic expresse statuit S. Pius

V. (Const. *Decori, et honestati* 1. Febr. 1570.). Et hanc Excommunicationem incurreret non solum Monialis egrediens, sed ex eadem Constitutione etiam quicumque, vel quæcumque licentiam exeundi concederet, comitaretur, vel receptaret. Notat tamen Ferraris cum aliis, quos citat) V. *Moniales* Art. 3. n. 9.), quod si post illicitum egressum, aliquis absque ulla cooperatione eam comitaretur, reciperet, vel, ut ejus castitati consulat; vel etiam gratia urbanitatis, consanguinitatis etc.;) Excommunicationem non incurreret.

228. Q. Quare dixisti: *Exceptis casibus a Jure expressis?*

℟. Quia casus dari possunt, in quibus ex dicta Constitutione Moniales licite egredi possunt, scilicet *ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ*, idest ut explicant Doctores (Ferrar. sup. n. 27.) si tali morbo Monialis sit infecta, ut si non exeat, aliæ evidenti periculo similis infectionis subjiciantur. Et denique ex infirmitate *epidemiæ*, seu morbi pestilentialis, qui facile possit ad alias diffundi cum manifesto periculo mortis. Et quia dari possunt casus consimiles, imo urgentiores, ut ob ruinam Edificii, ob inundationem fluminis etc., ex L. *Si mora*, verbo *Dumtaxat.*, ff. *Soluto matrimonio* inferunt varii Doctores (ibid. n. 28.), etiam hisce casibus posse licite egredi. Quocumque autem casu moniales egrediantur, semper requiritur (citat. Const.) licentia Ordinarii; et si Monasterium subjectum sit Regularibus, requiritur insuper licentia Prælati Regularis; dummodo periculum non sit in mora, nec tempus suppetat dictam licentiam petendi; quia tunc possent exire, statim certiorato Superiore. Vide Ferrar. ibid. n. 29. etc.

229. Q. Quid notandum circa Moniales egressas?

℟. Notandum, quod, sive ex supradictis motivis egressæ sint, sive alio motivo de licentia tamen Sedis Apostolicæ egrediantur; semper tenentur ad observantiam Votorum, et ad implendas alias obligationes, quæ etiam extra Monasterium possunt impleri; ut recitatio divini Officii, aliarumque precum; singulis saltem mensibus ad Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucaristiæ accedere, ut præscribit Tridentinum (Sess. 25. de Regul. Cap. 10.), et similia. Et, si moretur illa Monialis in alio Monasterio; ipsius Constitutiones servet; et ubicumque reperiatur, habitum monasticum non exuat, ut advertit Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 12. n. 30.): et meminerit, ubique se esse Monialem; et, si alias obligationes Sedes Apostolica injunxerit, fideliter exequatur. Præsertim vero meminerit, quod ex citata Constitutione S. Pii V. expleta causa egressus; sub gravi tenetur ad proprium Monasterium se recipere.

230. Q. Est ne licitus ingressus exterorum in Clausuram Monialium?

℟. Minime. Et quæcumque persona cujuscumque generis et conditionis, sexus, ætatis (Trident. ib. Cap. 5.) Clausuram ingrediatur sine Ordinarii licentia in scriptis obtenta, ipso facto excommunicationem incurrit. Et, si Monasterium subjectum sit Regularibus, requiritur etiam licentia Superioris Regularis: dummodo, ut concessit Urbanus VIII. 21. Maj. 1630., non adsit consuetudo, ut a solo Ordinario hæc licentia obtineatur. Hæc autem Excommunicatio ex dispositione Gregorii XIII. et Pauli V. reservata est Papæ; etiam-

si ingressus non sit ad malum finem, nec sub prætextu licentiarum, ut declaravit ipse Gregorius S. Carolo Boromæo; et hæc est praxis sacræ Pœnitentiariæ. Vide Ferrar. ib. n. 49. Et hanc Excomunicationem incurrunt non solum ingredientes, sed etiam introducentes, invitantes, recipientes; etiamsi persona introducta fuerit infans cujusvis ætatis et sexus (S. C. Episc. 7. Apr. 1579.).

231. Q. Datur ne aliqua exceptio?

R/. Cum Imperatores, Imperatrices, Reges, et Reginæ ratione excellentiæ, et dignitatis non comprehendantur in dispositionibus odiosis Juris communis, nisi exprimantur; Suarez cum multis aliis (ap. Ferrar. ib. n. 53.) inferunt, eos cum eorum filiis, et filiabus, et decenti eorum comitivà, licite posse ingredi in Monialium Monasteria etiam sine licentia. Et hæc est praxis universalis: etiamsi Barbosa cum Bonacina (ibid.) contrarium teneant. Et ab incursu Excomunicationis, aliarumque pœnarum excluduntur etiam personæ, quæ necessariæ sunt vel ad extinguendum incendium, vel ad succurrendum in aliis casibus repentinæ ruinæ, si tempus non suppetat ad expostulandam necessariam licentiam. Sic S. C. Episc. Regul. 17. Dec. 1601. et 21. Mar. 1602.

232. Q. Liberum ne est Superioribus ingressum concedere intra Clausuram?

R/. Minime: imo ex eodem Tridentino (loc. cit.) prædicti Superiores non possunt hanc licentiam concedere; nisi in casibus necessariis, et pro illis rebus, et operibus, quæ extra clausuram fiori non possunt. Communis. Notent tamen Medici, Chirurgi, Ministri, factores, artifices, aliique operarii, qui Clausuram intrant, non posse libere vagari per Monasterium; nec ibi sumere cibum,

vel potum, et multo minus dormire: sed recto tramite procedere ad exequendum proprium officium; quo completo, statim exire. Quinimo qui habet licentiam pro uno servitio, non potest ingredi ad aliud servitium præstandum sub pœna violatæ Clausuræ, idest prædictæ Excommunicationis: licentia enim non se extendit ultra opera suæ artis. Quæ autem debeat observare Confessarius, vide quæ supra diximus n. 200., et seqq.

233. Q. Quid dicendum de Educandis?

℟. Multa requiruntur. 1.° Ut Monasterium locum habeat pro Educandis segregatum a Monialium, et Novitiarum dormitorio. 2.° Ut absque licentia speciali S. Congregationis non possunt ipsæ admitti infra septimum annum; nec retineri ultra vigesimum quintum ætatis suæ. 3.° Ut Educanda non recipiatur absque consensu Superioris (n. 230.), et majoris partis Monialium per secreta suffragia. 4.° Ut Educanda teneatur ad Clausuram adinstar Monialium: ita ut, si semel egrediatur, non possit ad idem Monasterium recipi, nisi revertatur cum animo sacrum habitum recipiendi. 5.° Ut detur, imo fiat obligatio dandi anticipate in sigulis semestribus pecunia statuta pro alimentis. 6.°. Ut sub pœna violatæ Clausuræ non recipiatur absque licentia S. C. Episc. Regul. Vide Jura ap. Ferrar. V. *Moniales* Art. I. Hic autem nota, quod ancillæ pro inserviendo Monialibus infirmis, aut pro domesticis servitiis Monasterii (sed non Monialis particularis) sufficit licentia Superioris (Ferrar. ib. n. 50. 51.).

234. Q. Quid notandum circa Novitias monachandas?

℟. Requiritur 1.° Ut Novitiæ degant sub cura Magistræ in habitatione particulari. 2.° Ut mulier

non recipiatur ad habitum religiosum absque consensu Superioris, et majoris partis Monialium per secreta suffragia. 3.° Ut antequam habitum recipiat, sicut et antequam profiteatur, ab Episcopo, aut ejus deputato Novitiæ voluntas exploretur; an scilicet libere; an coacta habitum suscipiat. Et hic nota, quod Tridentinum (loc. cit. Cap. 18.) prohibet sub pœna Excomonicationis extra casus a Jure expressos mulierem cogere, vel concurrere ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem: sicuti anathemati subjicit eos, qui absque justa causa mulierem impedierit ad vota emittenda. Requiritur denique, ut non profiteatur ante annum 16. ætatis suæ completum, et post completum annum Novitiatus. Vide Jura ibid. n. 64. etc.

235. Q. Liberum ne est loqui cum Monialibus?

℟. Generaliter loquendo, nequaquam, nisi, ut legitur in Cap. *Periculoso* unico de Statu Regul. in 6. *rationabilis causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia*. Et absque hac Superioris licentia vetita est locutio non solum cum Monialibus, sed etiam cum aliis mulieribus intra Clausuram degentibus (S. C. Conc. 11. Maj. 1669. annuente Clem. IX.). Et ex alio Decreto ejusdem S. C. 26. Jun. 1627. Ordinarius potest Excommunicationem imponere non solum contra alloquentes sine licentia, sed etiam contra Moniales. Ipsisque Episcopis aliisque Prælatis extra propriam Diœcesim, et jurisdictionem vetitum est cum iis loqui absque licentia Ordinarii (Const. *Gravissima* Bened. XIV. 31. Oct. 1749.). Dictum est *generaliter loquendo*: quia Confessarii Monialium etsi Regulares, et Superiores Regula-

res, ac Visitatores absque dicta licentia possunt cum supradictis sibi subjectis loqui. Ita S. C. Episc. 27. Sep. 1641. Et hoc est pariter permissum secularibus (quoad Regulares vide sup. n. 221.) quoad sibi conjunctas in primo, vel secundo gradu. Sic decrevit ead. S. C. 10. Febr. 1599. Quoad alia vide Ferrar. V. *Moniales*, et alios Auctores.

ARTICULUS IV.

De obligationibus eorum, qui laicalia munera exercent.

236. Q. Qui censentur hæc munera exercere?

R. Multi sunt, et non solum laici, sed quandoque etiam Ecclesiastici, qui hæc laicalia munera solent exercere. Sed nos de illis tantum loquemur, qui etiam in parvis oppidis, et pagis possunt Confessario, et Theologo se sistere: ut sunt Judices, aliique, qui in foro versantur; militares; Professores sanitarii; Syndaci, aliique, qui in Communitatum regimine sunt addicti; Administratores, Negotiantes, Artifices, Agricolæ, Pastores etc. Omissis tamen illis, de quibus jam locuti sumus in Lib. II. agendo tam de IV. Decalogi Præcepto a n. 467. ad 537. quam de Contractibus a num. 658. ad 761., de reliquis in hoc Articulo agemus. Sit igitur.

Caput I.

De Judice.

237. Q. Quæ dotes requiruntur in Judice?

℟. Cum Judex judicare debeat de fortunis, honore, et de ipsa hominum vita; hinc, ut suo muneri possit recte satisfacere, præditus esse debet scientia, et morum probitate. Debet in primis habere *scientiam* Legum tam generalium, quam nationalium, consuetudinum receptarum, regularum in materia juris, et justitiæ etc. Et hæc scientia, et cognitio est Judici necessaria, tum ut sciat, an super illas causas, et personas habeat auctoritatem; tum, ut juxta Legem etc., et aliquoties secundum ejus spiritum possit judicare; tum, ut artes, et astutias Advocatorum dignoscat, qui aliquando res etsi perspicuas ita involvunt; ut certa ab incertis vix possint secerni; tum, ut ordinem legalem in processibus formandis queat observare, et sic juxta allegata, et probata rectam possit ferre sententiam.

238. Q. Quid sequitur ex dictis?

℟. Sequitur, quod, si quis petat, aut suscipiat, aut exerceat officium Judicis absque sufficienti scientia, et idoneitate, graviter peccat. *Singuli* enim, ut inquit S. Thomas (1. 2. q. 76. a. 2.) *tenentur scire ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant.* Et proinde, si ex imperitia male judicet; quamvis putet, se recte judicare, tenetur compensare totum damnum litigantibus obveniens, sive in substantia litis, sive in supervacaneis impensis. Ut enim legitur in Cap. ultimo de injuriis: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata; aut hæc imperitia tua, sive negli-*

gentia evenerunt; *jure super his satisfacere te oportet*. Et insuper errorem commissum tenetur emendare. Et, si hujusmodi inscius Judex officio non renuntiet, aut saltem sufficientem scientiam brevi acquirere non possit, et conetur; utpote indispositus, absolvi non debet. Ita S. Thomas (2. 2. q. 66. n. 2.). Vide Antoine Tract. de Obligat. Cap. V. §. 1.

239. Q. Quid agendum a Judice, si jus non sit clarum?

℟. Si omnibus perpensis, rationes, et probationes utriusque partis appareant Judici æque probabiles, et æquales; fuerunt quondam aliqui Doctores, qui dicebant, posse Judicem *pecuniam accipere proferenda sententia in favorem unius præ alio*. At hæc tam laxa sententia fuit jure proscripta ad Alexandro VII. (Prop. 26.); et propterea non sequenda. Hinc generaliter loquendo in hoc casu dicunt communiter Doctores (ap. B. Ligorio Lib. 4. n. 210.) rem, aut ejus pretium esse omnino dividendum, vel compositionem inter litigantes suadendam. Dictum est: *generaliter loquendo*: quia si agatur de delictis, aut de meo, et tuo; in pari causa pro reo, et possessore est judicandum: quia nemo condemnandus, nisi constet de crimine; neque re sua spoliandus, ni constet, rem non legitime possideri. Aliter Judex periculo se exponeret condemnandi innocentem; et legitimum possessorem re sua spoliandi. Sic clare legitur Cap. *In pari* 65. de Regul. jur. in 6. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*. Et in pari causa judicatur etiam pro parte favorabili, quando agitur de causa liberali, ex. gr. matrimonii, libertatis, dotis, testamenti (Cap. *Ex literis* 3.de probation.).

240. Q. Quid dicendum, si rationes non sint æquales, vel aliquis casus in jure non sit expressus?

℟. Si omnibus perpensis, rationes, et probationes utriusque partis non sint æquales; tunc Judex tenetur judicare secundum opinionem, quam probabiliorem credit (Lib. I. n. 64.). Et contrarium dicentes ab Innocentio XI. (prop. 2.) damnati fuerunt: quia Judex secundum merita causæ, et pro eo, qui fortius jus habet, debet judicare. Sed non obstante hac Innocentii XI. declaratione, ne Judex periculo se exponat condemnandi innocentem; et legitimum possessorem re sua spoliandi, ut dictum est numero præcedenti; etiamsi actor rationes probabiliores, sed non convincentes pro se habeat; dicunt communiter tot Doctores (ap. B. Ligorio Lib. 4. n. 210. q. 2.) reum non esse condemnandum, nec legitimum possessorem re sua spoliandum: quia hoc casu non debet habere locum Regula juris 65. supra (n. præc.) relata; sed Regula 11. idest: *Cum sunt partium jura obscura* (idest non convincentia), *potius favendum est reo, quam actori.* Si autem aliquis casus in jure non sit expressus; tunc id erit judicandum, quod veritati magis consentaneum videtur.

241. Q. Semper ne Judex debet judicare secundum allegata, et probata?

℟. Regulariter loquendo debet; etiamsi qui juxta allegata, et probata apparet innocens, Judex certo sciat, esse reum; saltem, si sententiam non possit commode differre, et testes alio die diligentius examinare. Communis apud Doctores ex Can. *Judex* 4. caus. 3. q. 7. Ratio: quia ordo juridicus postulat, ut actore non probante, reus damnari non possit. Et quamvis Judex id vellet, ir-

rito conatu tentaret : quia nisi alius adesset testis, Judici non crederetur ; tandem, quia ex duobus malis inevitabilibus minus est eligendum. Porro minus malum videtur, reum non condemnari, quam cum populi scandalo ordinem judicialem perturbari, cujus observatio est tam necessaria ad reipublicæ quietem, et tranquillitatem servandam.

242. Q. Quare dixisti : *reguraliter loquendo?*

℟. Quia, si quis juxta allegata, et probata reus apparet; et Judex privata scientia sciat, illum esse innocentem; tunc distinguendum. In criminalibus, si supposito reo irroganda sit pœna mortis, vel mutilationis, vel alia gravissima pœna corporalis; tunc, ut communiter dicunt tot Doctores (ap. Ferrar. V. *Judex* a n. 59. ad 62. et B. Ligorio n. 208.) non posset Judex eum condemnare; sed teneretur omni meliori modo eum liberare, si potest; excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem, singillatim testes interrogando de circumstantiis temporis, loci, occasionis, et similibus, ut hujusmodi interrogationibus testium falsitas deprehendi possit, ad exemplum Danielis, qui hujusmodi artibus Susannæ innocentiam detexit (Daniel. 13.); vel eum remittat ad Superiorem, de accusati innocentia etiam cum juramento etc. testificando. Quod si his mediis non possit Judex eum liberare; potius officium dimittere debet, et quælibet pati; quam innocentem condemnare. His autem in circumstantiis S. Thomas (2. 2. q. 64. art. 6. ad 3.) Judicem excusat a peccato : *quia non ipse occidit innocentem ; sed illi, qui eum asserunt nocentem, idest testes.*

243. Q. Quare dixisti : *in criminalibus?*

℟. Quia in causis civilibus, vel etiam crimina-

libus minoribus, ubi tantum agitur de pœnis pecuniariis, vel de amissione Officii, privatione bonorum etc.; ne cum damno reipublicæ judiciarius ordo pervertatur, posset Judex juxta allegata, et probata innocentem, cujus innocentiam detegere non potuit, condemnare; ut sentiunt præfati Doctores. Ratio discriminis est: quia innocens taliter condemnatus per appellationem, causæ revisionem, novam testium depositionem posset deperdita recuperare, suam innocentiam detegere etc. Insuper cum Princeps Supremus habeat dominium altum in bona subditorum, potest Judici facultatem concedere, ut justa interveniente causa, ob publicam utilitatem possit bonum unius in alium transferre. Sed cum agitur de pœna mortis, mutilationis etc.; vitam, et membra deperdita numquam posset innocens recuperare. Et insuper cum Deus clare dicat (Exodi 23. 7.): *Insontem, et justum non occides*; Leges humanæ prescribentes juxta allegata, et probata judicandum; non possunt contra hanc Legem divinam, et naturalem præscribere; nec Princeps Supremus sicut in bona temporalia, sic etiam in vitam, et membra innocentium subditorum altum dominium habet.

244. Q. Quare in Judice requiritur *probitas morum?*

℟. Quia, si Judex erit probus, et timens Deum, cujus vices gerit in judicando; diligentiam adhibebit in examinandis causis, ut justum ferre possit judicium: *Non extimescet faciem potentis*, ut Deus in illo requirit (Eccli. 7. 6.); non odium, non minas, non vindictam, non præmia, non munera, quæ *excecant oculos Judicum*, ut legitur Deuteronomii Cap. 16. sed æquum feret judicium etiam in favorem pauperum, qui ejus

labores compensare non possent. Sine justa causâ litium expeditionem saltem notabiliter non differet; sed *celeri sententia terminabit* (Cap. 2. de Sentent. et re judic.), ne culpa gravi se alliget; et coactum se videat ad compensanda damna, et expensas, quæ ex injusta dilatione forsan evenerunt (vide Ferrar. V. *Judex* n. 32.). Et ne prædictæ culpæ, et restitutioni fiat obnoxius; notabilia munera pro ferenda sententia nec sponte oblata recipiat, quæ vetita sunt lege divina, canonica, et civili (ap. Ferrar. supr. n. 33. etc.); dummodo non sit *aliquod esculentum, aut poculentum, quod paucis consumi possit diebus*, ut jus canonicum, et civile permittit. Erit cautus in dando juramento etc.

Caput II.

De Advocato.

245. Q. Quænam dotes requiruntur in Advocato? ℟. Cum Advocatus (idem dic de Patrocinatore, Procuratore, Causidico, et de omni alio, qui sub quocumque nomine causas defendendas suscipiat) sit Judex sui clientis, cui suum consilium, et auxilium præstare debet; data proportione, habere debet sufficientem scientiam, et morum probitatem, ut supra (n. 237. et 238.) de Judice diximus: ita ut, si defectu cognitionis legum, consuetudinum etc., et multo magis, si ex malitia causam injustam defendendam suscipiat; *absque dubio*, ut inquit S. Thomas (2. 2. q. 71. a. 3.) *graviter peccat, et ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si au-*

tem ingnoranter injustam causam defendat, putans esse justam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusare potest; idest, si sit invincibilis. Et idem dicendum, si ob Advocati imperitiam, negligentiam, vel malitiam, cliens a causa decidat, aut aliud damnum patiatur. (n. 238.).

246. Q. Quid agendum, si causæ justitia sit dubia?

℟. Antequam Advocatus causam patrocinandam suscipiat, ejus æquitatem examinet; et si injustam cognoscat, clare dicat suo clienti; nec potest eam defendere, ut constat ex dictis numero præcedenti. Si autem cognoscat, esse dubiam; distinguendum. Si agatur de reo condemnando, vel de possessore re sua spoliando, potest quidem defendere reum, et possessorem. Actorem vero defendere nequit, nisi probationes convincentes habeat pro eo: quia, ut supra (n. 239. et 240.) dictum est, Judex in his circumstantiis non posset eos damnare. In aliis autem causis dubiis, cum ut plurimum de hujusmodi causis sint lites; potest eas Advocatus patrocinandas suscipere. At in hoc casu non posset suum clientem tutum reddere de victoria; sed sincere de causæ dubietate eum monere: quia forsan a litigando cliens abstineret. Aliter Advocatus, utpote causa damnorum, quæ ex deperdita lite clienti obveniunt, compensare teneretur.

247. Q. Advocatus potest ne defendere causam minus probabilem?

℟. Quod possit reum, et legitimum possessorem tueri, commune est apud Doctores ob rationes numero præcedenti allatas. In aliis autem litibus, si Advocatus suspicari possit, etiam Judicem ut minus probabilem talem causam judicare; quia in similibus ita decrevit; non poterit illam

defendendam suscipere: nam de contraria sententia esset quasi certus; et proinde ad expensarum etc. compensationem teneretur. Si autem Advocatus nihil possit de Judicis judicio suspicari, B. Ligorio (ib. n. 222.) adhæret sententiæ Salmaticensium, et aliorum Doctorum, qui dicunt, posse Advocatum hujusmodi causam tueri; dummodo de minori probabilitate clientem advertat; et hic assentiatur: tum quia utraque pars habet jus sua fundamenta in judicio producendi; tum quia causa, quæ minus probabilis videtur Advocato, probabilior forsan a Judice credetur, ut toties evenit.

248. Q. Quare in Advocato vitæ probitas requiritur?

℟. Quia, si Advocatus sit probus, causas injustas non defendet: imo si in principio eam credidit justam, et postea in processu esse injustam cognoscat; eam causam deseret, ut docet S. Thomas (2. 2. q. 71. a. 3. ad 2.) esse faciendum, et clientem ad cedendum inducet, aut ad componendum sine adversarii damno. Præterea si probus sit, fidelis erit suo clienti; totam diligentiam pro causæ qualitate adhibebit; ejus rationes rite examinabit; causæ expeditionem cum clientis præjudicio non differet; plures causas non acceptabit, nisi intra tempus statutum possit expedire, et nihil omittet, quod suo clienti intra justitiæ limites possit prodesse. Et ita aget, tum, ut suæ consulat honestati; tum, ne reus reddatur damnorum, quæ ejus causa clienti, et etiam parti contrariæ possint evenire, ut constat ex dictis. Et insuper pauperum causas etiam gratis advocabit; præsertim si aliquis pauper non patrocinatus, gravem bonorum jacturam sit passurus, aut gravi pœna injuste damnandus.

249. Q. Quid sequitur ex dictis ?

℟. Sequitur, quod si Advocatus Deum non timeat, non solum aspernabitur quod supra dictum est; sed lucrum etsi injustum inhians, causas non solum injustas, sed etiam desperatas suscipiet: mercedem exorbitantem pro suo arbitrio a cliente exiget; nec erit contentus illa mercede, quæ, attenta qualitate negotii, laboris, et etiam peritia, et scientia Advocati, a Lege, vel consuetudine judicio timoratorum taxata est, et solet exigi, ut præscribitur Leg. *Quisquis vult* etc.: fundamenta, rationes, et secreta clientis adversario deteget, quod vetitum est Can. *Si quis de Clericis* 12. q. 2.: advocabit utrumque litigantem in eadem causa, contra præscriptum a prædicta Leg. *Quisquis vult*: Leges, aut scripturas falsas adducet: contractus etsi usurarios approbabit, quod vetitum est (vide Lib. II. n. 712. 713.): conviciis, et probris Advocatum partis adversæ onerabit: quæ omnia ut plurimum sunt peccata lethalia inducentia ad compensationem damnorum, quæ evenerunt. Vide Ferrar. B. Ligorio, Antoine etc.

250. Q. Licet ne omnibus Advocati munus exercere ?

℟. Jam supra (n. 52.) dictum est, Clericis Beneficiatis, vel in sacris constitutis vetitum esse causas patrocinari in foro laicali; dummodo non agatur de causa propria, vel Ecclesiæ suæ, vel pauperum, vel conjunctorum in casu necessitatis. Dictum est ibi *in foro laicali*: quia in foro Ecclesiastico non est vetitum, ut ex Cap. *Per venerabilem* colligitur a Fagnano, et aliis. Addit autem B. Ligorio cum variis, quos citat (Lib. 4. n. 219.), hujusmodi Clericos, si careant pa-

trimonio, vel Beneficio sufficienti ad victum, etiam in foro laicali posse causas defendere. Prædicta prohibitio extenditur etiam ad Regulares, qui (Cap. *Ex parte* 2. de Postul.) in foro laicali non possunt patrocinari, nisi pro causis proprii Monasterii, id Prælato Regulari mandante. Notat insuper idem Beatus (ibid.), prædictos Clericos semel, aut bis causas advocantes in foro laicali graviter non peccare. Vide ap. Ferrar. V. *Advocatus* Art. 1. n. 1. etc. alios, quibus interdicitur causas advocare.

Caput III.

De Accusatore, Testibus, et Reo.

251. Q. Quis est Accusator, et quæ ejus obligationes?

℟. Est ille, qui ad publicum exemplum, ut reus puniatur, crimen Judici defert. Accusatoris obligationes sunt, 1. ut accusationem faciat in scripto, et subscribat; ut accusationem factam negare non possit. 2. Ut in accusatione exprimat non solum, qui sit reus, sed etiam speciem admissi delicti, specificando etiam locum, tempus, et horam, et socios, si qui sint, ut reus imputatus possit in casu falsæ accusationis se justificare. 3. Ut crimen possit sufficienter probare; et non accuset, nisi de re omnino sibi certa: nam in accusatione non habet locum ignorantia facti; et, si ex malitia crimen falsum alicui impingat, utpote calumniator et graviter peccaret, et ad damna compensanda, si quæ evenerunt, et ad pœnam subeundam teneretur. Vide S. Thomam (2. 2. q. 68. a. 1. et a. 3. ad 1. et a. 4.), et

B. Ligorio Lib. 4. n. 235. Denique, ut non ex odio, sed zelo justitiæ motus sit ad accusandum (quod est admodum difficile, si quis suum offensorem accuset). Et propterea caveant Confessarii.

252. Q. In quo differunt Accusatio, et Denuntiatio?

℟. Hæc differentia inter *Accusationem*, et *Denuntiationem* intercedit, 1.° quod in accusatione intenditur punitio criminis; in *Denuntiatione* vero emendatio proximi. 2.° Quod in *Accusatione* necessaria est scriptura, non autem in *Denuntiatione*. 3.° Quod in *Accusatione* crimen probari debet, non autem in *Denuntiatione* S. Thom. ibid. a. 2. ad 3. 4.° Quod, quando agitur de vitandis delictis, quæ sunt contra bonum commune, ut sunt crimen hæresis, læsæ Majestatis, rebellionis, falsificationis monetarum, homicidii, et furti, quæ admittuntur ab assassinis, et viarum grassatoribus, et similia; nisi semper fieri possit accusatio, quia crimen probari non potest; si autem quis certus sit de crimine commisso, semper tenetur denuntiare. Quæ denuntiatio fieri etiam debet ad vitandum damnum innocentis, si absque gravi incommodo denuntiantis fieri possit. Si autem agatur de fiscalibus, custodibus agrorum, gabellarum etc. cum hi ex justitia teneantur ad damna impedienda; ad restitutionem tenentur, nisi accusent, vel saltem denuntient. Vide B. Ligorio ibid. n. 236.

253. Q. Ad quid tenentur Testes?

℟. Testes (nisi a Jure excipiantur) cum juridice sunt a Judice citati, tenentur comparere ad deponendum: ita ut, si quis se occultet, ne deponat; ex communi sententia, ut inquit Antoine (Tr. de Oblig. Cap. 5. §. 3. q. 1.), graviter peccaret contra

Obedientiam : quia ob bonum publicum cum quis a Superiore requiritur *in iis*, *quæ ad justitiam pertinent*, *obedire tenetur*. Sic S. Thomas 2. 2. q. 70. a. 1. Si autem se occultet, antequam citetur; etsi possit, et etiam graviter, peccare contra Charitatem, si ex defectu ejus testificationis innocens, aut respublica grave damnum patiatur; non peccaret tamen contra Obedientiam, ut patet. Hisce autem casibus cum testis non peccet contra Justitiam commutativam, ut communius, et probabilius sentiunt Lugo, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 270.), sed contra Obedientiam, Charitatem, aut Justitiam legalem tantum; non teneretur ad restitutionem, quæ oritur tantum ex lesione justitiæ commutativæ.

254. Q. Quare dixisti : *nisi a Jure excipiantur?*

℟. Quia per Jus a testificando rejiciuntur servi; inimici, licet reconciliati, sed de recenti; consanguinei usque ad 4. gradum; domestici; infames; perjurii; inopes, et viles (dummodo non sint bonæ famæ); socii criminis (nisi delictum sit tale, quod sine socio patrari non possit); mulieres, et minores annis viginti. Mulieres autem, et minores excluduntr tantum in criminalibus, non autem in civilibus. Imo mulieres a jure civili non excluduntur nec in criminalibus. Impuberes vero excluduntur etiam in civilibus. Sed omnes isti possunt admitti in criminibus exceptis, ut sunt hæresis, et alia n. 252. relata. Vide jura ap. B. Ligorio n. 256. Et item admitti possunt in illis criminibus, quæ admissa sint eo tempore, et eo in loco, ubi alii testes difficiliter possint haberi; ut tempore nocturno, in silva, agro, cubiculo etc. Et pariter rejiciuntur de-

liri, semifatui, qui non sunt sui compotes, et omnes illi, qui in foro contentioso non solent admitti.

255. Q. Ad quid aliud tenentur Testes?

℟. Quando testes a Judice interrogantur *legitime*, idest quando præcessit vel accusatio, vel denuntiatio, vel querela ab alio porrecta; tunc, etiamsi non præcedat infamia, quam tamen requirit S. Thomas (ibid.); Testes deponere debent: quia alioquin non posset puniri crimen, etsi certum; si reus esset occultus; et sic plura crimina impunita remanerent, quod est contra publicum bonum. Imo, si aliquis Testis juravisset, se nihil dicturum de tali crimine, nec depositurum in judicio; adhuc posset a Judice compelli ad testificandum, non obstante hujusmodi juramento, quod cum esset contra jus Superioris; non teneret. Communis ex pluribus textibus, et præsertim ex Cap. *Constitutis* 45. de Testibus etc.

256. Q. Testes tenentur ne ad aliud?

℟. Maxime. Tenentur insuper Testes *legitime*, ut supra, interrogati, sub gravi, et absque ullo pretio veritatem deponere; cum hac tamen differentia; quod, si crimen falsum malitiose alicui impingant, falso ex. gr. dicendo, aliquem reum esse de homicidio, furto etc.; cum sint causa positiva damni innocentis; graviter peccarent contra Justitiam, et ad omnia damna resarcienda tenerentur. Communis. Si autem Testis falsum crimen non apponat; sed tantum occultet crimen verum, dicendo ex. gr. nescire, quis sit reus homicidii, furti etc.; cum revera ipse sciat; cum hoc casu non positive, sed tantum negative concurrat ad damnum alterius; dicunt Lugo cum a-

liis apud B. Ligorio (n. 270. dub. 3.), quod non peccaret contra Justitiam, sed tantum contra Obedientiam, Charitatem, et etiam contra Religionem, si juravit; et proinde ad restitutionem non teneri.

257. Q. Qui a Jure non sunt excepti (n. 254.), omnes ne tenentur testificari?

℟. Multi sunt casus, in quibus Testis, etiamsi *legitime* examinatus, testificari non tenetur. 1.° Si factum sciat ex sola Confessione sacramentali, ut dictum est num. 190. 2.° Si factum sciat solum sub secreto naturali; ut evenire potest Theologo, Advocato, Medico, Obstetrici etc., qui de eorum consilio, et auxilio sint requisiti: quia præceptum naturale servandi secretum præferendum est præcepto Judicis interrogantis. 3.° Si factum non sit criminosum: ut si quis certo sciat, alium pro fera occidisse hominem; alium rem alienam abstulisse, sed vel ob justam compensationem, vel extrema necessitate coactum. Judex enim debet interrogare de facto criminoso. 4.° Si factum per injuriam rescivit, ex. gr. alienas litteras aperiendo; alium cogendo ad revelandum etc.: aliter injuria continuaret. 5.° Si factum testificando, sibi, vel suis aliquod grave damnum immineat; dummodo tamen damnum publicum, vel privatum alienum non prævaleat. Vide auctoritates ap. B. Ligorio n. 268. et exceptiones hic num. seq.

258. Q. Quid agendum, si hisce casibus Testis cogatur a Judice ad testificandum?

℟. Cum hisce casibus, et quotiescumque Testis a Judice non sit *legitime* interrogatus, non teneatur testificari; nec tenebitur veritatem fateri: sed poterit licite respondere etiam cum juramen-

to, se factum illud nescire, utendo non jam restrictione *pure mentali* (quod vetitum est ab Innocentio XI. prop. 26. 27. et 28.), sed *subterfugiendo*, ut S. Thomas (2. 2. q. 69. a. 1.) consulit accusato, dum non secundum ordinem juris (n. seq.) a Judice interrogetur; utendo scilicet restrictione *non pure mentali*: nam in illis circumstantiis dicente Teste, *se nescire*, Judex potest facile percipere, Testem ita respondisse, quia manifestare non tenebatur. Et hoc communiter sentiunt etiam strictiores Theologi ap. B. Ligorio Lib. 3. n. 152. Si tamen crimen foret ex enormibus, ut hæresis, et aliis supra (n. 252.) relatis; etiam in prædictis circumstantiis teneretur Testis veritatem testificari (exceptis de auditis in sacramentali confesione): quia bonum commune prævalere debet bono privato.

259. Q. Quid notandum circa Reum?

℟. Si Reus *legitime*, seu *juridice* a Judice interrogetur; tenetur sub gravi suum crimen fateri. Communis cum S. Thoma (ibid.); et hoc, etiamsi Reus damnandus esset ad mortem, ut probabilius contra aliquos sentiunt tot Doctores ap. B. Ligorio Lib. 4. n. 273. et ap. Ferrar. V. *Accusatus* n. 16. Ratio: quia sicut Judex juridice interrogans, ob bonum publicum habet jus ad præcipiendum, et resciendam veritatem; sic Reo inest obligatio eam fatendi, et Judici obedire. Conveniunt autem omnes, ut inquit idem Beatus (ibid.), quod si Reus in bona fide credat ad crimen fatendum non teneri; et Confessarius censeat difficiliter ad illud fatendum induci; in sua bona fide possit eum relinquere. Hic autem nota, quod, etiamsi ad testes interrogandos possit sufficere accusatio, vel denunciatio, vel querela, ut supra

(n. 255.) diximus : Reus autem ut *juridice* interrogetur ; requiritur , ut præcesserit infamia , aut indicia competentia , aut semiplena probatio : ut S. Thomas (ibid.) et habetur in Cap. *Inquisitionis* 21. et Cap. *Qualiter* 24. de Accusation.

260. Q. Quid est præterea notandum?

℟. Notandum 2. quod si Judex Reo non significet , *juridice* (ut num. præc.) interrogatum iri ; etsi juxta S. Thomam (ibid.) Reus mendacium dicere non possit , posset tamen Judicem eludere *subterfugiendo* , ut explicatum est n. 258. nam Judex non habet jus Reum interrogandi , nisi cum *juridice* procedit. Et idem dicendum , si Reus ante Deum noscat, factum a se commissum non esse criminosum (n. 257.) ; idest gravi culpa se vacare, nec ad aliquid ex justitia teneri. Judex enim, ne innocentem condemnet , de facto criminoso , et de eo , quod ex justitia debetur , debet inquirere. Vide etiam Ferraris (sup. a n. 31. ad 35.). Notandum 3. quod , etiamsi quis de falso crimine imputatus , si aliter suam innocentiam ostendere nequeat , licite possit manifestare crimen verum , sed occultum vel accusatoris , vel testium , vel alterius , ut cum S. Thoma diximus Lib. 2. n. 996. et etiam sentit B. Ligorio cum aliis , quos citat n. 277. : nihilominus falsum crimen nulli imputare potest ; etiamsi foret necessarium ad suæ innocentiæ defensionem : quia calumnia , seu falsi criminis imputatio est intrinsece mala ; et proinde numquam licite. Idem Beatus ibid. ex Propos. 44. damnata ab Innocentio XI.

261. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Notandum 4. quod quamvis qui juste damnatus est ad perpetuum carcerem , triremes , mutilationem , mortem , debeat acceptare pœnam sui

criminis, nec possit positive resistere; quia, ut notat S. Thomas (ibid. a. 4.): *Qui potestati resistit*, juxta Apostolum (Rom. 13. 2.) *Dei ordinationi resistit*; nec possit corrumpere muneribus lictores, et custodes, ut sibi fugam permittant; quia eorum lethali peccato cooperaretur: attamen, cum unusquisque jus habeat ad suam vitam, et libertatem conservandam, si commode possit; licite posset in foro conscientiæ se eripere e manibus lictorum, e carcere fugere, illum effringere, custodes decipere: dummodo tamen publicum bonum aliter non exigat; et lictores, aut carcerum custodes non offendat inebriando, percutiendo, vulnerando etc. Et, si lictores, et custodes aliquod damnum ob hoc patiantur, sibi imputent: quia invigilare debebant. Sic communiter Doctores ap. B. Ligorio, Ferraris, Cuniliati, Antoine etc.

Caput IV.

De Militaribus, Notariis, Professoribus sanitariis, et Administratoribus.

262. Q. Ad quid tenentur Officiales militum?

℟ Unusquisque pro gradu, quem in militia occupat, tenetur invigilare super milites a se dependentes, ut observantes sint legum divinarum, et humanarum, impediendo quoad possunt, et etiam puniendo, eorum blasphemias, luxurias, furta, rapinas, concussiones, violentias etc. ut a Militibus requirebat S. Joannes Baptista (Luc. 3. 14.); et illos potissimum bono exemplo præcedendo. Tenentur insuper Officiales sub gravi, et sub pœna restitutionis nihil subtrahere, nec

minuere de stipendiis, quæ militibus sunt constituta; nihil accipere iis in locis, ubi versantur, ad impediendas vexationes militum, cum ex Officio, et justitia teneantur; Communitates non gravare majori, quam necesse sit, militum numero; et præcipue fideles sint proprio Principi; cum hoste non conspirent, et propria statuta adamussim observent.

263. Q. Ad quid tenentur Milites inferiores?

℟. Omnes Milites tenentur ex justitia, et sub gravi propriis Officialibus obedire; fortiter pugnare; stationem servare; arcem sibi commissam diligenter custodire, et defendere, etiam cum vitæ periculo; ab exercitu, et castris ante tempus definitum non discedere juxta factas pactiones; esse contenti suis stipendiis; neminem concutere; nihil extorquere ab iis, apud quos diversantur; nihil exigere, quod a Principe non sit constitutum; sine Ducis permissu, aut saltem post ejus prohibitionem damna hostibus non inferre etc. Et cum hæc omnia sint contra justitiam commutativam; patet, ad restitutionem obligare. Meminerint denique Milites, quod, si æternam velint consequi salutem, observent Leges divinas, et humanas; abstineant ab omni crudelitate, luxuria, ebrietate, blasphemia, perjurio, duello, sacrilegio, et aliis, quæ Christianum non deceant. Vide Antoine Tr. de obligat. Cap. 6.

264. Q. Quid dicendum de Notariis?

℟. Notarii, seu Tabelliones peccant 1.° Si datum juramentum violent. 2.° Si dicto testatoris, aliorumque contrahentium, aut testium aliquid notabile vel addant, vel minuant. 3.° Si testamentum scribant hominis ratione, vel sensibus destituti. 4.° Si conscribant aliquem actum a Le-

ge reprobatum; ut contractum simoniacum, usurarium; vel si aliquam falsitatem asserant, dicendo ex. gr. contrahentes esse præsentes, quando absunt; pecuniam coram se numeratam fuisse, quæ in rei veritate non fuit persoluta etc. 5.° Si falsos testes admittat. 6.° Si conditiones, et solemnitates a Lege statutas per culpabilem ignorantiam, vel per malitiam omittant. 7.° Si acta, et protocolla negligenter custodiant. 8.° Si parti petenti instrumenta, aut eorum transumpta denegent. 9.° Si etiam non requisiti legata pia non revelent. Vide Ferrar. V. *Notarius* Art. 6. n. 26. Et hic nota, quod, si sua culpa aliquod damnum alteri eveniat, utpote causa damni, ad restitutionem tenentur.

265. Q. Quid requiritur in Medico?

R/. Multa requiruntur in exercenda hac arte tam difficili, et periculosa; in qua non jam de bonis agitur fortunæ, sed de vita, et salute hominis. Et quod dicitur de Medicis, debita cum proportione intelligitur etiam de Chirurgis, aliisque Professoribus sanitariis. Requiritur ergo in primis *scientia*, si non eminens, ut esset optabile, saltem mediocris, qua medicus noscat morbi qualitatem, originem, progressum etc.; ut necessaria possit præstare remedia, et infirmus sanet; non recidivet; et quid in casu reincidentiæ debeat agere. Requiritur 2. *studium assiduum*, præsertim si longam experientiam in Hospitalibus, et Clinicis non habuerit. Multi sunt enim morbi implicati, difficiles, insoliti, qui absque studio difficiliter cognoscuntur. Requiritur 3. *diligentia* in visendis infirmis juxta conventiones, et pacta, si Professor sit conductus; et etiam sæpius, si morbi gravitas, et complicatio id expostulet.

266. Q. Quid aliud requiritur?

℟. Requiritur *prudentia* in seligendis remediis. Si enim certa, et tuta habeat, his utatur. In dubio remedia, quæ magis profutura censet, adhibeat. Et solum quando nulla spes de sanitate infirmi adest, tunc solum (de consensu infirmi, aut propinquorum) dubium medicamentum præbere potest; ut communius sentiunt Doctores: quia in hoc casu infirmi negotium utiliter gerit; melior est enim salus incerta; quam mors certa. Et hic nota, quod si ex culpabili defectu *scientiæ*, *studii*, *diligentiæ*, aut *prudentiæ* infirmus pereat, vel citius non sanet, Medicus culpabilis, præter grave peccatum, ad omnia damna resarcienda tenetur, ut patet. Exciperem pro casu, quod, si alius præsto non sit, quam imperitus; posset hic remedium indicare, quod saltem non noceat: hoc enim faciunt etiam qui medicinam non callent.

267. Q. Requiritur ne aliud?

℟. Requiritur 5. *humilitas*, tum, ne temere rejiciat remedium ab alio Professore propositum, qui etsi junior, forsan erit sagacior; tum, ut noscens insipientiam, et fragilitatem suam, sapientiam postulet a Patre luminum, ne in curandis infirmis erret; et gratiam suam exposcat, ne in curandis alieni corporis membris, animam suam inficiat. Requiritur 6. in Medico *probitas vitæ*: quia si sit probus, et charitativus; cum infirmus sit pauper, gratis, ut tenetur, eum curabit; nec pudendos infirmi occultos morbos deteget. Insuper medicamenta non præbebit, quæ sint a Lege prohibita, ut ad impediendam generationem, ad abortum procurandum etc. Et ne gravi culpa se alliget, non audebit dispensare ad carnes, aut a jejunio (dispensatio enim per-

tinet ad potestatem Ecclesiasticam, cui in dubio est recurrendum, ut dictum est Lib. II. n. 1064. et 1065.); sed in gravi necessitate tantum declarabit, cibum quadragesimalem, aut jejunium nocivum esse illi ægrotanti, convalescenti, seni, debili etc.; et qui in gravi necessitate non versatur, non eximet.

268. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Maxime. Si enim Medicus probus sit, et veram charitatem habeat pro spirituali sui infirmi salute; non solum quando morbus est periculosus, aut talis fieri credatur; sed in quocumque alio morbo, et præsertim febris, quæ infirmum obliget ad decumbendum in lecto, juxta Constitutiones Innocentii III. (Cap. *Cum infirmitas* 13. de Pœnit. et remis.), Clementis V. et S. Pii V. Medicus infirmo inculcabit sacramentalem Confessionem. Et hoc faciet, tum ob obediendum Constitutionibus Pontificiis, quæ cum districte, et sub gravibus pœnis præcipiant, obligant sub gravi; tum, ut infirmi, cum sani sint mente, hoc tam necessarium Sacramentum possint recipere; tum etiam, quia, si in solo morbo periculoso Confessionem Medicus inculcabit; cum de se actum jam credant infirmi, in *desperationis articulum* (ut notatur in cit. Cap. *Cum infirmitas*) *incidant*, *unde facilius periculum mortis incurrunt*. Hic autem nota, quod, etiamsi juxta Const. S. Pii V. Medicus, ut juravit in Laura doctorali suscipienda, curam infirmi debeat deserere, nisi infra tres dies infirmus non fuerit confessus; communiter tamen sentiunt tam Canonistæ, quam Theologi, quod, si morbus sit periculosus; etsi infirmus se confiteri repugnet, non eum deserat Medicus, ad hoc, ut tractu temporis in se regressus infirmus, con-

fiteatur; vel saltem, ut sanatus possit tunc suæ conscientiæ consulere. Vide Lambertini Inst. Eccl. 22. n. 8. etc. n. 17. etc.

269. Q. Quid notandum circa Pharmacopolas?

℟. Cum Pharmacopola medicamenta parando medecinæ partem exerceat, quæ qualitates in Medico desiderantur, data proportione, etiam in ipso requiruntur. Requiritur *peritia*, et *diligentia* in conficiendis, et parandis medicinis; *prudentia* in corrigendis erroribus, qui quandoque, licet involuntarie, a Medico committuntur in scribendis ordinationibus; *humilitas*, ne de sua habilitate, quæ forsan non adest, superbiat, ceterosque despiciat. Et præsertim *vitæ probitas* in eo est necesaria, ne corrupta, et inutilia medicamina infirmis præbeat; ne medicamenta a Legibus vetita subministret; ne venena porrigat, nisi cum magna cautela, et de Medici præscripto; ne unum præ alio medicamento contra Professoris ordinem exhibeat; et ne ad arbitrium medicaminum pretium adaugeat. Et etiam Pharmacopola meminerit, quod præter peccatum, omnia damna, si quæ vel infirmo, vel aliis sua culpa causantur, compensare tenetur.

270. Q. Ad quid tenentur Administratores?

℟. Administratores, Syndaci, Priores, Electi, Decuriones, et quocumque alio nomine vocentur illi, quibus regimen traditum est propriæ patriæ, Confraternitatis, Congregationis etc. omnem curam, et deligentiam adhibere debent, ut omnia bene se vertant in sua administratione; invigilando super ædificia, fundos, vias etc.; ne deteriorentur, destruantur, occupentur; et si quæ deteriorata sint, destructa, occupata; recuperare, meliorare etc., et facere omne id, quod probi

patres familias in propriis administrationibus solent efficere. Caveant, ne, ut faveant amico, conjuncto, potenti etc. illos proponant ad officia, qui defectu morum, talenti, prudentiæ etc. ad illa onera sustinenda non sint idonei. Caveant, ne respectu humano, vindicta, odio, aut alio pravo fine aliquid contra justitiam moliantur, præsertim in distributione vectigalium, seu impositionum, sive super fundos, sive super personas, sive super animalia; et sciant, quod, si uni assignent quod ab altero erat solvendum; tam ipsi, quam mandantes, consulentes, consentientes graviter peccant, et ad restitutionem tenentur juxta regulas traditas Lib. II. n. 883. et sequentibus.

LIBER IV.

De Sacramentis.

Etiam in hoc IV. Libro de Lege disseretur; sed de Lege oh! quam suavi, benigna, et amoris plena, quam Christus nobis dedit Sacramentorum institutione. De Lege igitur Sacramentali in hoc Libro pertractabitur; ac in duos Tractatus totam materiam dividemus. In primo agetur de *Sacramentis in genere*; et videbimus, quid, et quotuplex sit Sacramentum; qui numerus; qui effectus; quid requiratur, ut valide, ac licite et administrentur, et recipiantur; quæ obligatio illa administrandi, et recipiendi; et demum aliquid de Sacramentalibus etiam innuemus. In altero de *Sacramentis in specie* disceptabimus; et videbimus, quanto amore Christus fuerit nos prosecutus, hæc Sacramenta instituendo.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

Caput I.

De Notione, Divisione, et Effectibus Sacramentorum.

1. Q. Quid est Sacramentum?

℟. Sacramentum; ut ex S. Augustino definitur a Catechismo Romano (Par. 2. Cap. I. n. 4.) et a Goritia Tab. 127., *est signum sensibile gratiæ invisibilis ad nostram justificationem a Chri-*

sto Domino institutum. Dicitur *Signum sensibile* quia in unoquoque Sacramento juxta mentem ejusdem S. Doctoris (Lib. 2. de Doctr. Chr. Cap. 1.) adest *res*, *quæ præter speciem*, *quam ingerit sensibus*, *aliud aliquid facit in cognitionem venire*: aliudque oculis videtur, et aliud menti repræsentatur. Ut in Baptismo ablutio exterior, quam oculis videmus, optime demonstrat ablutionem internam, quæ invisibiliter fit in anima, deletione omnium peccatorum. In Eucharistia Panis, et Vinum, quæ nutriunt corpus, clare innuunt nutritionem, quam faciunt in anima Corpus, et Sanguis Christi, in quæ Panis, et Vinum transubstantiantur. Et sic de aliis Sacramentis.

2. Q. Quare addidisti: *gratiæ invisibilis?*

℟. Quia gratia, quam hoc *Signum* in anima producit, *non videtur*. Addidimus etiam *ad nostram justificationem*: quia Sacramenta ad Sanctificationem animarum nostrarum sunt instituta. Dicitur denique a *Christo institutum*: quia non ab alio, quam a Christo, qui auctor est gratiæ, potuit institui, ad differentiam Sacramentalium, quæ instituta sunt ab Ecclesia. Sic constat ex Canone 1. Tridentini (Sess. 7.), ex quo etiam constat, septem tantum esse Sacramenta. En verba: *Si quis dixerit*, *Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta*, *aut esse plura*, *vel pauciora*, *quam septem* . . . . . . *Anathema sit.*

3. Q. Quam gratiam conferunt Sacramenta?

℟. Duplex est gratia, quæ in Sacramentis confertur. Una dicitur *Sanctificans*, altera *Sacramentalis*. Gratia *Sanctificans*, quæ etiam *justificans*, *habitualis*, et *gratum faciens* appellatur, est illa, quæ, si obex non ponatur, *ex opere o-*

perato, sive ex vi ipsius Sacramenti, et Christi meritis reddit hominem Deo gratum, et amicum; et hæc gratia non amittitur, nisi per peccatum lethale. Constat ex Tridentino (ibid. Can. 6. et 8.). Hæc autem Gratia subdividitur in primam, et secundam. Gratia *prima*, quæ ordinarie confertur in Sacramentis Baptismi, et Pœnitentiæ; est illa, quæ hominem ex Dei inimico reddit amicum, et gratum. Gratia *secunda*, quæ in aliis Sacramentis ordinarie confertur, et vocatur etiam *augmentum gratiæ*, est illa, quæ hominem jam Deo amicum amiciorem reddit. Gratia autem *Sacramentalis* consistit in quibusdam auxiliis a Deo concessis ad obtinendum finem, ob quem Sacramenta sunt instituta, ùt suis locis videbitur.

4. Q. Quotuplex est Sacramentum?

℟. Multiplex: sed præcipuas divisiones referemus. Dividitur 1.° in Sacramentum mortuorum, et vivorum. Sacramenta *Mortuorum* sunt illa, quæ dantur illis, qui ante Deum spiritualiter sunt mortui, vel ob peccatum originale, vel ob peccatum lethale. Et hæc Sacramenta sunt Baptismus, et Pœnitentia, quæ per se *primam* gratiam conferunt, ut numero præcedenti dictum est. Sacramenta *vivorum* sunt illa, ad quæ recipienda debet homo esse in statu gratiæ, spiritualiter vivus ante Deum. Et hæc Sacramenta sunt alia quinque, quæ per se conferunt gratiam *secundam*; et qui scienter ea recipit in peccato mortali, grave Sacrilegium committit. Dixi *per se*: quia, si quis contritus de peccatis gravibus, vel cum solis venialibus ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit; cum jam in statu gratiæ reperiatur, *secundam* gratiam reciperet.

5. Q. Quid dicendum de Sacramentis *vivorum*?

℟. Etiam Sacramenta *vivorum* licet per se conferant gratiam *secundam*; per accidens etiam *primam* gratiam causare possunt. Ut, si quis credens, se esse in statu gratiæ quia non recordatur peccati mortalis commissi; vel aliqua de causa invalide absque sua culpa sit absolutus; cum hoc casu versetur in bona fide, et se credat dispositum, et proinde non ponat obicem; ex Tridentino (ib. C. 6.) suscipiendo aliquod Sacramentum *vivorum*, debet recipere gratiam, ut sentit S. Thomas (3. P. q. 79. a. 3. etc.). Cum igitur non recipiat gratiam *secundam*, seu augmentum gratiæ, quia non potest ei augeri quod non habet; sequitur ergo quod recipit *primam* per accidens causatam ab illo Sacramento *vivorum*. Vide Ferraris V. *Sacramentum* Art. II. n. 15.

6. Q. Quænam sunt aliæ divisiones Sacramenti?

℟. Sacramentum dividitur 2.° in iterabile, et initerabile. Sacramentum *initerabile* juxta Tridentinum (ibid. Can. 9.) est illud, quod semel valide susceptum, denuo suscipi nequit. Et ratio est: quia hujusmodi Sacramenta imprimunt characterem, qui est Signum spirituale indelebile impressum in anima, et hoc signum indelebile ex S. Thoma (3. Par. q. 63. a. 5. ad 3.) etiam post hanc vitam remanet; ita ut tam in Paradiso, quam in inferno distinguatur qui hujusmodi Sacramenta recepit: in Paradiso ad ornamentum, et gloriam; in inferno ad confusionem, et pœnam. Hæc autem Sacramenta sunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo. Sacramentum autem *iterabile* est illud, quod cum non imprimat characterem; pluries suscipi potest; et hæc Sacramenta sunt alia quatuor, nempe Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, et Matrimonium. Communis.

7. Q. Quot sunt effectus Sacramentorum?

℟. Sunt duo: *gratia sanctificans*, *et gratia sacramentalis*, ut dictum est n. 3. Hic autem nota, quod etiamsi Sacramenta gratiam producant *ex opere operato* (ibid.), et non jam ex *opere operantis*, seu ex meritis Sacramenta suscipientis: nihilominus, si qui Sacramenta suscipit, ponat obicem, et indispositus recipiat; non solum gratiam non acciperet, nec Deo amicus redderetur; sed gravissimo sacrilegio se alligaret, et Deo magis inimicus fieret; cum hac tamen differentia, quod sicut Baptismus, Confirmatio, et Ordo characterem imprimunt; virtute hujus characteris, qui semper remanet, remoto obice per Pœnitentiam, ut inquit S. Thomas (3. P. q. 69. a. 10.), Sacramentum statim consequitur effectum suum prius suspensum; et gratia reviviscit. Aliqui Doctores apud B. Ligorio (Lib. 6. n. 86.) idem dicunt de extrema Unctione, quæ in eodem mortis articulo iterari non potest; et de matrimonio, quod eodem conjuge vivente, nec potest iterari. Sed non idem dicendum de Eucharistia, et Pœnitentia.

8. Q. In Lege veteri aderant ne Sacramenta?

℟. Maxime: sed oh! quam differentia ab illis Legis novæ. Et hæc differentia non consistit tantum in solis Çœremoniis, et ritu externo, ut somniarunt aliqui Hæretici, qui damnati fuerunt a Tridentino (Sess. 7. Can. 2.): sed Sacramenta veteris Legis, ut Esus Agni Paschalis, Consecrationes Sacerdotum, Purificationes etc. *non causabant gratiam*, ut definitum habemus ab Eugenio IV. (Sess. ult. Florent.); *Sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam*, *et ipsam*

digne suscipientibus conferunt. Et, si Circumcisio tollebat peccatum Originale; id efficiebat in adultis *ex opere operantis*; et in parvulis per fidem circumcidentis, vel parentum; *quatenus*, ut docet S. Thomas (Par. 3. q. 70. a. 4.), *hæc fides respiciebat Christum venturum.*

Caput II.

De Requisitis ad valide conficienda, ministranda, et recipienda Sacramenta.

9. Q. Quid requiritur, ut Sacramenta valide conficiantur.

℟. Juxta Florentium (ibid.) tria requiruntur: *Materia, Forma, et Persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Econtra, si adsint Materia, forma, et Minister cum debita intentione, Sacramentum semper valide perficitur; etiamsi Minister (quod absit) existat in peccato mortali: ut decisum fuit a Tridentino (ibid. Can. 12.). Sub nomine *Materiæ* venit res, aut actio sensibilis applicata suscipienti per actionem externam Ministri; ut aqua in Baptismate; Chrisma in Confirmatione; Oris confessio in Pœnitentia etc. Res sensibilis, ex. gr. *aqua* in baptismo dicitur *Materia remota*; ejus applicatio, seu *ablutio* dicitur *Materia proxima. Forma* vero sunt verba, quæ in applicatione materiæ a Ministro proferuntur, ut sunt verba: *Ego te baptizo etc.* in Baptismate; aut aliquid verbis æquivalens uti sunt nutus annuentis in Matrimonio; quibus nutibus æque

ac verbis animus contrahentium exprimitur. Communis.

10. Q. Quid notandum circa Materiam, et Formam?

℟. Cum tam Materia, quam Forma instituta sint a Christo Domino; licet controvertatur inter Doctores, an in omnibus Sacramentis institutæ sint in specie, et immediate; an tantum in genere, et mediate per Ecclesiam; sequitur, Materiam, et Formam, quæ adhibentur in Ecclesia Catholica, absque peccato non posse mutari: cum hac tamen differentia, quod si mutatio afficeret substantiam, ex. gr. si pro *aqua* adhiberet quis *vinum album* in Baptismate; si pro *Baptizo* diceret aliquis: *Mundo ab omnibus peccatis* etc.; non solum gravissime peccaret; sed Sacramentum esset nullum. Si autem mutatio non afficiat substantiam; sed sit tantum accidentalis; ut, si quis in Baptismo uteretur *aqua colorata*; si in Forma *Ego te baptizo*, omitteret *ego*; licet peccaret; Sacramentum foret validum; et sic de aliis, ut dicetur suis locis.

11. Q. Est ne aliud notandum circa Materiam, et formam?

℟. Notandum 1.°, quod in Sacramentis Baptismi, et Pœnitentiæ, quæ sunt necessaria necessitate medii; si non possit haberi materia certa, ex. gr. *aqua naturalis* in Baptismo; *dispositio moraliter* certa in Pœnitentia; in periculo mortis, ut illi animæ meliori modo, quo possit, succurratur; potest (etiamsi sub conditione), imo debet adhiberi Materia dubia, aut probabilis; et baptizare cum aqua extracta ex floribus, lixivio, aut alia aqua, quæ magis accedat ad substantiam aquæ naturalis; et pariter moribundus, quoad

melius dispositus, absolvi. Si autem moribundus supervivat, denuo erit baptizandus sub conditione, et recte dispositus absolvendus; si forte primum Sacramentum fuerit invalidum. Sic Lugo, et alii ap. B. Ligorio Lib. 6. n. 29. Notandum 3. quod Forma debet proferri, dum Materia applicatur: ex. gr. dum aqua funditur in Baptismo; dum ægrotus ungitur in extrema Uctione; et sic de aliis, cum aliqua exceptione in Pœnitentia, et Matrimonio; ut suis locis videbitur.

12. Q. Quis est Minister Sacramentorum?

℟. Est ille, qui nomine Christi agens, conficit Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, ut supra (n. 9.) diximus. Et quamvis quisque homo etiam infidelis, et mulier possit esse Minister Baptismi, et valide baptizare, si debitam Materiam, ac Formam adhibeat, cum intentione necessaria; et quamvis in Sacramento Matrimonii ipsi contrahentes juxta probabiliorem sint Ministri: attamen Minister ordinarius Confirmationis, et Ordinis est solus Episcopus: Minister Sacramenti Eucharistiæ, Pœnitentiæ, et Extremæ unctionis est solus Sacerdos. In casu autem necessitatis etiam Diaconus deputari potest ad ministrandam Eucharistiam fidelibus. Et qui dicebant, omnes Christianos habere potestatem administrandi omnia Sacramenta; anathematizati fuerunt a Tridentino (ibid. Can. 10.).

13. Q. Quid significant illa verba (n. 9.) *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia?*

℟. Ambrosius Catharinus cum variis Doctoribus, quos Benedictus XIV. refert (de Syn. Diœc. Lib. 7. Cap. 4.), tenet, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem illam, quæ consistit in perficiendo ritum externum, qui ab Ec-

clesia adhibetur; etsi Minister interne dicat, se nolle facere quod facit Ecclesia; dummodo externe, serio agat, nulloque signo pravam suam voluntatem prodat. Sed huic opinioni, ut advertit idem Pontifex (ib. n. 8.); grave vulnus inflictum est a propositione 28. damnata ab Alexandro VIII.; quæ dicebat: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia.* Præfati Auctores vero a damnationis telo defendunt suam opinionem, dicentes, propositionem illam intelligendam esse de illo, qui non serio, sed joco, et mimice Sacramenta ministraret.

14. Q. Quid ergo erit concludendum?

℟. Præfatus Summus Pontifex, licet fateatur (ibid. n. 9.), nullam super Catharini opinione expressam Apostolicæ Sedis definitionem emanasse; concludit tamen, quod, si *constet quempiam, aut Baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia; urgente quidem necessitate, erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum: si tamen res moram patiatur; Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum.* Ergo juxta mentem tanti viri opinio Catharini non est amplectenda, sed amplectenda opinio aliorum, qui requirunt in Ministro intentionem internam vel *actualem*, vel *virtualem* faciendi quod facit Ecclesia; et hanc opinionem communiorem, et tutiorem vocat; et proinde sequen-

dam; ut constat ex Propositione 1. condemnata ab Innocentio XI.

15. Q. Quid, et quotuplex est hæc *Intentio?*

R. *Intentio*, ut hic sumitur, est voluntas conficiendi Sacramentum juxta mentem S. Matris Ecclesiæ; et multiplex est. Præcipuas exponemus. Si hæc voluntas habeatur in actu, quo quis baptizat, consecrat, absolvit, aut alia conficit Samenta; hæc Intentio vocabitur *actualis*, sive *reflexa*, aut *formalis*. Et quamvis hæc Intentio sit optima, et totis viribus procuranda; non est tamen necessaria. Communis. Hæc enim, ut inquit S. Thomas (3. Par. q. 64. a. 8. ad 3.), *non totaliter posita est in hominis potestate*; *quia præter intentionem, cum vult multum intendere, incipit alia cogitare*. Si autem hanc voluntatem non habet Minister in actu baptizandi, consecrandi, absolvendi etc., sed habuit antea, ex. gr. quando Ecclesiam accessit ob baptizandum, celebrandum, confessiones excipiendas etc., quæ voluntas non sit revocata; hæc intentio dicitur *virtualis*; et *ex virtute primæ intentionis* (prosequitur S. Doctor) *perficitur Sacramentum*; etiamsi in ipso actu *cogitatio ad alia rapiatur*. Quod autem non sufficiat Intentio *habitualis*, et multo minus *interpretativa* diximus jam Lib. III. n. 161.

16. Q. Quænam sunt aliæ divisiones Intentionis?

R. Intentio dividitur etiam in absolutam, et conditionatam. Intentio est *absoluta*, quando Minister in Sacramento conficiendo nullam apponit conditionem. Si autem aliquam addat conditionem; intentio erit *conditionata*. Etiamsi ob liceitatem Minister absque gravi, et rationabili causa intentionem *absolutam*, et non *conditionatam* debeat

habere ; quoad valorem autem Sacramentum erit validum ; si conditio apposita erit de præsenti, vel de præterito, quæ sit verificata. Communis apud B. Ligorio (Lib. 6. n. 26.). Hinc valet Baptismus cum hac conditionata intentione collatus : *Baptizo te, si non es baptizatus*; vel : *si es vivus*. Valet absolutio, dicendo : *Si capax es absolutionis, ego te absolvo* etc. Quando autem hoc liceat, dicetur infra n. 22. Dictum est : *de præsenti, vel de præterito*: quia excepto Matrimonio, ut dicetur, si conditio sit futura, ex. gr. *absolvo te, si restitues* etc. ; Sacramentum erit nullum : quia Materia, Forma, et Intentio ex dictis n. 9. debent simul adesse. Et quando conditio est de futuro, Intentio remanet suspensa.

17. Q. Quid requiritur, ut quis valide possit Sacramenta suscipere ?

℟. Ante omnia requiritur, ut quis sit baptizatus. Certum est apud omnes, ut inquit B. Ligorio (n. 79.) : quia Baptismus est fundamentum, et janua omnium Sacramentorum, sine quo nullum aliud Sacramentum recipi potest, ut habetur Cap. *veniens* de Presbyt. secundo in personis adultis, quæ sunt sui compotes, requiritur intentio, seu voluntas Sacramentum suscipiendi ; sed non requiritur *actualis*, aut *virtualis*, ut necesse est in Ministro, qui est agens Sacramentorum ; sed sufficit etiam *habitualis*, idest aliquando habita, et non retractata. Loquens enim Benedictus XIV. de adulto, qui in delirio, amentia, aut in somno fuit baptizatus (Const. *Postremo* 28. Febr. 1747. n. 46.) ; dicit, quod, si voluntas antecedens nunquam fuerit retractata, certe validus esset Baptismus. Peccaret autem Minister si absque vera necessitate in tali statu eum

baptizaret. Ita S. Thomas (in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. q. 3. ad 7.). Hæc autem *habitualis* intentio non sufficit in Sacramentis Pœnitentiæ, et Matrimonii, ut suis locis dicetur: quia in Pœnitentia absque intentione saltem virtuali non possunt stare actus pœnitentis; et in Matrimonio contrahentes non solum suscipiunt Sacramentum, sed etiam sunt ejus Ministri. Vide B. Lig. n. 80. 81., et 82.

18. Q. Quare dixisti : *in personis adultis*, *quæ sunt sui compotes?*

℟. Quia in infantibus, et perpetuo amentibus, qui rationis usu carent; supplet intentio Christi, vel Ecclesiæ. Communis. Et pro infantibus est de fide definitum a Tridentino (Sess. 7. Can. 13.). Et pro perpetuo amentibus clare docet S. Thomas (3. Par. q. 68. a. 12. ad 1.). Et quod dicitur de Baptismo, dicitur etiam de Confirmatione, imo etiam de Ordine (si possit esse verisimile, aliquem Episcopum tam nequam esse, ut tales audeat ordinare). Declaratum est a Benedicto XIV. (Const. *Eo quamvis* 129. 4. Maj. 1745. n. 20. et 27.). Dicitur item *sui compotes*: quia ægris qui sunt sensibus destituti, pro recipienda Sacramentali absolutione, et extrema Unctione, sufficit etiam intentio *interpretativa*; illa scilicet, quæ quamvis nunquam fuerit habita, præsumitur habere, si æger esset sui compos; ut clare patet ex Rituali Romano (de extr. Unct.). Vide B. Ligorio loc. cit.

Caput III.

De Requisitis ad licite conficienda, ministranda, et recipienda Sacramenta.

19. Q. Quid requiritur, ut Sacramenta licite conficiantur, et ministrentur?

℟. Multa requiruntur. Requiritur 1.° in Ministro status gratiæ. Communis. Cum enim ut habetur in Rituali Romano (Doctr. de Sacram.), *nihil sanctius .... nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta*; quæ sanctitas requiritur in Ministro? Verum quidem est, improbitatem Ministri non obesse validitati Sacramenti, (ut diximus n. 9.); nec illis, qui Sacramenta recipiunt: *impure tamen* (prosequitur Rituale), *et indigne ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt.* Hinc Doctores cum S. Thoma (3. Par. q. 64. a. 6.) communiter dicunt, Ministros improbos, generaliter loquendo, peccare mortaliter. Et propterea Rituale concludit: *Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius* (*quod absit*); *ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat: sed, si habeat copiam confessarii; et temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.*

20. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. Quia, si in casu necessitatis malus Minister non solum laicus, sed etiam Sacerdos aliquem privatim baptizaret; juxta eundem S. Doctorem (ibid. ad 3.) non peccaret. Et ratio, quam affert, hæc est: quia hoc casu non *exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitati patientis.* Hanc autem tanti Viri sententiam Lugo

cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 33.), limitant pro solo casu (et idem dicunt de Sacerdote, qui in periculo mortis absolvat), quo baptizans, seu Sacerdos non posset tam cito se excitare ad contritionem; et periculum esset, quod moribundus decederet absque baptismo, aut absolutione. Quanta ergo cura Parochi, aliique Sacerdotes, qui ad Sacramenta ministranda sunt addicti, ipsæque obstetrices statum gratiæ conservare debent; et si forte amiserint, quam cito debeant eum recuperare; ut omni tempore, ut monet S. Carolus Borromæus (Instruct. ad Confessar.), *parati sint ad tam sanctæ administrationis munus.*

21. Q. Quid aliud requiritur ad Sacramenta licite ministranda?

℟. Requiritur 2.° ut sacer Minister non sit irregularis, nec aliqua censura innodatus: irregularitas enim reddit Ministrum inabilem ad susceptos Ordines exercendos. Et si quis excommunicatus, interdictus, suspensus Ordinum munera temere exerceat; evadet etiam irregularis. Vide Ferraris. V. *Irregularitas* Art. I. n. 1. et 11. Requiritur 3.°, ut in administratione illorum Sacramentorum, in quibus requiritur jurisdictio, ut in Sacramentis Baptismatis, Viatici, et extremæ Unctionis Sacerdos simplex extra casum necessitatis non se ingerat, nisi ab habente jurisdictionem non sit delegatus: reus enim esset usurpatæ jurisdictionis. Requiritur 4.° ut serventur cœremoniæ ab Ecclesia præscriptæ (Trident. Sess. 7. Can. 13.). Et si quis absque necessitate aliquid omittat, aut mutet in re gravi, lethaliter peccabit. Sic clare dicit Benedictus XIV. in Const. *Inter omnigenas* 89. 2. Febr. 1744. n. 19. Imo, si

quid leve ex contemptu omitteret, quia nempe inane, ineptum judicet; etiam graviter peccabit. Lib. I. n. 225.

22. Q. Licet ne Sacramenta ministrare sub conditione?

℟. Quod Sacramenta collata cum intentione conditionata de præsenti, vel præterita, quæ sit jam verificata, sint valida, jam dictum est supra (n. 16.). An autem licite ministrentur, distinguendum. Si absque rationabili causa Sacramentum conditionate ministretur, ut si Sacerdos noscens, aliquem rite cum debita materia, forma, et intentione baptizatum esse ab obstetrice, denuo sub conditione baptizet, graviter peccabit: imo ut docet Catechismus Romanus (de Baptis. n. 57.), et Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. 7. Cap. 6. n. 3.), et alii, irregularis evaderet. Si autem rationabilis causa interveniat; ut si Sacerdos sit dubius de validitate Baptismi ab obstetrice, aut alio collati, an puer, qui confitetur, sit compos rationis; an infirmus sensibus destitutus, qui nulla signa dedit doloris, sit rite dispositus; vel an sit vivus, aut mortuus; tunc, ut communiter dicunt Doctores (ap. Ligor. n. 28.), licitum est Sacramentum conferre cum conditione, *si non es baptizatus*; *si es capax*; *si es vivus etc.* Imo in casu extremæ necessitatis non solum potest, sed etiam debet cum dictis conditionibus baptizari, absolvi; ut meliori modo, quo potest, animæ illi possit succurri.

23. Q. Licet ne Sacramenta ministrare indignis, aut simulare administrationem Sacramenti?

℟. Quoad primam partem, quæstionem resolvit Rituale Romanum (Doct. de Euchar.), ubi sic legitur: *Arcendi autem sunt publice indigni,*

quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia, et emendatione constet; et publico scandalo prius satisfecerint. Et hic nota, peccatorem tunc *publicum* reputari, quando ejus crimen notorium est, vel notorietate juris, cum scilicet de eo juridice convictus est; vel notorietate facti, quando scilicet crimen vel commissum est in loco publico, vel ex sufficientibus indiciis, aut fama crimen pervenit ad multos.

24. Q. Quid dicendum, si peccator sit *occultus?*

℟. Prosequitur idem Rituale, et dicit: *Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos præterire nequeat.* Et quamvis in hac Doctrina loquatur Rituale de accedentibus ad Eucharistiam; data proportione, idem dicendum est de accedentibus ad alia Sacramenta vivorum. Si ergo peccator occultus occulte petat; Sacramentum est denegandum; excepto casu, quo Sacerdos ex sola Sacramentali Confessione crimen cognoscat: tunc enim etiam occulte petenti non est denegandum, ne sigillum frangat. Si autem petat publice, et absque scandalo non possit eum præterire, ad exemplum Christi Judam communicantis; eum admittat. Cave tamen, ne sub prætextu non ministrandi indigno, Sacramenti ministrationem simules, communicando cum Particula non consecrata, proferendo formam absolutionis absque intentione absolvendi etc. Hoc enim nec metu mortis est licitum; ut constat ex Propos. 29. damnata ab Innocent. XI.

25. Q. Quid dicendum de iis, qui alias sacras functiones in peccato lethali exercent?

℞. S. Thomas (in 4. Dist. 24. q. 1. a. 3. q. 5. ad 4.) cum aliis Doctoribus, quos refert B. Ligorio (a n. 35. ad 41.), dicit, quod *quicumque cum peccato mortali aliquod sacrum Officium pertractat*; ex. gr. si de loco ad locum SS. Eucharistiam transferat, aut gestet in Processionibus; aut cum ea Populum benedicat; aut Officium Diaconi, vel Subdiaconi in Missa solemni exerceat; aut concionetur; aut Sacras Vestes, aquam lustralem benedicat, *non est dubium, quin illud indigne faciat: unde patet, quod peccat mortaliter*. Suarez autem cum aliis, quos citat, et sequitur idem Beatus (ibid.) communius dicunt, peccare tantum leviter: et quia hæ actiones non tendunt proxime ad sanctificationem animæ ex opere operato, ut ministratio Sacramentorum; et quia, cum non constet de præcepto, non est tam faciliter imponenda obligatio sub mortali: dummodo hujusmodi Minister non sit peccator publicus: quia ob scandalum, quod Populo daret, graviter peccaret. Sed si ante Deum opinio S. Thomæ prævaleat, quid erit?

26. Q. Datur ne obligatio Sacramenta ministrandi?

℞. Parochi, eorumque Coadjutores, ceterique animarum Pastores ratione officii, honoris, stipendii, quod exigunt; ac quasi contractus, quo se obligaverunt, pastorale officium assumendo; tenentur sub gravi, et ex justitia Sacramenta ministrare suis subditis rationabiliter petentibus etiam extra gravem necessitatem, etiam tempore noctis, præsertim infirmis, etiam tempore pestis, et quotiescumque subditi Sacramentis indigeant. Com-

munis apud B. Ligorio (n. 58.). Imo peccarent, si morosos, ac difficiles se exhibendo, subditum retraherent a Sacramentis petendis; nam fere idem esset, ac si negarent. Excusabuntur tamen a mortali, si extra casum necessitatis semel, aut iterum se denegent; tum quia non videtur tam stricte se obligasse; tum quia subditi non censentur esse graviter inviti.

27. Q. Quid dicendum de iis, qui non tenentur ex justitia?

℟. Etiamsi eorum obligatio non sit tanta; attamen etiam illi ex charitate tenentur ad hanc administrationem, præsertim in absentia Pastorum, in concursu Populi Sacramenta petentis etc.; ne videatur incassum potestatem accepisse in sacra Ordinatione. Imo quoad illa Sacramenta, quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt Baptismus, et Pœnitentia; in casu extremæ necessitatis unusquisque non solum Sacerdos, et obstetrix, sed quicumque alius, qui sit præsens, teneretur sub gravi baptizare: sicut sub gravi, et etiam cum periculo vitæ, ut communis cum B. Ligorio (ibid.), quisque Sacerdos etiam simplex in defectu confessarii teneretur confessionem audire illius, qui in periculo, vel articulo mortis versaretur. Et hanc ob causam omnibus Sacerdotibus Ecclesia dat hisce casibus jurisdictionem: ne Confessarii defectu quis pereat; ut etiam suis locis dicetur.

28. Q. Quid requiritur, ut quis licite Sacramenta suscipere possit?

℟. Quid requiratur, ut Sacramenta valide recipiantur, dictum est num. 17. et 18. Ut autem etiam licite recipi possint; quoad Sacramenta *mortuorum*, quæ sunt Baptismus, et Pœnitentia; in

adulto gravibus peccatis actualibus gravato requiritur hujusmodi peccatorum vera detestatio etc.; ut diffusius suis locis dicetur. Ad suscipienda vero alia quinque Sacramenta *vivorum*, requiritur præcipue status gratiæ. An autem hic gratiæ status recuperandus sit Sacramentali Confessione, an per contritionem, quæstio est inter Doctores. Pro susceptione Sacræ Eucharistiæ, necessariam esse Confessionem, statuit jam Tridentinum Sess. 13. Cap. 7. Pro aliis autem Sacramentis, etiamsi eam non præcipiat; cum tamen non sit tam facile se ad contritionem excitare; ne periculo quis exponatur sacrilege recipiendi; satius est Confessionem præmittere: eo magis quod eam requirat Catechismus Rom. (n. 2. Cap. 5. n. 45.), dicens: *Cum Sacramenta administramus, aut percipimus, toties Confessio prætermittenda non est.*

29. Q. Licet ne petere, aut recipere Sacramentum a Ministro indigno?

℞. Si iste Minister sit indignus, quia notorietate juris, vel facti (n. 23.) est publicus irregularis, excommunicatus, interdictus, suspensus, non toleratus; tunc nunquam licitum est ab eo petere, nisi in casu extremæ necessitatis, quo quis moriturus sit absque Baptismo, vel absolutione, et alius Minister in promptu non sit. Communis (B. Ligor. n. 88.). Si autem Minister sit indignus ob peccatum mortale, in quo quis scit, eum versari; ne cooperetur illius sacrilegio, quærat alium Ministrum; et, si habere non posset, et causam rationabilem habeat Sacramenta recipiendi; quia ex. gr. urget præceptum Confessionis, et Communionis; vel si ex dilatione Confessionis timeat lapsum; vel diu, imo etiam ad horam permanere debeat in mortali; vel si diu carere debeat Con-

fessione, ac Communione; vel debeat implere præceptum Missam audiendi, et similia; si Minister ille sit toleratus, præsertim si sit Parochus, aut alius, qui se offerat; *qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus*, ut inquit S. Thomas (3. Par. q. 64. a. 6. ad 2.): quia ille indignus Minister *potest se pœnitere de peccato, et licite ministrare*. Vide B. Ligorio n. 89.

CAPUT IV.

De Sacramentalibus.

30. Q. Quid sunt Sacramentalia?

℟. Sunt actus externi Religionis, ad colendum Deum accommodati, ut sunt Orationes Ecclesiæ, Benedictiones, efformatio Crucis, quæ comprehenduntur in hoc versiculo: *Orans*, *Tinctus*, *Edens*, *Confessus*, *Dans*, *Benedicens*. Et dicuntur *Sacramentalia*, eo quod soleant adhiberi ad Sacramenta conficienda, ministranda, ac suscipienda; et quia aliqualem sequantur, et imitentur virtutem Sacramentorum. Verbum *Orans* significat Orationes, et preces, quæ fiunt a Fidelibus, et præsertim Oratio Dominicalis, ut legitur in Cap. *De quotidianis* de Pœnit. dist. 3. Et ad hanc orationem reducitur percussio pectoris, efformatio Crucis, genuflexiones, adorationes, conjurationes, prostrationes, et similia. *Tinctus* significat aspersionem aquæ benedictæ; sacras unctiones, quæ adhibentur in quibusdam Sacramentis, consecrationibus, functionibus, impositionem Cineris benenedicti etc., ut eruitur ex cap. *Aquam* de Consecrat. dist. 4.

31. Q. Quid indicant alia verba versiculi?

℟. *Edens* indicat devotam manducationem Panis, Agni, Ovorum; et aliorum ciborum, qui fuerunt benedicti: quæ manducatio in antiqua Ecclesia vocabatur *Eulogia*. Verbum *Confessus* designat Confessionem generalem, seu *Confiteor*, quod dici solet in Missa, in Officio divino, ante Sacram Communionem, et alias sacras functiones. Et huc aliqui reducunt pectoris tunsionem, qua quis peccatorem se confitetur. Per verbum *Dans* denotatur elargitio eleemosinæ, quæ comprehendit etiam alia opera misericordiæ, tam corporalia, quam spiritualia. Denique verbum *Benedicens* exprimit benedictionem solemnem, quæ ab Episcopis, vel Abbatibus consecratis signo Crucis datur; ut explicat Glossa in Proem. 6. Decret. V. *Benedictionem*.

32. Q. Ad quid prosunt ista Sacramentalia?

℟. Multæ sunt utilitates, quæ ex his hauriuntur. Excitatur Populus ad pietatem, et devotionem; excitatur ad reverenter conficienda, ministranda, et suscipienda Sacramenta. Adjurationibus, exorcismis, aqua benedicta, signo Crucis etc., fugantur dœmones, et expelluntur a corporibus obsessis. Horum usu toties obtinetur morborum depulsio, procellarum sedatio, agrorum fertilitas; et alia hujus generis. Et quod magis interest, obtinetur cum his remissio peccatorum venialium. Constat ex citatis Testibus; constat ex Tobiæ Cap. 4. v. 11. ubi legitur: *Eleemosyna ab omni peccato liberat*. Constat ex S. Thoma (3. Par. q. 87. a. 3.), qui ait: *Benedictio Episcopalis, Aspersio Aquæ benedictæ, qualibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si alia aliqua sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.*

33. Q. Quomodo usu Sacramentalium remissio causatur peccatorum venialum ?

℟. Quidam Doctores (ap. B. Ligor. n. 92.) opinantur ex opere operato hujusmodi Sacramentalia remissionem causare peccatorum venialium. Sed cum Dei promissio, cujus solius est remittere peccata, nullibi reperiatur; eorumque effectus non sit infallibilis, ut omnes fatentur; cumque non a Christo, sed ab Ecclesia sint instituta; hinc verius, et communius sentiunt alii, non jam ex opere operato, sed ex opere operantis suum effectum Sacramentalia producere: quia scilicet per ea pius motus doloris, aut charitatis in nobis excitatur, quo peccata Deus nobis remittit. Hoc expresse docuit idem Doctor Angelicus, qui ibid. ad 1. sic ait: *Omnia ista* (idest Sacramentalia) *causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum vel implicite, vel explicite*, et ad 3. addit: *Per prædicta tolluntur peccata venialia . . . . . virtute charitatis, cujus motus per prædicta excitatur*. Sacramentalia igitur divina nobis conciliant auxilia, quibus præfati motus in nobis excitantur; et sic peccata venialia nobis remittuntur.

34. Q. Est ne aliud præterea addendum ?

℟. Maxime. Sub nomine Sacramentalium veniunt etiam illæ Ceræ albæ a Papa benedictæ, quæ a figura Agni, quæ in ipsis impressa videtur, vocantur *Agnus Dei*. Hæc circa hujusmodi Ceras benedictas sunt a nobis notanda. Primo, ut sub pœna Excommunicationis a Gregorio XIII. inflicta (vide Croix Lib. 6. n. 223.) non pingantur, aut inaurentur; dummodo ante benedictionem non fuerint jam pictæ, vel deauratæ. Secundo, quod, etiamsi secundum materiam suam hujus-

modi Ceræ possint vendi ; non possunt autem carius vendi , quia sunt benedictæ. Et quisque noscit , magnam hanc esse irreverentiam , et Simoniam. Tertio , quod quamvis aliqui Doctores ob Oleum Sanctum , et Chrisma , quo sunt benedictæ , sentiant , non posse tangi a laicis : usus tamen jam obtinuit , ut etiam a laicis , et fœminis ipsis possint tangi ; dummodo reverenter hoc fiat.

TRACTATUS II.

De Sacramentis in specie.

35. Septem esse Sacramenta novæ Legis , nec pauciora , nec plura , idest Baptismum, Confirmationem , Eucharistiam , Pœnitentiam , Extremam unctionem , Ordinem , et Matrimonium ; certum est apud Catholicos , et jam definitum a Tridentino (Sess. 7. Can. 1.). Cum ergo in præcedenti Tractatu de Sacramentis in genere simus locuti ; in hoc secundo de Sacramentis in specie , seu de eorum singulis in septem Articulis singillatim disseremus , dicendo , quæ sit eorum Materia , et Forma ; quando a Christo instituta ; quis eorum Minister ; et alia magis utilia. Sit igitur

ARTICULUS I.

De Baptismo.

36. Q. Quid significat vox *Baptismus* ; et quotuplex est ?

℟. Baptismus derivat a voce græca , quæ significat *ablutionem* , seu *immersionem in aquam* ; et triplex est , Fluminis , Flaminis , et Sanguinis.

Baptismus *Fluminis* est ille, qui recipitur per aquam. Baptismus *Flaminis* est ardens desiderium, quod habet homo nondum baptizatus, et vere contritus recipiendi Baptismum *Fluminis*. Baptismus autem *Sanguinis* est Sanguinis effusio, seu mors tolerata pro fide; aut, ut docet S. Thomas (2. 2. q. 124. a. 5.) tolerata pro alia virtute ab homine nondum baptizato; ut fuerunt SS. Martyres Innocentes, S. Emerentiana, et tot alii. Solus Baptismus *Fluminis*, de quo loquemur, est Sacramentum. Sed sicut per Baptismum *Flaminis*, et *Sanguinis* remissio obtinetur peccatorum, et homo salvatur, sicut per Baptismum *Fluminis*, ut constat ex Cap. *Apostolicam* de Presbyt. non baptiz. ex Trident. Sess. 6. Cap. 4.; et Cap. *Baptismi* de Consecr. dist. 4.; hinc cum hæc suppleant vices Baptismi *Fluminis*, non immerito vocantur Baptismus. Nos igitur de solo Baptismo *Fluminis* in sequentibus Capitibus tractabimus.

Caput I.

De notione, Institutione, et Necessitate Baptismi.

37. Q. Quid est Baptismus?

℟. Baptismus, ut definitur a S. Thoma (3. Par. q. 66. a. 1.), *est ablutio Corporis exterior facta sub forma præscripta verborum*. Hæc autem ablutio, juxta Rituale Romanum (de Sacram. Baptis.) tribus modis fieri potest: *per infusionem aquæ, per immersionem, ac per aspersionem. Primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu pro Ecclesiarum consuetudine retineatur*. Imo pro decentia, et honestate

mulierum, quæ in adulta ætate baptizantur; decet, ut primus modus adhibeatur, ter infundendo in caput baptizandi aquam benedictam. Et hic nota, quod cum ex definitione fieri debeat ablutio corporis; unusquisque videt, etiam in casu necessitatis non sufficere paucas aquæ guttulas, ex quibus ablutio, et fusio aquæ non verificetur. Et proinde, si in necessitate cum una, aut altera guttula foret quis baptizatus sub conditione; denuo baptizetur. Communis cum Suarez, et aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio Lib. 6. n. 107. q. 6. Et insuper, ut verificetur ablutio Corporis, Rituale Argent. (ap. Collet Cap. 2. Art. 2.) monet Parochum, quod, si baptizandus sit multum capillatus; digitis sinistræ manus capillos discriminet, ut aqua capitis pellem tangat.

38. Q. Quæ corporis pars est abluenda etc.?

℟. Jam dictum est, aquam ter infundendum esse in caput baptizandi. Et etiam in casu necessitatis, si ab obstetrice ex. gr. Baptismus ministretur, semper in capite baptizetur; et in hoc casu, dummodo aliud non obstet, non est repetendus baptismus. Sed, si periculum mortis immineat, nec caput appareat; tunc quodcumque membrum, quod vitalem indicet motum, mater emiserit, in ipso infans baptizetur, seu abluatur. Ita præscribit Rituale Romanum (ibid.). Hoc autem ab eodem Rituale subjungitur, quod si infans totaliter natus, vixerit; erit sub conditione denuo baptizandus, idest: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* Et, si periculum mortis continuet; ab ipsa obstetrice etc. rebaptizetur: aliter cum portatur ad Ecclesiam, ob cœremonias supplendas. Et hic nota, quod, si infans in aliquo membro ba-

ptizatus, ex utero matris mortuus exierit, ex eodem Rituali debet in loco sacro sepeliri.

39. Q. Quando, et quare Christus instituit Sacramentum Baptismi?

℟. Etiamsi tempus præcisum certo non sciatur; certo tamen creditur, fuisse institutum ante suam passionem, et mortem. Legatur Ferraris. V. *Baptismus* Art. 1. n. 5. Post resurrectionem vero Christus Apostolis injunxit, ut hoc Sacramentum administrarent, dicendo (Matth. 28. 19.): *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, ét Filii, et Spirtus Sancti.* Finis autem, ob quem hoc Sacramentum Christus instituit, fuit nostra æterna salus. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto*, inquit æterna Veritas (Jo. 3. 5.), *non potest introire in Regnum Dei.* Et, si quis adultus non posset accipere baptismum aquæ; saltem ille *Sanguinis*, vel *Flaminis* esset necessarius, ut supra (n. 36.) dictum est; et etiam definitum a Tridentino Sess. 6. Cap. 4.

40. Q. Quid ex dictis inferendum?

℟. Cum hoc Sacramentum sit tantopere necessarium, *facile intelligitur, quam gravi culpa*, ut monet Catechismus Romanus (Par. 2. Cap. 2. n. 34.), *illi sese obstringant, qui* infantes recenter natos *Sacramenti gratia diutius, quam necessitas postulet, carere patiantur; cum præsertim propter ætatis imbecillitatem, infinita pene vitæ pericula illis impendeant*; eo magis quod in necessitatis casu non possunt, sicut adulti, Baptismo Flaminis, vel Sanguinis sibi consulere. Qualis autem dilatio sit peccatum grave; multi multa dicunt. Sed communius, et probabilius dicit B. Ligorio (n. 118.), non esse gravem di-

lationem, nisi excedat tempus decem, vel undecim dierum; dummodo ob mortis periculum Baptismus non sit statim conferendus. Infertur 2.° quod, etiamsi non liceat incidere ventrem matris proxime moriturae, ut ejus infans baptizetur: mortua autem, hæc operatio sit statim facienda; ut fœtus, si vivus reperiatur, possit statim baptizari, et æternam consequi salutem.

Caput II.

De Materia, et Forma Baptismi.

41. Q. Quænam est *Materia* Baptismi?

R/. Duplex est *Materia* Baptismi, sicut et ceterorum Sacramentorum: remota, et proxima. Materia *remota* est aqua naturalis; *proxima* est ablutio, quæ cum hac aqua fit in corpore baptizandi, ut explicatum est n. 37. Sic ex verbis Christi num. 39. relatis definivit Tridentinum (Sess. 7. Can. 2.). Materia autem alia est certe *valida*; et hæc est quæcumque aqua elementaris, naturalis, sive sit fontis, putei, maris, lacus, paludis, pluvialis etc.; sive sit calida, frigida, colorata etc.; etiamsi alia res in minori quantitate sit permixta. Et hæc naturalis aqua extra casum necessitatis est semper adhibenda sub gravi. Communis. *Peccaret* autem *graviter*, dicit Cuniliati (Tr. 14. C. 1. §. 1.), *contra reverentiam Sacramento debitam qui potens habere aquam mundam, uteretur limosa* etc. Materia certe *invalida* est vinum, sanguis, lac, Oleum, et quæcumque alia res, quæ non sit aqua naturalis, ut dictum est. Et hi liquores absque gravi

sacrilegio numquam possunt adhiberi. Communis.

42. Q. Datur ne alia divisio?

℟. Adest etiam materia *dubia*, ut esset aqua, quæ ex floribus, aut herbis per distillationem obtinetur; liguores naturaliter ex vitibus, et arboribus emanantes; cerevisia valde tenuis; atramentum factum ex aqua; lixivium non nimis crassum; jusculum; sicut et aqua ex sale marino resoluta. Hæc autem juxta aliquos reputatur certo valida. Vide Ferrar. V. *Baptismus* Art. 2. n. 9. His autem dubiis materiis non est utendum, nisi in periculo mortis, quando materia certa haberi non potest; et sub conditione: *Si materia est apta, ego te baptizo etc.* ut communiter dicunt Doctores (ap. B. Ligor. n. 102.). At, si hujusmodi baptizatus supervixerit, et materia certa possit haberi; erit iterum baptizandus cum conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* In solemni autem Baptismo sub gravi erit semper adhibenda aqua eo anno benedicta in pervigilio Paschatis, vel Pentecosten; ut Palaus, et alii apud Ferraris (ibid. n. 13.), et Rituale. Si Aqua aliquo casu deficiat, vide idem Rituale.

43. Q. Circa *Materiam* est ne aliud notandum?

℟. Cum ex dictis (n. 37.) materia, seu aqua debeat tangere corpus baptizandi; sequitur, quod, si infantis in utero materno inclusi nulla pars appareat, quæ possit aqua pertingi: certum est, Baptismum forte collatum esse nullum. Communis. Si autem aliqua pars appareat, quæ per fistulam, aut alio modo possit ab obstetrice aqua perfundi eodem tempore, quo ab ipsa profertur forma, controvertitur. Sed Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. 7. Cap. 5. n. 6.) dicit, quod, si hujusmodi casus evenerit; et prudenter timeatur, infan-

tem decessurum; possit sub conditione (si capax es) baptizari; et pariter sub conditione (*si non es baptizatus*) iterum baptizandus, si periculum evadat, et foris prodeat.

44. Q. Est ne aliud præterea addendum?

℟. Sub iisdem conditionibus erit baptizandus, et rebaptizandus infans, si aqua non possit pertingere, nisi ad ejus capillos, aut ad secundinas: (quæ sunt illæ pelliculæ, in quibus involutus est infans). Licet enim capilli non sint animati, ut dicit Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 107. q. 3.), sunt tamen hominis partes; quemadmodum Benedictus XIV. referens (ibid. n. 3.) auctoritatem Sylvestri, et Vasquez, sentit de secundinis, quæ censentur quodammodo pars corporis infantilis. Et proinde, cum hujusmodi baptismata sint saltem dubia; in casu necessitatis possunt, imo debent cum dictis conditionibus ministrari; ut meliori modo, quo potest, animæ illi succurratur. Denique notandum, quod quamvis in Baptismo solemniter applicari debeat materia, seu trina requiratur ablutio, ut sic Trinitatis Mysterium exprimatur; et hoc sub gravi, ut sentit S. Thomas (q. 66. a. 8.): nihilominus quoad validitatem, nulli dubium est, validum esse Baptismum etiam per unam ablutionem collatum.

45. Q. Quænam est Forma Baptismi?

℟. In Ecclesia Latina sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et hac Forma Presbyter Latinus semper uti debet. Forma autem in Ecclesia Græca a Presbytero Græco semper adhibenda sunt verba sequentia: *Baptizetur* (seu ut dicit Arcudius: *Baptizatur etc.*) *Servus Christi in nomine Pa-*

tris, *et Filii*, *et Spiritus Sancti.* Ita definitum fuit a Concilio Florentino (Decr. union. Armenor.). Et verba prædicta *nullo modo*, ut legitur in Rituali Romano (de forma Baptis.) *licet immutare; sed eadem verba*, *uno*, *et eodem tempore*, *quo fit* trina *ablutio*, aspersio, aut immersio, *pronuntianda sunt* ab eo, qui baptizat. Sed sicut ab Hæretico, aut ab alio, vel per malitiam, vel per ignorantiam possunt dicta verba immutari; ad dignoscendum, an mutatio invalidet nec ne Baptismum; videbimus, quando Forma remaneat valida; quando sit invalida; quando dubia.

46. Q. Quid requiritur ut Forma sit valida?

℟. Ex verbis, quæ præfatam Formam constituunt, colligitur, quinque requiri ad hoc, ut *Forma* sit valida. 1. Ut exprimatur qui baptizat; quod in prædicta Forma denotatur per pronomen *ego*. Hic autem nota, quod in voce *Baptizo*, jam implicite continetur *ego*, qua voce omissa, baptismus adhuc valeret. Sicut in voce *Baptizetur* continetur *a me*. Requiritur 2. ut adhibeatur vox, quæ indicet ablutionem, ut *baptizo*, *abluo*, *lavo*, et similia. 3. ut exprimatur persona, quæ baptizatur, dicendo *te*, vel *celsitudinem tuam*, *majestatem tuam* etc. 4. ut exprimatur Unitas divinæ naturæ, quod fit per voces *in nomine*. 5. ut exprimantur distincte tres divinæ Personæ, dicendo: *Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti.* Hinc, si in mutatione Formæ dicta quinque requisita adsint; etsi peccet, qui mutat; Baptismus tamen erit validus, in quocumque idiomate Forma præfata pronuntietur; nec Baptismus erit iterandus: etiamsi ex ignorantia linguæ latinæ quis diceret: Ego te baptizo in nomine *Pa-*

tria , et Filia et Spiritua Sancta ; ut declaravit Papa Zacharias in Cap. *Retulerunt* de Consecr. dist. 4.

47. Q. Quando Forma erit invalida?

℟. Quando etiam unum ex dictis quinque requisitis desit. Hinc invalida erit Forma , et propterea Baptismus repetendus , si quis baptizando dixisset : Ego te baptizo in *nominibus* Patris etc. quia non exprimitur Unitas divinæ naturæ. Vel si dixisset: Ego te baptizo *cum Patre* etc. : quia nec exprimitur unitas ; nec si dixisset *cum nomine* Patris etc. ; quia *cum* significat societatem ministerii : Neque si dixisset : Ego te baptizo *ex parte Patris.* etc.: quia baptizans exprimeret, se non tamquam Ministrum principalem , sed tamquam procuratorem. Et sic de aliis mutationibus , quæ , quamvis contineant tres divinas Personas , variant tamen significationem. Sic invalida foret Forma , si Formæ consuetæ addatur nomen alicujus Sancti, vel Virginis Mariæ tamquam essentiale Formæ ; non autem si addatur ad obtinendam eorum intercessionem. Vide Ferraris ibid. Art. 3. a n. 23.

48. Q. Dantur ne Formæ dubiæ?

℟. Forma erit dubia , si quis diceret : Ego te baptizo *in virtute* Patris etc. ; vel diceret : Ego te baptizo in nomine *Genitoris* , *Geniti* , et *Procedentis ab utroque* ; vel in nomine *Creatoris* , *Redemptoris* , et *Sanctificatoris* ; vel in nomine *Ingeniti* , *Geniti* et *Doni* ; vel in nomine *Primæ* , *Secundæ* , et *Tertiæ Personæ SS. Trinitatis* ; vel in nomine *Filii* , *Patris* , et *Spiritus Sancti* ; vel in nomine *Patris* , *et Filii*, *et Spiritus* , omittendo *Sancti* ; vel ego te Baptizo *Nomine* Patris etc. , omittendo *In*. Qui ergo istis , aut similibus Formis dubiis baptizatus temere fuisset ;

deberet iterum baptizari cum conditione, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris* etc. Sic in Cap. *De quibus dubium* 2. de Baptismo. Vide Ferrar. ibid. a n. 44.

Caput III.

De Ministro, et Subjecto Baptismi.

49. Q. Quis potest esse Baptismi Minister?

℟. Triplex distingui potest Minister Baptismi: ordinarius, extraordinarius, et necessitatis. Minister *Ordinarius*, qui ex officio, et solemniter potest baptizare, est Papa per totum Orbem; Episcopus in sua Diœcesi; Parochus in sua Parochia; vel alius Sacerdos a supradictis delegatus (Conc. Florent. in Decreto union.). Minister *extraordinarius* est Diaconus; sed hic ut scripsit Gelasius I. ad Episcopos Lucaniæ, absque licentia Episcopi, vel Parochi non potest solemniter baptizare: quæ licentia juxta sacros Canones, ut legitur apud Togni (Instr. pro Exam. Cleri Roman.) non potest dari Diacono, nisi *duplici necessitate* ut statuit Conc. Londin. 1. Cap. 3.; *videlicet, quia Sacerdos non potest, vel absens, vel stulte non vult; et mors imminet puero.*

50. Q. Quis est Minister *necessitatis?*

℟. In casu necessitatis, videlicet in probabili periculo, quo aliquis possit mori sine baptismo, nisi statim baptizetur; *potest sine solemnitate*, ut docet Rituale Romanum (ibid.), *a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive laico, etiam excomunicato, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive hæretico, sive viro, sive fœmina, servata tamen forma, et in-*

tentione Ecclesiæ. Hanc tamen legem facit Rituale : Quod , *si adsit Sacerdos* , *Diacono præferatur* ; *Diaconus Subdiacono* ; *Clericus Laico* ; *et vir fœminæ* : *nisi pudoris gratia deceat fœminam potius* , *quam virum baptizare infantem non omnino editum* ; *vel nisi melius fœmina sciat formam* , *et modum baptizandi*. Sed , si baptizatus supervixerit , debent in Ecclesia suppleri Cæremoniæ , ut in Rituali. Et sicut unusquisque potest se reperire in hoc casu necessitatis , ut possit , et teneatur baptizare ; concludit Rituale : *quapropter curare debet Parochus* , *ut fideles* , *et præsertim obstetrices*, rectum *baptizandi ritum probe teneant* , *et servent*.

51. Q. Quid præterea notandum circa Ministros *necesitatis?*

ℝ. Cum obstetrices, aliæque fœminæ versentur ut plurimum in necessitate baptizandi ob mortis periculum ; cumque *in qualibet lingua* possit Baptismus ministrari ; curet Parochus in instruendo obstetrices de necessariis ad baptizandum ; ut formam baptismi in lingua vernacula addiscant ; ne ob ignorantiam linguæ latinæ errent. Et ad hoc , ut obstetrices , aliique noscant , quando infantes in periculo mortis versentur ; hæc signa apud B. Ligorio (n. 106. in fine) dat Franciscus Emmanuel. Si infans oritur sine vagitu , et lacrymis : si modice respiret : si appareat lividus præsertim in vultu , aut capite : si cranium habeat valde molle : si suturas habeat nimis apertas , aut alias partes disjunctas : si nascitur ante septimum mensem : si nascitur post multos labores vel matris , vel obstetricis etc. Et tandem nota , quod quamvis pater ; et mater propriam prolem baptizare non debeant ; si autem infans in periculo mortis

versetur, nec alius sit, qui possit baptizare; possunt, et debent illi baptizare; et tunc, ut Rituale ipsum monet, *nullam contrahunt cognationem, quæ matrimonii usum impediat.*

52. Q. Est ne aliud addendum circa Ministrum Baptismi?

℟. Maxime. Etiamsi Diaconus absque licentia, ut supra, non possit solemniter baptizare: si autem ipse sit Parochus; jure ordinario posset ex se, ut inquit Togni, qui supra, hoc Sacramentum ministrare: etiamsi alii negent. Addendum 2. quod, si Sacerdos, aut Diaconus extra casum necessitatis absque Episcopi, aut Parochi commissione baptizet; graviter peccabit. Et idem dicendum de Parocho, si extra suam Paræciam baptizaret, aut in ea alienos. Hic autem nota, quod, si qua mulier casu pariat in pago non suo, potest ejus proles ab illius pagi Parocho baptizari, aut transferri in suam patriam. Vide B. Ligorio n. 114. in fine. Imo Diaconi, et alii Clerici inferioris Ordinis, et etiam laici, si extra necessitatem, ut supra, baptizarent, præter peccatum mortale, etiam Irregularitatem incurrerent, ut colligitur ex Cap. *Si quis baptizaverit* 1. de Cleric. non ordin.

53. Q. Est ne aliud præterea addendum?

℟. Addendum 4. quod extra casum necessitatis, mortale est baptizare in domibus privatis, ut Suarez, et alii ap. B. Ligor. n. 142., cum Baptisma in Ecclesia, ubi est Fons Baptismalis, conferendum sit: nisi forte sint filii Regum, aut magnorum Principum, qui petant eos baptizari in propriis Cappellis, ut monet Rituale (ibid.), et statuit etiam Benedictus XIV. referens Decretum Clementis V. in Const. *Magno* n. 19. die 2. Junii 1751. aut si, ut subjungitur in Clement. *Præ-*

senti Tit. XV., propter aliquod periculum non possit infans ad Ecclesiam deferri. 5. Quod nullo in casu potest quis baptizare seipsum, ut ex Cap. *Debitum* 4. de Bapt. 6. Quod, si quis baptizando, credit esse Titium, et est Cajus: credens esse masculum, et est fœmina; juxta Sotum, et alios, quos citat Cuniliati (Tr. 14. Cap. 1. V. 4. n. 8.) valide baptizat. Quando autem Baptismus iterari possit, ac debeat; quæ dotes requirantur in Ministro, ut licite possit baptizare; quam culpam, et pœnam incurrat, si denuo baptizet quem valide cognoscit esse baptizatum ab obstetrice, aut ab alio; aut si noscat, se esse in mortali; recole quæ supra dicta sunt a num. 12. ad 22.

54. Q. Quod est subjectum Baptismi, sive quis potest baptizari?

℟. Subjectum capax Baptismi est solus homo vivus ab Adamo descendens nondum baptizatus, sive vir, seu fœmina; sive adultus, seu infans; imo etiam non perfecte natus, ut dictum est n. 43. et 44. (et etiam abortus, qui det signum vitæ. Ac potest baptizari; etiamsi non sit sui compos; vel perpetuo amens; vel furiosus etc., qui ut infans reputaretur, ut n. 18. dictum est. Si autem amentes, et furiosi aliquando habuerunt usum rationis, jam supra (n. 17.) dictum est, invalide Baptizari, nisi ante amentiam, aut delirium petiissent. An autem monstra, quæ quandoque nascuntur, Baptismi sint capacia; ita præscribit Rituale (ibid.): *monstrum, quod humanam speciem non præseferat, baptizari non debet: de quo sit dubium, baptizetur sub hac conditione: Si tu es homo, ego te baptizo* etc. Si tamen hujusmodi casus eveniret, et mortis periculum non immineat, idem Rituale monet, ordinarium

loci, aut alios peritos esse consulendos; et Rituale ipsum edocet, quid agendum, quando sunt una, vel plura capita etc. Et propterea videatur quod ibidem præscribitur.

55. Q. Infantes expositi, et filii hebræorum et infidelium possunt ne baptizari?

℟. Quoad filios expositos hi sunt semper baptizandi sub conditione, ut fit in Hospitalibus; dummodo non habeant schedulam Baptismum attestantem, quæ noscatur scriptam esse a persona, quæ fide sit digna. Quoad infantes vero filios hebræorum, et infidelium, invitis parentibus, baptizari non debent: dummodo infans non sit in periculo, aut articulo mortis; aut sit a parentibus derelictus, aut ab uno e parentibus præsentatus; etiamsi alter dissentiat; aut si post mortem patris offeratur baptizandus ab Avo; aut si ille infans filius sit hæretici etc. Vide rationes in duabus epistolis Benedicti XIV.; una *Postremo* 28. Febr. 1747. et altera *Probe* 15. Decemb. 1751. Sed hujusmodi infantes, si vivant, separandi sunt a parentibus, ne pervertantur, et in fide possint erudiri.

56. Q. Quid censendum de Baptismo adultorum?

℟. Rituale Romanum (de Bapt. adult.). Parochum monet, quod si se offerat aliquis adultus babtizandum, diligenter exquirat, an alias sit rite baptizatus: multoties enim, vel ob quæstum, vel ob aliam causam denuo posset peti Baptisma: exquirat etiam, si sciens, et volens, et amore Christianæ Religionis amplectendæ, et non ob aliquem pravum finem petat baptizari. Insuper istruatur prius per aliquot dies in Fide Christiana, ac sanctis moribus; exerceatur in pietatis operibus;

sæpius ejus voluntas, et propositum exploretur; ac excitetur ad dolorem suorum peccatorum. Et, si intra hoc tempus in mortis periculum incidat; habita ratione periculi, et necessitatis, baptizetur. Aliter juxta morem Ecclesiæ Romanæ in Sabbato ante Pascha, aut Pentecostes Baptismus differatur. Et ubi commode fieri potest, Episcopus requiratur; ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur Baptisma.

57. Q. Quid agendum, si quis in adulta ætate veniat in dubium de valore sui baptismi; seu certus sit de ejus invaliditate?

℟. Si ista dubietas non sit effectus scrupulorum, vel humoris hypocontriaci, sed sit vel dubietas juris, quia ex. gr. alii Doctores affirmant, alii negant fuisse validum baptismum sibi taliter collatum; vel sit dubietas facti, quia compertum est, varios invalide baptizatos fuisse ab illo Ministro, a quo ipse suscepit Baptisma; vel dubietas proveniat ab alia rationabili causa: tunc deberet iterum baptizari sub conditione, sed *secreto*, ut in simili casu statuit S. C. Concilii 4. Mar. 1737. (ap. Croix Lib. 6. n. 310.). Et si taliter baptizatus, foret Sacerdos; functiones Sacerdotii non posset amplius exercere, nisi prius sub conditione fuisset iterum baptizatus, et ordinatus. Et multo magis erit absolute baptizandus, et iterum ordinandus; si certus sit de invaliditate sui Baptismi: nam juxta dicta num. 17. invalide recipiuntur alia Sacramenta, nisi prius receptum sit Baptisma.

Caput IV.

De Patrinis, et aliis, quæ Baptismum respiciunt.

58. Q. Quid notandum circa Patrinos?

℟. Multa 1. quod in Baptismo solemni sub gravi requiritur Patrinus a parentibus designatus; dummodo hoc Officium obstetrix non suppleat. Ita Gobat cum aliis apud Ferraris (V. *Baptismus.* Art. 7. n. 6.). Dictum est in *Baptismo solemni*: quia in Baptismo privato, qui in casu necessitatis ministratur, juxta Decretum S. C. Concilii (ap. Ferrar. ibid.) Patrinus non requiritur; et si forte adhibeatur, cognationem, ut infra, ex decreto ejusdem S. C. non contrahet. 2.° ex Rituali Romano, *Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una adhibeantur ex Decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque baptizandi pater, aut Mater.* Neque ex hac Conciliari dispositione potest Episcopus dispensare. Et qui plures Patrinos adhiberet, peccaret graviter. At omnes contraherent cognationem spiritualem tam cum baptizato, quam cum ejus genitoribus. Sic cum pluribus tenet Barbosa, et alii Doctores apud Ferraris (loc. cit. 11. et 12.). Si autem non sint designati; etiamsi tetigerint, cognationem non contrahunt, ut habetur in Tridentino Sess. 24. Cap. 2. de Ref. Matrimon.

59. Q. Quid aliud est notandum?

℟. 3.° Quod, si Patrinus non sit designatus a genitoribus, aut ab aliis propinquis, aut a tutore; designandus est a Parocho. Notandum 4.°

quod, ut contrahatur cognatio, quam Sacri Canones relati a Sanchez (ap. B. Ligor. n. 148.) constituunt; requiritur, ut Patrinus, aut *tangat* aut *teneat*, aut *levet de Fonte*, aut a Ministro *accipiat* baptizatum: hisce enim terminis utuntur Textus: ita ut, si ex duobus designatis Patrinis, qui assistunt, unus tantum tangit baptizatum; ipse solus cognationem contraheret, ut declaratum fuit a S. C. Concilii 13. Febr. 1593. Notandum 5.° quod, si quis procuratorem constituat, qui suo nomine baptizandum teneat; non jam procurator, qui tenet; sed qui eum constituit, cognationem contrahit, et erit Patrinus. Sic declaravit S. C. Concilii 15. Mar. 1631. Et ratio est: quia ex Regula 77. de Regul. Jur. in 6. *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum.*

60. Q. Omnes ne possunt esse Patrini?

℟. Minime. 1. Enim non potest esse Patrinus qui saltem non habeat perfectum usum rationis. Imo varia Concilia requirunt ætatem quatuordecim annorum; et unusquisque consulat Constitutiones Synodales propriæ Diœcesis, vel factas ab Episcopis. Et etiam in Rituali Romano legitur: *Hos autem Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento confirmationis consignatos esse maxime convenit.* 2. Cum Regulares a sæculo sint segregati; subjungit idem Rituale: *Præterea ad hoc* (idest ad munus Patrini) *admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares*, et nec per procuratorem; ut statuit Concilium Coloniense III. (Tit. Censuræ C. 16.). 3. Ut legitur in eodem Rituali: *Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos Infideles, aut Hæreticos*,

nec publice excommunicatos, aut interdictos; non publice criminosos, aut infames; nec præterea, qui sana mente non sunt; neque qui ignorant rudimenta Fidei.

61. Q. Ad quid tenentur Patrini, et in quo consistit Cognatio, quam contrahunt?

℟. *Tenentur* ex eodem Rituali Romano *spirituales suos filios, quos de Baptismi Fonte susceperint* (rudimenta Fidei), *ubi opus fuerit, opportune docere*; præsertim si eorum genitores id facere negligent, vel morte, aut alio casu præpedit nequiverint. Cognatio autem spiritualis, quam Patrini contrahunt, est; ut hi invalide matrimonium contraherent juxta Tridentiuum (Sess. 24. Cap. 2. de Ref. Matrim.) non solum cum persona, quam tenent, sed etiam cum ejus Patre, et Matre. Hic autem nota, quod tenentes infantem jam privatim baptizatum, dum in Ecclesia cæremoniæ supplentur; ex decreto S. C. Concilii 13. Jul. 1624. hanc Cognationem non contrahunt. Nota 2. quod, si quis ex errore tenet unum infantem præ alio; Cognationem non contrahit: dummodo non intendat tenere, quicumque ille sit. Ita Sanchez cum aliis (ap. B. Ligor. n. 51..). Nota denique, quod in Baptismo conditionato, si dubium de priori Baptismo sit negativum, Patrinus prioris Baptismi, ex eodem Sanchez Cognationem contraheret.

62. Q. Qui sunt effectus Baptismi?

℟. Præter Characterem, qui in ipso imprimitur, ut supra num. 6., multi sunt effectus Baptismi. 1. tollit omnem culpam, et pœnam, nisi obex ponatur; ut declaratum fuit a Concilio Florentino (Decr. Union.); ita ut morientes post baptisma, *antequam culpam aliquam admittant*,

statim ad Regnum Cœlorum, et Dei visionem perveniunt. 2. Confert ex opere operato, ut dictum est num. 7., gratiam sanctificantem, et sacramentalem; et insuper infunduntur in eo habitus supernaturales Fidei, Spei, et Charitatis. 3. Baptizatus constituitur membrum Christi, ac Ecclesiæ; ejusque potestati subjicitur. 4. Redditur capax recipiendi alia Sacramenta. Denique is, qui baptizat etiam in baptismo privato, Cognationem spiritualem contrahit tam cum baptizato, quam cum ejus patre, et matre, quæ Cognatio ex Tridentino (ibid.) invalidat Matrimonium.

63. Q. Remanet ne aliquid addendum?

℟. *Quoniam iis* (sunt verba Ritualis de Sacr. Oleis), *qui baptizantur . . . nomen imponitur, curet* (Parochus), *ne obscœna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur; et patrociniis protegantur.* Hanc igitur doctrinam Parochi populum edoceant. Ad extremum notandum, quod, cum Libri Parochiales in quocumque Tribunali fidem faciant, et eorum exemplaria sint toties necessaria; tenetur Parochus diligenter in baptizatorum Libro adnotare, juxta formam Ritualis Romani (in fine) annum, mensem, diem, parentes, patrinos, et alia, quæ in ipso Rituali præscribuntur.

ARTICULUS II.

De Confirmatione, ejusque necessitate.

64. Q. Quid est Confirmatio, et an necessaria?

℞. Confirmatio est Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatus Chismate in fronte ungitur ab Episcopo, ad Fidei robur consequendum. Quamvis autem hoc Sacramentum non sit necessarium necessitate medii; cum quis etiam sine ipsó possit salvus fieri; et quondam fuerit disputatum, an esset necessarium sub gravi necessitate præcepti: ex Constitutione tamen Bened. XIV. *Et si pastoralis* 57. clare dicitur, *eos gravis peccati reatu teneri, si cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.* Et Instit. Eccl. 6. jam dixerat, gravis culpæ reos esse illos genitores, Parochos etc.; qui non instant, ut sibi subjecti Confirmationem ab Episcopo parato recipiant. Et pro tonsurandis sic statuitur a Tridentino (Sess. 23. Cap. 4. de Ref.): *Prima tonsura non initientur qui Confirmationis Sacramentum non susceperint.* De hoc ergo Sacramento magis necessaria in hoc Articolo videbimus.

CAPUT I.

De Materia, Forma, et Ministro.

65. Q. Quænam est Materia Confirmationis?

℞. Materia *remota* est *Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ*

per Episcopum benedicto. Sic legitur in Florentino (Decr. de Union. Armen.). Et licet quondam fuisset disputatum, an Oleum deberet esse de oliva, et an balsamum de essentia Sacramenti; post Const. *Ex quo primum* 54. Bened. XIV. 1. Mar. 1756. n. 49. et 52. non est amplius dubitandum; ibi enim legitur: *In Oleo, et Balsamo consistere materiam Sacramenti*; et hoc Oleum debere esse (n. 52.) *Olivarum.* Hanc unctionem factam fuisse etiam ab Apostolis, constat ex 2. ad Cor. 1. 21. et 22., et unctionem, de qua ibi Apostolus loquitur, SS. Chrysostomus, Hilarius etc. (ap. B. Ligor. n. 164. *Quod autem*) intelligunt esse illam, quæ fit in hoc Sacramento. Constat etiam ex Fabiano Papa, qui Epist. 2. dicit: *Ex divina institutione provenire, ut Oleum cum Balsamo conficiatur.* Et, si provenit *ex institutione divina*; non dubitandum est, hoc etiam ab Apostolis adhibitum esse; ut aperte docet S. Thomas (3. Par. q. 72. a. 4. ad 1.).

66. Q. Non requiritur etiam manuum impositio?

℟. Maxime. Sic enim faciebant Apostoli. Etenim S. Lucas (Actor. 8.) loquens de missione SS. Petri, et Joannis in Samariam, dicit Sanctos Apostolos novos baptizatos confirmasse manuum impositione: *tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quæ autem sit hæc manuum impositio, quæstio est inter Doctores. Aliqui sentiunt, esse illam, quæ habetur in Pontificali Romano in principio Functionis; ubi legitur: Tunc extensis versus confirmandos manus, dicit: *Omnipotens* etc.; et hanc dicunt esse materiam essentialem. Sed Eugenius IV. loquendo (Decr. sup. cit. de Union. Armen.)

de Materia hujus Sacramenti, nihil dicit de hac manuum impositione. Alii sentiunt, esse illam, quæ fit ab Episcopo, dum pollice in sacro Chrismate intincto ungit in fronte confirmandum. Sic tenet S. Thomas cum aliis ap. B. Ligor. n. 164.; qui hanc sententiam certissimam existimat: eo magis quod Innoc. III. in cap. *Cum venisset* §. *Per frontis* expresse dicit: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*; et hæc Unctio facta per manum Episcopi est Materia *proxima*.

67. Q. Quænam est Forma hujus Sacramenti?

℟. Sunt verba, quæ in linienda sacro Chrismate fronte confirmandi Episcopus profert, idest in Ecclesia Latina: *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Sic Eugenius IV. in dicto Decreto ad Armenos statuit. Et quamvis idem Pontifex mentionem faciat expressam Orationis Apostolorum (Actor. 8.); nullam aliam tamen docet esse Formam Confirmationis, quam mox citatam. Accedit etiam auctoritas Catechismi Romani, qui instruens de hoc Sacramento, sic num. 12. dicit: *Hanc*, idest prædictam Formam, *esse perfectam, et absolutam hujus Sacramenti Formam.* Quæ magis magisque comprobant, illam manus impositionem, quæ fit in ungendo confirmandum, esse Materiam Confirmationis: aliter duplex Forma esset adhibenda. Forma autem in Ecclesia Græca est sequens: *Signaculum Doni Sancti Spiritus*; ut colligitur ex Can. 7. Concilii Constantinopolit., ubi juxta linguæ genium, ut sentit Collet, subauditur: *Ecce*, vel: *Tibi datur.*

68. Q. Quis potest hoc Sacramentum administrare?

℟. Minister *ordinarius* est solus Episcopus. Ita Eugenius IV. (ibid.), et etiam Tridentinum (Sess. 7. Can. 3.). Minister vero *extraordinarius* potest esse etiam simplex Sacerdos, sed delegatus a Papa: at ex urgentissima causa; ut fecerunt multi Summi Pontifices delegantes præsertim Missionarios in partibus Infidelium ob defectum Episcoporum. Et ipse Eugenius IV. postquam decrevit, *solum Episcopum ordinarium esse Confirmationis Ministrum*, subjunxit statim: *Legitur aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*. Ex quo sequitur; quod potestas plena, et completa confirmandi de jure divino competat Episcopis; et potestas radicalis, et inchoata de eodem jure competat etiam Sacerdoti simplici; ita ut possit ad hoc Officium delegari a Christi Vicario.

69. Q. Est ne aliud notandum circa Ministrum hujus Sacramenti?

℟. Cum ad hoc Sacramentum ministrandum non solum potestas Ordinis Episcopalis, sed etiam jurisdictio requiratur; hinc ordinarie loquendo absque consensu Ordinarii Confirmandorum non licet Episcopo, nec in propria Diœcesi, sibi non subiectos confirmare; ut declaravit S. C. Concilii 28. Nov. 1602. Cum autem, nisi aliter constet, semper præsumatur tacitus consensus aliorum Episcoporum, ut sentiunt Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 173.); communius, et probabilius censent, non solum valide, sed etiam licite posse Episcopum alienos subditos confirmare; præsertim in illis locis, ubi

hæc viget consuetudo. Ob eamdem rationem non licet Episcopo extra suam Diœcesim hoc Sacramentum ministrare, nec suis subditis, sub pœna Suspensionis a Pontificalibus inflicta a Tridentino (Sess. 6. Cap. 5. de Ref.); nisi accedat consensus Ordinarii illius loci. Potest tamen Episcopus hoc Sacramentum ministrare in Ecclesiis Rugularium suæ Diœcesis etiam exemptis. Bened. XIV. in Const. *Firmandis* 20. Novembr. 1744. n. 6.

Caput II.

De Subjecto, et aliis, quæ Confirmationem respiciunt.

70. Q. Quod est Subjectum Confirmationis; seu qui possunt confirmari?

℟. Quoad validitatem omnes, et soli baptizati nondum confirmati possunt hoc Sacramentum recipere. Dictum est *nondum confirmati*: quia, cum Confirmatio characterem imprimat, ut supra (n. 6.) diximus; semel valide suscepta, amplius absque culpa mortali recipi nequit. Et, si qui confirmantur, sint adulti, requiritur etiam intentio saltem habitualis (ut n. 17.) hoc Sacramentum recipiendi. Ad hoc autem, ut non solum valide, sed etiam licite recipiatur, requiritur 1.° status gratiæ, quem qui non habet, sacramentali recuperet Confessione, aut saltem contritione; ut præscribit Pontificale Romanum. Sed cum contritio non tam facile concipiatur, tutior est Confessio; et ita confirmandus periculo non se exponet sacrilege suscipiendi. Requiritur 2.°, ut habitu decenti, et modesto accedant præsertim mulieres; ne suis vanitatibus Spiritum Sanctum a se aver-

tant. Denique, etiamsi non requiratur, ut corpore jejuno hoc Sacramentum recipiatur; expedit tamen juxta idem Pontificale, ut si mane, jejuni accedant.

71. Q. Infantes possunt ne confirmari?

℟. Olim etiam infantes indiscriminatim Chrismate liniebantur, statim ac sacro Baptismate erant regenerati; et adhuc fit in Ecclesiis Orientalibus, ut videre est apud Bened. XIV. (Syn. Diœc. Lib. 7. Cap. X.). Sed post sæculum XIII. *congruentius visum* est Romanis Pontificibus (ut ibidem n. 3. et Constit. *Eo quamvis* 56. dicit idem Summus Pontifex), expectare, *ut confirmandus rationis usum adeptus fuerit*: Idipsum legitur in Catechismo Romano (ibid.). Sed cum laudatus Pontifex post emanatam præfatam Constitutionem dixerit in Syn. Diœc. (ibid. n. 5.), in mortis discrimine, aut alia gravi necessitate, et justa causa etiam ante septennium posse infantes inungi; in multis locis inolevit consuetudo conferendi hoc Sacramentum omnibus infantibus, forsan, ut majorem gloriam in Cœlo consequantur, sicut sentit S. Thomas (3. Par. q. 71. a. 8. ad 4.), si moriantur; et etiam juxta Antoine (Tr. de Confirm.), ut cum innocentia baptismali hoc Sacramentum suscipiant, et non cum peccato mortali.

72. Q. Circa Subjectum est ne aliud addendum?

℟. Addendum, quod hoc Sacramentum valide, et licite potest conferri etiam amentibus, et deliris; quamvis semper fuerint tales. Ita Suarez et alii ap. Ferraris (ib. Art. 2. n. 36.). Item possunt confirmari muti, et etiam infirmi morti proximi. Sic S. Thomas (3. P. q. 72. a. 8. ad 4.): quia quoad amentes, deliros, et alios rationis usu de-

stitutos, licet nequeant hi habere ullam intentionem; supplet in his, sicut et in infantibus intentio Christi, et Ecclesiæ; ut supra (n. 18.) diximus de Baptismo. Quoad mutos vero, et morti proximos, licet suam intentionem patefacere non possint ore; patefaciunt tamen vita Christiana; dummodo aliter non constet. Et potest sufficere etiam intentio interpretativa, ut dictum est n. 18. Denique, quod *nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Christianæ Fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum*; ut monet Pontificale.

73. Q. Quid notandum circa Patrinos?

℟. Quod supra (n. 58. 59. 60. et 61.) diximus de Patrinis Baptismi circa eorum necessitatem, designationem, obligationem, et Cognationem, quam contrahunt; et de iis, qui non possunt esse Patrini in Baptismo; data proportione, idem dicendum de Patrinis Confirmationis. Et insuper addendum, quod ex eodem Pontificali Patrinus debet esse confirmatus. Quod si confirmatus non foret, peccaret graviter juxta Communem; et cognationem spiritualem non contraheret, ex Decreto S. Congregationis Conc. 13. Jul. 1654. Item ex Cap. *Non plures* de Cogn. spir. in 6. Patrinus Confirmationis potest esse unus, vel una. Et sicut comfirmandi, quando sunt adulti, ponere debent pedem suum super pedem Patrini juxta Pontificale; vel Patrinus suam manum dexteram ponere super humerum dexterum confirmandi, ut habetur in Decr. S. R. C. 20. Sept. 1749. ad 8.; hinc decet, quod masculi non sint fœminis patrini, nec fœmina masculo matrina.

74. Q. Quot sunt effectus Confirmationis etc.?

R. Præter Characterem, ut supra n. 6.; nisi adsit obex peccati mortalis; producit ex opere operato gratiam *secundam* (n. 3.); et quandoque producere potest etiam gratiam *primam*, ut explicatum est n. 5. Et cum Confirmatio sit Sacramentum vivorum; qui advertenter eam recipit in lethali, grave sacrilegium committit; ut pariter dictum est n. 4. Secundus Effectus est gratia sacramentalis (n. 3.). Qui enim, ut habetur in Catechismo Rom. n. 20., *per Baptismum Christiani effecti sunt . . . . Chrismatis Sacramento* (cum in eo conferatur Spiritus Sanctus) *adversus omnes Carnis, Mundi, et Diaboli impetus robustiores fiunt*. Hoc accidit Apostolis, qui ante Passionem ita erant timidi, et infirmi; ut, cum Dominus comprehensus fuit, statim in fugam se dederint; et ipse Petrus vilis mulierculæ voce perterritus, se Jesu Christi discipulum negavit. At post acceptum Spiritum Sanctum, tanta repleti fuerunt virtute, ut in universo mundo, contradicentibus Principibus ipsis, et Regibus; Christi Evangelium desseminarint.

75. Q. Sunt ne alia notanda circa Confirmationem?

R/. Etiamsi, cum solemniter hoc Sacramentum ministratur, Episcopus debeat esse indutus Amictu supra Rochetum (seu si sit Regularis, supra Superpellicium), Stola, Pluviali albi coloris, Mitra, et Baculo Pastorali: nihilominùs, si minus solemniter conferatur, præsertim extra Ecclesiam; ut ex causa ad arbitrium Episcopi, Pontificale dicit, posse fieri; S. C. de Propag. Fide 7. Dec. 1726. (ap. B. Ligor. n. 184.) declarávit, sufficere, quod Episcopus sine Mitra cum Stola tantum possit confirmare. Notandum insuper, quod etiamsi possit quis valide confirmari, etiamsi præ-

sens non fuerit in manuum impositione, quæ fit initio functionis, ut habetur ap. Bened. XIV. (Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 19. n. 17.); cum tamen dona S. Spiritus in Oratione, quæ tunc dicitur, implorentur; non est a confirmandis negligenda: sicut nec negligenda est benedictio, quæ in fine ab Episcopo datur; ut monetur in Pontificali. Notandum denique, sacram unctionem ideo fieri in fronte, quæ est sedes verecundiæ, ut Confirmatus non erubescat Christi nomen confiteri; et insuper datur ei alapa ab Episcopo; ut intelligat, invicte tolerandas ei esse injurias, quibus forsan afficitur.

ARTICULUS III.

De Eucharistia.

76. Q. Quid est Eucharistia?

℟. Est Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi, sub speciebus panis, et vini ad spiritualem animæ refectionem a Christo Domino in ultima Cœna institutum; ut ex Evangelio communiter credunt Catholici (Trident. Sess. 13. Cap. 1.). Seu: est, Sacramentum, quod sub speciebus panis, et vini continet verum Corpus, et Sanguinem D. N. J. Christi, non solum in ipso usu, et transeunter, ut aliqui Hæretici asserunt; sed permanenter (Trid. ib. Can. 4.); usquedum species perseverant. Sed sicut Eucharistia consideratur non solum, ut Sacramentum, sed etiam, ut Sacrificium: hinc, ut debitus servetur ordo in tota hac materia pertractanda; in duas Sectiones hunc Articulum dividemus. Prior Eucharistiam, ut Sacramentum spectabit; altera, ut Sacrificium eamdem expendet. Sit igitur.

SECTIO I.

De Eucharistia, ut Sacramento.

77. Q. Quomodo probatur, Eucharistiam esse Sacramentum?

℟. Probatur, tum ex Traditione, tum ex Tridentino, quod Sess. 7. Can. 1. anathematizat illum, qui negaret Eucharistiam esse Sacramentum. Probatur etiam ex ratione intrinseca: quia in Eucharistia omnia concurrunt, quæ in Sacramento requiruntur: idest *signum sensibile*, *institutio Christi*, *et gratiæ significatio*, *et efficentia*; ut legitur in Catechismo Romano (Par. 2. Cap. 4. n. 7.); et infra videbitur. Sicut ergo in aliis Sacramentis, sic etiam in isto disseremus de materia, de Forma, de Ministro, de Subjecto, de Dispositionibus, de Effectibus, et de aliis, quæ magis necessaria judicabuntur.

Caput I.

De Materia, et Forma Eucharistiæ.

78. Q. Quænam est Materia Eucharistiæ?

℟. Materia, ex qua conficitur Eucharistia, est *panis triticeus*, *et vinum de vite*; cui vino ex præcepto Ecclesiæ (Trid. Sess. 22. Cap. 7.) *modicissima aqua ante consecrationem debet admisceri.* Ita statuit Florentinum (Decr. Union.). Hic autem nota, quod ad valorem Eucharistiæ quilibet panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus est materia apta. Sed de necessitate præcepti Sacerdos Latinus sub gravi consecrare debet in azymo; et Græcus in fermentato. Ita Communis;

et habetur expresse in prædicto Florentino. (ibid.). Et a culpa gravi non excusaret necessitas etiam dandi Viaticum ; ut sentit Lugo cum aliis ap. B. Ligorio (Lib. 6. n. 202). Et Bened. XIV. Const. *Et si pastoralis* §. 6. n. 10. sub pœna Supensionis perpetuæ a divinis id vetat. At, si Sacerdos Latinus in locis Græcorum versetur, ubi Ecclesia Latina non adsit ; et viceversa ; Suarez cum aliis, quos citat idem Beatus (n. 203.), communiter, et probabilissime sentiunt, liberum esse Sacerdoti celebrare in azymo, aut fermentato. In fermentato juxta Doctrinam S. Augustini (Ep. 118. n. 58.) ; in azymo : quia, etiamsi quis possit ; non tenetur tamen sequi morem regionis, in qua reperitur ; ut colligitur ex Epistola Leonis Papæ ad Cærular.

79. Q. Est ne aliquid circa *Materiam* notandum ?

℟. Circa *Materiam* panis notandum. 1.°, quod cum panis, sive azymus, sive fermentatus debeat esse triticeus; si confectus sit ex aliis granis, ut avenæ, milii, hordei etc.; non esset materia apta ; dummodo hujusmodi grana in modica quantitate non sint commixta cum tritico ; quia tunc non cessaret considerari, et reputari panis triticeus. Ita S. Thomas (3. Par. q. 74. a. 3. ad 3.). Si autem essent *in tanta quantitate*, *ut non maneat panis triticeus . . . . . non conficitur Sacramentum*. Sic in Rubr. Missal. (de Defect. Tit. 3. n. 1.). Cum autem siligo, vulgo *Segala*, similis sit tritico, S. Doctor (ibid. n. 3. ad 2. et 5.) eam verum triticum reputat ; et propterea Materiam aptam : etiamsi Concina, et alii ap. B. Ligor. (n. 200.) negent; et proinde, ut materia dubia, non adhibenda. Notandum 2.°, quod si panis etsi

triticeus sit substantialiter corruptus; foret materia inepta (Rubr. sup.). Et cum amydum confectum sit ex tritico corrupto; idem Doctor Angelicus (ibid. n. 3. ad 4.) sentit, non videri Materiam aptam.

80. Q. Est aliud addendum circa Materiam panis?

℟. Notandum 3.° quod hostiæ rubræ, flavæ, aut alterius coloris, quibus Epistolæ sigillantur; etsi confectæ sint ex farina tritici; cum ex minio, croco, aut aliis coloribus notabiliter panis alteretur, ut sentit Lugo, et alii ap. B. Ligor. (n. 199.), non sunt Materia valida, vel saltem sunt dubia; et proinde non adhibendæ: ut sentit etiam Merati (ad Gav. Par. 3. Cap. 3. n. 1.). Notandum 4.° quod, quamvis apud Græcos panis consecrandus sit quadratus, et pro Laicis triangularis, ut refert Arcudius; in Ecclesia vero Latina ex præcepto Ecclesiastico hostia consecranda debet esse figuræ Orbicularis, et integra absque ulla fractura, et Macula. Sentit tamen idem Beatus (n. 204.), quod si fractura, et Macula non foret enormis, secluso scandalo, non esset, nisi peccatum veniale hujusmodi Hostiam ex rationabili causa consecrare.

81. Q. Quid notandum circa Materiam vini?

℟. *Si Vinum*, ut habet Rubrica (sup. Tit. 4. n. 1. et 2.), *sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum; vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum. Si vero vinum cœperit acescere, vel corrumpi; vel fuerit aliquantulum acre; vel mustum de Uvis tunc expressum . . . . conficitur Sacramentum; sed conficiens graviter peccat.* Notant autem Sporer cum aliis (ap. B. Ligor.

n. 207.), quod deficiente alio vino, liceat sine scrupulo adhiberi vinum tantum parum acescens. Et idem videtur dicendum de vino parum acri, prout solent viri probi: dummodo certe sit vinum. Aliæ difficultates circa Materiam panis, et vini disceptabuntur, cum agetur de Sacrificio Missæ n. 142. etc.

82. Q. Quænam est Forma Eucharistiæ?

℟. Sunt illa verba, quæ Sacerdos induens personam Christi, aut ex persona Christi cum debita intentione profert; idest in consecratione panis sunt hæc verba: *Hoc est enim corpus meum*; et in conseratione vini sunt sequentia: *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi, et æterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Sic habetur in prædicta Rubrica Tit. 5. n. 1.). Et quamvis hæc sola verba: *Hoc est corpus meum*; *et Hic est Sanguis meus* sint de essentia juxta sententiam, quam B. Ligorio (n. 222.) communiorem vocat, aut verba æquivalentia: qui autem aliquid advertenter minueret, adderet, aut mutaret; gravissime peccaret (Rubr. ibid.). Et post hujusmodi verborum prolationem evenit admirabilis illa transubstantiatio, de qua Patres; et panis, ac vinum convertitur in substantiam Corporis, et Sanguinis Christi.

Caput II.

De Ministro Eucharistiæ.

83. Q. Quis est Minister Eucharistiæ?

℟. Alius est Minister confectionis, seu consecrationis; alius Minister dispensationis. Minister

consecrationis est solus Sacerdos rite ordinatus. Sic ex verbis Christi (Luc. 22. 19.) : *Hoc facite in meam commemorationem*, et Traditio, et Concilia generalia Nicænum I. Lateranense IV. Florentinum, et Tridentinum (Sess. 22. Can. 2.) semper docuerunt. Minister autem, dispensationis alius est ordinarius, alius extraordinarius. Minister *Ordinarius* pariter est Sacerdos ; cui enim concessa est facultas Eucharistiæ conficiendæ, eodem jure concessa est etiam dispensandi. Ex officio tamen soli Episcopi, Parochi, aliique curam animarum habentes possunt dispensare : quia Pastorum est pascere gregem, quod præcipue fit Eucharistiæ Sacramentum administrando : ita ut, si quis Sacerdos, contradicente Ordinario, aut Parocho, hoc Sacramentum dispensaret (ex Bon. relato a Busemb. ap. B. Ligor. n. 234.), graviter peccaret : quia in re gravi alterius jurisdictionem violaret.

84. Q. Quare dixisti : *ex Officio* ?

℟. Quia ex privilegio, delegatione, et consuetudine etiam ceteri Sacerdotes licite possunt. *Ex privilegio* sunt Regulares, quibus a Julio II. Paulo III. et Paulo IV. concessum est, ut *omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ . . . . quibusvis personis licite ministrare possint*. Ita refert Collet (Tr. de Eucharist. P. 1. Cap. 5. §. 3.). *Ex delegatione* potest quicumque Sacerdos ab Ordinario, aut a Parocho delegatus : *Ex consuetudine* communiter recepta ob præsumptum Parochi consensum possunt omnes Sacerdotes, quibus celebrandi facultas conceditur : dummodo aliter de Episcopi, aut Parochi mente non constet. Hic autem nota, quod omnes prædicti non possunt

absque licentia dare pueris primam Comunionem, nec Eucharistiam dispensare ob satisfactionem præcepti Paschalis, nec ægrotis sacrum Viaticum præbere quia hisce occasionibus unusquisque proprium Pastorem, et Parochum recognoscere debet: dummodo Parochus non absit; aut ut notant Salmatic. ap. B. Ligor. n. 236. injuste renuat.

85. Q. Quis est Minister *extraordinarius?*

℟. Est Diaconus. Sed hic sacram Communionem non potest ministrare, nisi ex commissione Episcopi, aut Parochi; et in necessitate, ut habetur in Concilio Carthagin. IV. Can. 39. puta, cum adsunt communicandi, et Sacerdos non adsit, qui commode posset, et vellet communicare; vel si Sacerdos in concursu Populi occupatus sit in audiendis Confessionibus, aut similes interveniant circumstantiæ; quia in hisce casibus præsumitur dicta commissio. Omnes tamen conveniunt, ut notat B. Ligor. (n. 237. q. 1.), quod in necessitate extrema, absente, vel injuste renuente Sacerdote, poterit, imo tenebitur Diaconus Superpelliceo, et Stola transversa indutus etiam absque commissione Sacrum Viaticum ægroto periclitanti deferre. Imo in tali extrema necessitate non solum Diaconus, sed etiam Clerici inferioris Ordinis, et ipsi Laici, ut sentit Suarez cum aliis ap. eumdem Beatum (ibid. q. 2. et 3.), possent sacrum Viaticum ministrare; et etiam sumere Viaticum per se ipsos, si revera casus dari possit, quod nullus Sacerdos, aut Diaconus reperiatur.

86. Q. Adest ne obligatio Eucharistiam ministrandi?

℟. Quamvis Sacerdotes simplices, et Diaconi teneantur tantum in necessitate extrema, ut mox

explicatum est (n. 84. et 85.): qui tamen curam habent animarum, tenentur, quoties subditi rationabiliter petunt; ut dictum est n. 26.; et non jam tempore præcepti tantum, aut in articulo mortis, ut quidam non recte autumant apud B. Ligorio (n. 253.). Dubium autem est, an teneantur tempore pestis? Gregorius XIII. ut refert Fagnanus (ap. eumdem Beatum n. 233.), die 12. Octob. 1576. approbavit decretum S. C. Concilii, quæ decrevit, *Parochos suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat . . . Baptismum, et pœnitentiam vel per se, vel per alium idoneum.* Sed Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 19. n. 27.), ne miseri ægroti peste laborantes absque viatico ex hac vita decedant; et a sacris Ministris timor, ac periculum mortis incurrendæ quantum fas est, removeatur, Episcopis suggerit, ut Parochis permittant, ægrotum suis manibus sacram Particulam ab Ecclesiastico delatam apprehendere, et in os suum inferre, ut antiquitus etiam a sanis fiebat; vel consilio sapientum alium modum decentem decernant sacri viatici ministrandi, ex. gr. ponendo Particulam in vasculo cum modica aqua, vel vino, quam suis manibus infirmus accipiat (n. 25.), et sumat.

87. Q. Circa Ministrum sunt ne alia præterea notanda?

℟. Maxime. Notandum 1. quod si Diaconus absque commissione, ut supra (n. 85.), auderet Eucharistiam ministrare, præter peccatum mortale, incurreret insuper Irregularitatem, ut docet Layman cum aliis, quos citat B. Ligorio (n. 234.), ex Cap. *Si quis* I. de Cler. non ordin.: quia officium exercet, in quo non est ordinatus; sed

tantum ex commissione, et in casu necessitatis potest exercere. Notandum 2., quod si Sacerdos, aut Diaconus in mortali Eucharistiam ministret, etiamsi Lugo cum aliis ap. B. Ligorio (n. 35.) eum excusent a peccato mortali: ex dictis tamen supra n. 19. graviter peccat: et hanc sententiam sequitur idem Beatus. An autem pluribus successive Eucharistiam ministrando, unum, aut plura committantur peccata; controversum est. Noster Beatus dicit, *probabilius esse, pluralitatem communicantium constituere tantum circumstantiam aggravantem.*

88. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 3. quod, quamvis graviter ægrotantibus, quocumque in loco hi reperiantur, quacumque die, et hora possit sacrum Viaticum præberi; sanis autem non potest sacra Communio ministrari, nisi in Ecclesiis (non autem in Oratoriis privatorum absque Episcopi licentia, ut habetur in Const. *Magno* n. 23. Bened. XIV. 2. Junii 1751.). Nec potest præberi in nocte Nativitatis Domini ex Decreto S. R. C. 20. April. 1641. nec Fer. 6. Parasceve, ut ex Rubr. Fer. V. in Cœna Domini; Sabbato Sancto autem inter Missarum solemnia potest præberi ex Decreto S. R. C. 22. Mar. 1806. quoad horam autem juxta hodiernam Ecclesiæ consuetudinem convenit, ut fiat horis ante meridianis, aut saltem ante Vesperas; præsertim si propter concursum populi adhuc sint communicandi. Vide B. Ligorio (n. 252.). Notandum 4.° quod Sacerdos Sacro Viatico reficiendus, si commode valet, etiam suis manibus potest illud suscipere, annuente Sacerdote ministrante. Sic Bened. XIV. (Syn. Diœc. ib. n. 27.)

89. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 5.° quod, si quis communicandus rationabilem habeat causam non expectandi, potest a Sacerdote communicari etiam cum parte suæ hostiæ. Sic S. Antoninus cum aliis apud Croix (Lib. 6. P. I. n. 498.). Notandum 6.° quod si in Sacra Eucharistia distribuenda aliquod fragmentum, aut Particula in terram decidat; reverenter colligatur; et locus campanula, aut mundo panno juxta Rubricas cooperiatur, postea abluendus. Et, si in communione Monalium id eveniat; aliqua Monialis omnia prædicta faciat; et, si ipsa sit adhuc communicanda, sua manu se communicet: aliter per eamdem fenestellam Sacerdoti porrigat. Si autem in mulieris sinum casu ceciderit; ipsamet sacram Particulam, aut fragmentum inquirat; et inventa, suis manibus se communicet. Ita Lambertini, postea Bened. XIV.) del Sacr. della Mes. Sez. 2. Cap. 6. §. 6.; et alii ap. B. Ligorio (n. 250.).

90. Q. Circa Viaticum est ne aliud addendum?

℟. Addendum 1.° quod, si quis ægrotus ob linguæ ariditatem sacram Particulam deglutire non possit; non jam vinum consecratum, ut aliqui non recte sentiunt, sed sacram Particulam in aliquo Vasculo una cum aqua Sacerdos ei porrigat, vel aqua, vinove madefactam. Sic idem Lambertini (ibid. n. 4.): quia Viaticum etiam non jejuno potest ministrari. Addendum 2.° quod, si egrotus post sumptum sacrum Viaticum, iterum esuriat illum panem cœlestem; etsi jejunus percipere nequeat; etiam perseverante eodem morbi periculo, non est a Parocho defraudandus octavo quoque die, et etiam sæpius, presertim si instet mortis periculum; aut si sanus frequenter Eucharisticum panem degustare solebat. Sic Bened. XIV.

Syn. Diœc. Lib. 7. Cap. 12. n. 4. et 5.), referens opinionem variorum Doctorum, Parochis insinuat. Addendum 3.° quod, si in ægro esset periculum vomitus; prius ei detur particula non consecrata, quam si retineat, communicetur cum Particula consecrata: aliter nullo modo communicetur. Addendum denique, quod, si quis bene valens mane ad Eucharistiam accesserit, et postea in periculosum morbum incidat; liberum erit Parocho inter tot Auctorum opiniones iterum eadem die ei sacram Communionem per modum Viatici præbere, vel non præbere; ut sentit idem Pontifex (ibid. Cap. XI. n. 2.).

Caput III.

De Subjecto Eucharistiæ, seu de iis, qui communicant.

91. Q. Qui sunt capaces sacræ Communionis?

℟. Dicit Rituale Romanum (Doctr. de Euchar.): *Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur.* Qui autem sint illi, qui prohibeantur, et a Sacra Mensa sint arcendi, sive occulte, sive publice petant, vide supra num. 23. et 24. Prosequitur Rituale: *Amentibus præterea, seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu maneant; si nullum indignitatis periculum adsit.* Et quamvis quibusdam Ecclesiæ sæculis, ut inquit Bened. XIV. (Const. *Allatæ* 25. Mar. 1755. n. 29.), post Baptismi Sacramentum etiam infantibus sub specie vini traderetur: nihilominus

tractu temporis sagaci consilio id fuit vetitum infantibus; et idem Rituale concludit: *Ita etiam iis, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, et gustum habent, administrari non debet.*

92. Q. In qua ætate potest pueris sacra Communio administrari?

℟. Certa regula dari non potest; et, ut recte monet Catechismus Romanus (Par. 2. Cap. 4. n. 63.), nemo melius id comprehendere potest, quam genitores, et eorum Confessarius, et præsertim Parochus, ad quos *pertinet explorare, et a pueris percontari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, et gustum habent.* Et quamvis multi Doctores (ap. Bened. XIV. Syn. Diœc. Lib. 7. Cap. 12. n. 2.). sentiant, pueros statim ac sunt capaces sacramentalis Confessionis, capaces etiam esse sacræ Eucharistiæ; et ex Cap. *Omnes utriusque sexus* tam ad Confessionem, quam ad Communionem in Paschate teneri: nihilominus, ut idem Pontifex referens aliorum Doctorum opinionem sapienter monet, major discretio requiritur in suscipiente Eucharistiam, cujus excellentia majorem exigit judicii maturitatem; ut debita religione, ac reverentia suscipiatur.

93. Q. Quo ætatis anno hæc judicii maturitas censenda est advenire?

℟. Jam diximus, certam regulam dari non posse: *alii* enim *tardius*, sunt verba ejusdem Summi Pontificis, *alii citius perfectum rationis usum, rerumque spiritualium intelligentiam assequuntur. Id autem intra decimum, et decimum quartum ætatis annum, communiter evenire* creditur. Imo sunt quidam pueri ita torpidi,

ut major ætas in iis requiratur. Hoc autem intelligitur de pueris sanis : nam si versentur in periculo mortis, Laudatus Pontifex (ibid. n. 1.) notat, deberi sacrum Viaticum iis præberi, si cibum istum cœlestem, et supernum a communi, et materiali cibo discernere queant : etiamsi dictam ætatem nondum attigerint. Imo gravi culpa perstringit illos, Parochos, *qui pueros etiam duodennes, et perspicacis ingenii sinunt ex hac vita migrare sine Viatico*; etiamsi antea nunquam, et forte eorum oscitantia, Eucharisticum panem degustarint.

94. Q. Adest ne præceptum communicandi?

℞. Maxime, et quidem duplex : Divinum, et Ecclesiasticum. De Præcepto *Ecclesiastico*, seu de *Communione Paschali* locuti sumus in Libro III. a num. 1074. ad 1078.; et ibi dicta recolantur. Præceptum autem *divinum* habetur ex Evangelio S. Joannis (Cap. 6. v. 54.), ubi legitur : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ex quibus verbis constat, hoc divinum præceptum omnes adultos obligare sub gravi : quia qui non communicat, non habebit vitam, idest, *æternam*. Dictum est *adultos* : quia quoad infantes, et pueros, qui sufficientem usum rationis non habent, ad discernendum Corpus Christi ab aliis cibis; et illud devote sumere nequeunt, ut dictum est num. præcedenti; non est concedenda Communio, nisi versentur in periculo mortis : quia in hoc casu non potest expectari tempus commodius ad Eucharistiam cum meliori dispositione recipiendam; dummodo, ut dictum est, aliquo modo cibum cælestem a terreno discernere queant. Sic communis Ecclesiæ consue-

tudo interpretatur obligationem hujus præcepti.

95. Q. Quando obligat hoc *Divinum* præceptum?

℟. Etiamsi Christus non determinaverit nec tempus, nec frequentiam sumptionis hujus cibi divini; determinavit tamen Ecclesia, ut saltem in Paschate, ut dictum est, omnes communicent; et cùm versantur in probabili mortis periculo: velut in gravi morbo, instante conflictu, partu difficili, periculosa navigatione, membri alicujus incisione etc.; ut ex Apostolorum Traditione semper consuevit Ecclesia. Dictum est *saltem*, quia Ecclesia, ut se expressit in Tridentino (Sess. 22. Cap. 6.) optaret, ut, positis ponendis, in singulis Missis fideles communicarent. Et frequens, imo quotidianus Eucharistiæ usus, ut docuit Innocentius XI. (Decr. 15. Febr. 1679.) fuit semper in Ecclesia probatus. Sicut enim cibus corporalis necessarius est ad conservandum vitam corporis: sic iste cibus cœlestis ad conservandam vitàm animæ; præsertim in eo, qui propria experientia novit, hujusmodi frequentiam sibi prodesse ad perseverandum in gratia.

Caput IV.

De Dispositionibus requisitis ad suscipiendam Eucharistiam.

96. Q. Quæ Dispositiones requiruntur in Communicandis?

℟. Aliæ requiruntur ex parte Animæ, et aliæ ex parte corporis. Quoad dispositiones ex parte *Animæ* requiritur in primis, ut qui communicandus est, sibi conscius non sit de ullo peccato

mortali rite non confesso, et absoluto; sed prudenter speret, se esse in statu gratiæ. Sic ex illis verbis Apostoli (I. Cor. 11. 28.): *Probet autem seipsum homo*; semper docuerunt Patres, et Ecclesia (Trid. Sess. 13. Cap. 7.). Ita ut, qui in peccato mortali ad illud sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, auderet accedere; gravissimo se alligaret sacrilegio; et juxta expressionem ipsius Apostoli judicium sibi manducaret, et biberet: idest, ut explicat Tridentinum (ibid. Can. 11.), æternam mortem, et damnationem sibi acquireret. Et proinde qui in mortali existit, aut dubitat, esse mortale peccatum admissum; antequam ad Communionem accedat, Sacramentali Confessione statum gratiæ recuperare tenetur:

97. Q. Semper ne requiritur hæc Confessio?

R̸. Per se loquendo semper requiritur. Licet enim in suscipiendis aliis vivorum Sacramentis (vide n. 28.) possit sufficere statum gratiæ per contritionem recuperare; in suscipienda tamen Eucharistia, Tridentinum (eod. Can. 11.) *declarat*, *illis*, *quos scientia peccati mortalis gravat*; *quantumcumque etiam se contritos existiment*; *habita copia Confessoris*, *necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem*. Et ipso facto excommunicat illos, qui contrarium docere, prædicare, pertinaciter asserere, vel defendere præsumpserint. Dictum est: *per se loquendo*: quia, si urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi; et non adsit aliquis Confessor, qui ejus Confessionem possit, et velit audire, et absolvere; aut Confessor absque gravi incommodo non possit adiri; idem Concilium (ibid. Cap. 7.), præmissa perfecta contritione, permittit communicare, et celebrare absque prævia confessione:

sed sub gravi injungit Sacerdoti celebranti, *ut quamprimum confiteatur.*

98. Q. Quid importat illud verbum *quamprimum?*

℟. Aliqui opinabantur, illam Tridentini expressionem non præceptum, sed consilium esse; et illam particulam *quamprimum* intelligi debere, cum *Sacerdos suo tempore confitebitur*: sed hi damnati fuerunt ab Alexandro VII. (prop. 38. et 39.). Hinc communiter sentiunt Doctores (ap. B. Lig. n. 266.), hujusmodi Sacerdotem intra triduum confiteri debere; et La Croix (Lib. 6. n. 535.) affert de hoc S. C. declarationem. Notant tamen hi Doctóres, quod per accidens ex tali præcepto Sacerdos ille teneatur confiteri eadem die, et forsan eadem hora: ut si tunc Confessarium habeat, et non diebus sequentibus; vel si die sequenti pariter debeat celebrare etc. An autem laici, et etiam Sacerdotes more laicorum communicantes, *quamprimum* debeant confiteri, si urgenti causa absque confessione communicent; quæstio est inter Doctores. Sententiam negativam tenet S. Thomas cum aliis (ap. B. Lig. n. 268.): quia laici non habent necessitatem diebus sequentibus communicare, ut habent Sacerdotes; et etiam quia Tridentinum solum obligat celebrantes.

99. Q. Quando necessitas reputatur *urgens?*

℟. Varii casus *urgentis* necessitatis referuntur ab Auctoribus, in quibus, defectu Confessarii possit quis cum sola contritione celebrare, vel communicare, non præmissa confessione. 1.° Si Sacrificium, vel Communio absque gravi scandalo, murmuratione, vel infamia omitti nequeat. Dictum est *gravi*; quia non sufficeret levis quædam obmurmuratio, admiratio sodalium, populi etc. 2.°

Si consecranda sit hostia pro infirmo morituro. 3.° Si ob aliquem casum explenda sit Missa ab alio Sacerdote incepta. 4.° Si Parochus debeat celebrare ex officio, vel quia dies est festus; vel quia cadaver Parochiani defuncti est in Ecclesia; vel quia Sponsi matrimonium contracturi jam sint parati; nec potest substituere alium Sacerdotem. Nollem tamen, quod quis, etiamsi non habeat veram contritionem, et propositum confitendi; vel sit occasionarius, aut habituatus in aliquo gravi peccato, aut nocte præcedenti in aliquo turpi peccato fædatus, et proinde nec absolutione dignus; sub prætextu *urgentis* necessitatis audeat celebrare, aut communicare. Unusquisque noscit, quantum nefas esset.

100. Q. Si quis post Confessionem recordetur peccati mortalis inculpabiliter obliti, tenetur ne ante celebrationem, aut Communionem illud confiteri?

℟. Lugo, Suarez cum alii (ap. B. Ligor. n. 257.) communissime affirmant; dummodo quis non adsit in scamno communicantium; vel Sacerdos tunc non induatur sacris vestibus, et recedendo occasio detur murmurandi temere judicandi etc. Alii autem admodum docti, et pii Theologi, ut videre est apud eumdem Beatum (ibid.) et apud Collet (Tr. de Euch. Par. I. Cap. 6. §. 3. q. 2.) dicunt, non teneri. Et hæc sententia omnino rationi consentanea nostro Beato videtur: licet ob sui humilitatem sapientiorum judicio se remittat. Ratio est: quia per factam Confessionem jam is implevit præceptum *Tridentini*; et per dolorem universalem etiam illud peccatum mortale indirecte absolutum est; licet cum onere in Confessione aperiendi. Sed si pœnitens commode

possit ad Confessarium redire, nec sit oneri aliis pœnitentibus, melius est, ut ante Communionem redeat: aliter faciat in alia Confessione; et, si commode potest, etiam eadem die.

101. Q. Quænam Dispositiones requiruntur in communicandis *ex parte Corporis?*

℟. Præter modestam corporis compositionem, et munditiem, quæ internam indicet devotionem, et reverentiam; ex traditione Apostolica requiritur sub gravi jejunium naturale (vide Antoine Tr. de Euchar. Cap. 2. q. 4.): ita ut, si quis post mediam noctem aliquid etsi modicum vel cibi, vel potionis, vel medicinæ per os in stomachum trajecerit; regulariter loquendo absque gravi culpa non potest amplius celebrare, nec communicare (Rubr. de Defect. Tit. IX. n. 1.). Hic autem nota, quod reliquiæ cibi pridie sumpti, quæ inter dentes remanent, si cum saliva casualiter deglutiantur, ut inquit S. Thomas (Par. 3. q. 80. a. 8 in ad 4.), et docet Rubrica (ibid. n. 3.), non impediunt Communionem. Sicut non impedit, si lavando os, stilla aquæ præter intentionem deglutiatur; aut si sanguis, aut humor e capite, vel gengiva defluens in stomachum decidat; aut si musca, vel aliud insectum per respirationem attrahatur: quia ista non sumuntur per modum cibi, potus, medicinæ. Secus autem dicendum, si Saccharum, aut quid simile, in os immissum, et sensim liquescens, post mediam noctem deglutiatur.

102. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. Quia varii dantur casus, in quibus etiam non jejunus potest communicare. 1.° Si Sacerdos post consecrationem recordetur, se non esse jejunum. 2.° Si Sacerdos post consecrationem, et

ante Communionem moriatur, aut morbo correptus Missam perficere nequeat. Tunc alius Sacerdos, deficiente jejuno, etiam non jejunus potest, imo debet sacrificium perficere, et communicare (Rubr. de Defect. Tit. 10. n.° 3.). 3.° Si Sacerdos hostiam, aut calicem sumendo, advertat; hostiam esse corruptam, aut non triticeam; vel quod est in Calice, non esse vinum, sed aquam, acetum, aut aliam materiam ineptam. Tunc juxta Rubricam (Tit. 3. n.° 4. et 5. ac Tit 4. n.° 5.) aliam materiam aptam apponere, consecrare, et sumere debet; etiamsi hostiam illam ineptam, aut aquam etc. sumpserit: quia omnibus hisce casibus *præceptum perficiendi Sacramentum majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur.*

103. Q. Dantur ne alii casus?

℟. Maxime 4.° si Sacerdos sumendo sanguinem, particula hostiæ remanserit in Calice. Tunc juxta Rubricam (ibid. Tit. 10. n. 8.) potest vinum infundere, et una cum illa particula sumere; etiamsi vinum prius defluat. 5.° Si Sacerdos post purificationem, vel ablutionem Calicis advertat relictum esse aliquod fragmentum in eadem Missa consecratum (Tit. 7. n. 2.), illud sumere debet; et juxta aliquos, etiam si advertat post reditum in Sacristiam. Imo etiam hostiam integram pariter sumere poterit (n. 3.); si aut in Tabernaculo reponi non possit, aut alii Sacerdoti celebraturo sumendam relinquere; aut honeste conservari. Et ratio est: quia hæc ad ejusdem Sacrificii consummationem pertinent. 6.° Si Sacerdos inchoata Missa, recordetur, se non esse jejunum, et absque infamia ab Altari recedere non possit. 7.° Si Sacerdos absque gravi infamia, scandalo, suspicione etc. non possit Sacrum omittere; et Populus die

festivo absque Missa dimittendus. Vide Ferraris V. *Missæ Sacrif.* Art. 11. n. 27. Denique, si communio detur per viaticum (vide sup. n. 88. et 90.); et ægrotus non possit esse jejunus. Communis.

104. Q. Circa jejunium est ne aliud addendum?

℟. Addendum 1.° quod quamvis aliqui Doctores sentiant, tabaccum sive in pulverenaribus attractum, sive fumatum, sive masticatum, jejunium frangere naturale, et proinde Communionem impedire; alii tamen communiter, ut dicit Quarti relatus a Merati (Par. 3. Tit. 9. n. 3. in fine) negant: dummodo quoad tabaccum masticatum quis certus sit, nullam folii particulam trajecisse; et ratio est: quia tabaccum non sumitur nec per modum cibi, nec potionis. Notant tamen Doctores, usum tabacci fumati, et masticati ante Missam, et Communionem valde dedecere. Et B. Ligorio (n. 280.) putat, non excusari a veniali qui ante Communionem, et Missam illud masticat, nisi aliqua causa subsit rationabilis.

105. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Addendum 2.° quod, si quis cœnans, vel bibens, dubitet, an media nox transacta sit, nec ne; idem Beatus (n. 282.) dicit, probabilius esse, quod possit communicare. Addendum 3.° quod, si plura horologia sint inter se dissonantia, potest quis se conformare, etiam ultimo horologio; ita ut, si ex ultimo dignoscat, se non comedisse, aut bibisse ante illius signum mediam noctem indicans; mane sequenti poterit communicare, aut celebrare: aliter non. Ita Diana cum aliis Doctoribus (ap. Merati sup. n. 1.). Adderem; dummodo unum horologium soleat esse exactum,

et proinde sequendum; et alterum erroneum, et proinde non curandum.

Caput V.

De Effectibus Eucharistiæ, et de aliis ad ejus sumptionem pertinentibus.

106. Q. Quinam sunt effectus Eucharistiæ?

℞. Primus, et præcipuus effectus hujus Sacramenti est augmentum gratiæ sanctificantis *ex opere operato* (n. 3.); ut patet ex Tridentino (Sess. 13. Cap. 2.). Et aliquando per accidens confert gratiam *primam*, ut supra (n. 5.) diximus: ita ut per dignam Corporis Christi manducationem magis atque magis homo Deo amicus reddatur. Secundus effectus est collatio gratiæ sacramentalis (n. 3.), per quam Deo auxiliante, excitatur devotio, fortius resistitur tentationibus, fugantur Dœmones etc.; ut docet S. Cyrillus (ap. B. Ligorio n. 269.). Et in hoc sensu verificatur, quod decrevit Tridentinum (ibid.), idest, quod hoc Sacramentum sit *tamquam antidotum*, *quo liberemur a culpis quotidianis*, *et a peccatis mortalibus præservemur.*

107. Q. Quinam est tertius Effectus Eucharistiæ?

℞. Est liberatio a peccatis venialibus. Hoc enim significant citata verba Tridentini: *Quo liberemur a culpis quotidianis*; sive hæc liberatio per se, et ex opere operato eveniat; sive mediate per actum Charitatis, qui in hoc Sacramento suscipiendo debet excitari, *per quem*, ut ait S. Thomas (Par. 4. q. 79. a. 4.), *peccata venialia solvuntur*. Hic autem nota, quod, ut Eucha-

ristia a venialibus hominem mundet; requiritur, ut nullum ad ea servet affectum, et aliquem de ipsis attritionis dolorem saltem virtualem habeat, cum proposito non amplius ea committendi: nam quomodo remitti poterit peccatum, quod amatur; et non displiceat quod ante placebat? Sic Collet Tract. de Euchar. Part. I. Cap. 8. Concl. 3. Object. 2.

108. Q. Sunt ne alii Effectus?

℟. Quartus Effectus est remittere pœnam temporalem peccatis debitam; non directe, et per se; sed indirecte, ratione actuum Charitatis, qui per Sacramentum excitantur, ut S. Thomas (Par. 3. q. 79. a. 5.). Quintus Effectus est dulcedo quædam spiritualis in peragendis hilari animo bonis operibus, si ex parte subjecti aliquis obex non ponatur; ut sentit B. Ligorio (n. 269.). Effectus Sextus est unio specialis cum Christo, et membris ejus, juxta illud Jo: 6. 57. *In me manet, et ego in eo.* Septimus est pignus futuræ gloriæ, ut habetur Jo. 6. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Effectus octavus est, quod imminuit fomitem concupiscentiæ, excitando bonas cogitationes etc. Denique sacra Communio prodest non solum suscipienti, sed etiam aliis quos commendamus, non jam *ex opere operato*; sed viventibus per modum impetrationis, et defunctis per modum suffragii. Collet ibid. Concl. 7.

109. Q. Quid requiritur ad hos Effectus obtinendos?

℟. Requiritur, ut cum magna reverentia, ac devotione per actus Fidei, Spei, Charitatis, Humilitatis, ac ardentis desiderii ad tantum Sacramentum accedatur, et cum debita gratiarum actione, adoratione, oblatione, et gratiarum petitione post

factam Communionem. Hoc colligitur ex S. Thoma (P. 3. q. 80. a. 10.); et id summa Christi majestas tanto cum amore se nobis dantis exigit omnino. Licet enim juxta S. Doctorem (P. 3. q. 79. a. 8.), et communem sententiam ad recipiendum præcipuum Effectum Eucharistiæ, idest, augmentum. gratiæ sanctificantis, sufficiat status gratiæ, cui solum peccatum mortale opponitur: nihilominus actualis devotio etc. necessaria est ad recipiendos alios Effectus; et præsertim dulcedinem spiritualem, fervorem, et majus augmentum gratiæ sanctificantis, ac sacramentalis: nam ex Tridentino (Sess. 6. Cap. 7.) Sacramenta plus, vel minus efficiunt pro perfectiore, aut imperfectiore subjecti dispositione.

110. Q. Peccata venialia opponuntur ne his Effectibus?

℟. Quoad peccata præterita, jam diximus (n. 107.), positis conditionibus, deleri per Communionem. Quoad venialia vero Communionem ipsam concomitantia; ut qui communicat cum voluntaria distractione, immodeste, ob inanem gloriam, oculorum evagatione etc. multi pii, et graves Doctores sentiunt, eum nullum Sacramenti Effectum recipere. Si enim peccata venialia juxta Angelicum (ib. n. 4.), et communem minuunt fervorem Charitatis; quomodo gratiam, et Charitatem possunt augere? Et confirmant experientia illorum Sacerdotum, qui etiamsi in statu gratiæ quotidie celebrent, et communicent; nullus profectus in illis apparet. Et hujus sententiæ sunt S. Bonaventura, S. Antoninus, et alii ap. B. Ligorio (n. 270.); et fuit quondam Doctor Angelicus in 4. D. 12. q. 2. a. 10. q. 3: licet postea mutavit sententiam, ut mox dicetur.

111. Q. Quid ergo concludendum?

℟. Quod, etiamsi hujusmodi venialia juxta S. Thomam (P. 3. q. 79. a. 8.) impediant totalitatem Effectuum; non impediunt tamen augmentum gratiæ, quod provenit non jam ex *opere operantis*, sive ex devotione communicantis; sed *ex opere operato*, seu ex ipso Sacramento; nisi opponatur obex, idest peccatum mortale. Sed quia *qui modica spernit, paulatim decidet*; ut legitur Eccli. 19. 1.; oh! quam timendum, hujusmodi indevotum hominem a venialibus transire ad mortalia; et sic Dei gratiam amittere. Quoad Sacerdotes vero, de quibus supra; etiamsi dici possit, quod fructus etsi adsit, non semper cognoscatur; valde tamen verendum est, ne de his dici possit, quod Christus dicebat de Episcopo Sardicensi (Apoc. 3. 1.): *Nomen habes, quod vivas, et mortuus es* (gratiæ). Et utinam verum non esset!

112. Q. Circa Eucharistiæ sumptionem est ne aliud notandum?

℟. Varia sunt notanda. 1.° Si quis propensus sit ad vomitum, sive sit æger, sive sanus; ob reverentiam tanto Sacramento debitam, a Communione debet abstinere; nisi per aliquas horas vomitus cessarit. Sed si vomitus reapse sequatur, Rubrica (de Defect. Tit. 10. n. 14.) docet, quod, *si species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat. Tunc enim species consecratæ caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur; et postea in Sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in Sacrarium mittantur.* Notandum 2.° quod qui patitur tussim; potest communicare; dummodo sacras species deglutire possit: quia sputa non ex

stomacho, ubi sunt sacræ species, sed ex pulmonibus procedunt.

113. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 3.° quod lepra, scabies, porrigo, plagæ, et alia ejusmodi per se non impediunt Eucharistiæ sumptionem: quia labes illæ non obstant veræ devotioni. Si quis autem ex hujusmodi morbis, aut fœtore aliquid horroris injiciat; privatim petat. Quod si aliqua fœditas sit occulta, ut sunt menstrua, fluxus sanguiniuis etc.; qui eas patitur, non est privandus hac cœlesti alimonia; ut sapienter dicit Antoine (Tr. de Euchar. Cap. 2. q. 4.). Notandum 4.° quoad usum conjugii, quod etiamsi qui illum petit voluptatis causa, ea die arcendus sit a Communione, ut ait S. Gregorius Papa (*C. Vir cum propria* 7. cau. 32. q. 4.); si autem causa procreandæ sobolis, vel ad evitandam incontinentiam, vel ad reddendum debitum id fiat, arcendus non est; licet ob quamdam decentiam consulendus sit abstinere, præsertim si commode possit Communionem differre. Vide B. Ligorio n. 273. et 274.

114. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 5.° quod legitur in eadem Rubrica (Tit. 9. n. 5.): *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione, et celebratione, nisi aliud Confessori videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale; consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa* (puta ex

naturæ debilitate, vel humoris redundantia), *aut ex diabolica illusione*; *potest communicare*, *et celebrare*, *nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis*, *ut abstinendum videatur*. Et idem censendum videtur de pollutione involuntaria, et inculpabili, quæ possit evenire ex turpibus in confessione auditis, vel ob finem honestum lectis. Notandum denique, quod monet Rituale Rom., ne quis sumpto Sacramento, statim expuat, colloquatur, et ab Ecclesia discedat.

SECTIO II.

De Eucharistia ut Sacrificio.

115. In præcedenti Sectione egimus de Eucharistia considerata, ut Sacramento. In hac secunda de eadem Eucharistia disseremus considerata, ut Sacrificio, sive de Sacrificio Missæ (nam in nova lege nullum aliud Sacrificium habemus, quam illud Missæ). Videbimus ergo, quid, et quotuplex sit hoc Sacrificium; quis institutor, quis Minister; cui, et pro quibus possit offerri; quæ essentia, valor, fructus, effectus. Et ad hoc, ut nihil desit huic argumento; saltem principaliora, quæ Missæ celebrationem respiciunt, in sequentibus Capitibus videbimus.

CAPUT I.

De Notione, Divisione, et Essentia Sacrificii.

116. Q. Quid est Sacrificium?

℟. Etiamsi Sacrificium *late* sumptum amplectatur omne opus bonum; ut sunt Orationes, Pre-

ces, Adorationes, ceterique actus Religionis: *stricte* autem sumptum est Oblatio rei sensibilis a legitimo Ministro soli Deo facta per realem immutationem cum mactatione victimæ ad testandum ejus in res omnes supremum dominium, et nostram a Deo dependentiam. Et quamvis in Lege veteri multa forent Sacrificia; omnia illa, ut scribit S. Leo (Serm. 8. de Pass.), coadunata sunt in Missæ Sacrificio, in quo licet modo *incruento*, idest, absque reali Sanguinis effusione, per manus Sacerdotum offertur Deo idem Christus, qui modo *cruento*, idest, cum reali Sanguinis effusione, mactatione, et morte violenta Deo Patri se obtulit. Sic docet Tridentinum (Sess. 22. Cap. 2.).

117. Q. Quomodo probatur, Missam esse verum Sacrificium?

℟. Probatur in primis ex costanti Ecclesiæ doctrina, et praxi. Multa enim Concilia, et etiam generalia, loquendo de Missa, illam appellant *terribile*, *et incruentum Sacrificium*; et Tridentinum (ibid. Can. 1.) excommunicavit eos, qui negarent, *in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium*. Probatur secundo ex unanimi Patrum consensu; et evincitur etiam ab intrinseca ratione. In Missa enim omnia concurrunt, quæ ad Sacrificii substantiam pertinent. Adest *oblatio*: quia in ea soli Deo offertur Corpus, et Sanguis Christi sub sensibilibus speciebus panis, et vini, et non ab aliis, quam a Sacerdotibus. Adest *immutatio*, et *mactatio* victimæ non realis, sed mystica: quia vi verborum consecrationis, quantum est in se, Corpus a Sanguine separatur, et Corpus Christi mystice destruitur. Adest *finis*: quia hæc omnia ex Christi institutione fiunt ad

agnitionem supremi dominii, quod Deus in res omnes habet. Et propterea Missa potest definiri: Sacrificium in quo Corpus, et Sanguis D. N. J. Christi divinæ offertur Majestati.

118. Q. Quotuplex est Sacrificium?

℞. Ratione finis (nam de ratione materiæ, et formæ non est hic sermo) dividitur in Lautreuticum, Propitiatorium, Eucharisticum, et Impetratorium. Sacrificium *Lautreuticum* est illud, cujus finis immediatus est Deum honorare, et ut supremum Dominum agnoscere; et respondet illi Sacrificio, quod in Lege Veteri dicebatur *Holocaustum*. *Propitiatorium*, seu *expiatorium* est illud, cujus finis est Divinæ justitiæ satisfacere pro peccatis admissis, ad obtinendam eorum remissionem; et respondet illi Veteri, quod vocabatur *Sacrificium pro peccato*. *Eucharisticum* est illud, cujus finis est Deo gratias agere pro tot beneficiis a divina largitate acceptis; et respondet illi Veteri, quod appellabatur *Sacrificium pacificum*; cui Sacrificio respondet etiam *Impetratorium*, quod offertur ad impetranda nova beneficia, et gratias a Deo.

119. Q. In quo consistit Essentia Sacrificii Missæ?

℞. Quæstio est inter Doctores. Aliqui sentiunt, consistere in sola sumptione; Alii in oblatione. Alii in sola consecratione. Et hanc tertiam sententiam tenent S. Thomas, S. Antoninus, et tot alii ap. B. Ligorio (n. 305.). Alii, quorum sententiæ idem Beatus cum Ven. Bellarmino, et aliis adhæret, dicunt, Sacrificii Essentiam consistere partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione: in consecratione enim ponitur victima, et in sumptione consumitur. Ceterum ipsi

Auctores tertiæ sententiæ fatentur, quod sumptio, quamvis nonspectet ad Essentiam Sacrificii; spectat tamen ad ejus integritatem; ut Sacerdos participet de re oblata. Et de hac sumptione Ecclesia fuit semper sollicita: nam, si post consecrationem Sacerdos deficeret; alius Sacerdos etiam non jejunus, ut dictum est n. 102., deberet Missam perficere, et sumere, nisi haberi possit jejunus.

120. Q. Est ne de essentia utriusque speciei consecratio?

℟. Quamvis omnes fateantur, necessariam esse utriusque speciei consecrationem, et absque gravissimo sacrilegio non posse omitti; an autem hoc necessarium sit de Essentia Sacrificii, pariter quæstio est inter Doctores. Qui dicunt non esse de Essentia Sacrificii consecrationem utriusque speciei, rationi nitantur, quia etiam in consecratione unius speciei oblatio fit totius victimæ, idest totius Christi. Horum sententia corroborari potest ex verbis Rubricæ, (ibid. Tit. 4. n. 8.); ubi dicitur, quod, si post consecrationem deprehendatur defectus vel panis, vel vini; nec ullo modo haberi possit, Missa erit absolvenda. Si ergo Essentia Sacrificii consisteret in consecratione utriusque speciei, illa Missa non esset Sacrificium. Suarez autem duce S. Thoma, cum aliis apud Beatum (n. 306.) communius dicunt, consecrationem utriusque speciei esse de essentia Sacrificii.

121. Q. Adest ne discrimen inter Missam, et Sacrificium?

℟. Maxime. Sacrificium enim est *oblatio facta Deo etc.*, ut supra (n. 116.) diximus; et sub nomine Missæ intelligitur tota illa series cæremoniarum, ac rituum, qui ab Ecclesia saluberrime

sunt instituti ad conciliandum novæ Legis Sacrificio decorem, reverentiam, ac debitam fidelium devotionem. Hinc Missa continet Sacrificium; Sacrificium vero in Missa continetur. Et quamvis essentia Sacrificii consistat in sola consecratione, vel in consecratione, et sumptione, ut dictum est n. 119.: nihilominus qui assisteret soli consecrationi, et sumptioni; præcepto Missam audiendi die festo non satisfaceret: quia Ecclesia præcipit non solum assistentiam Sacrificio, sed etiam devotam totius Missæ auditionem, ut constat ex dictis Lib. II, n. 434.

Caput II.

De Institutore, Ministro, et Subjecto, cui, et pro quo Sacrificium offertur.

122. Q. Quis est Institutor, et Minister Sacrificii?

℟. Institutor, et præcipuus Minister Sacrificii Missæ est D. N. J. Christus, qui in ultima cœna, ut legitur in Tridentino (Sess. 13. Cap. I., et Sess. 22. Cap. I.), hoc admirabile Sacrificium, ac Sacramentum instituit, declarans se Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et offerens Deo Patri Corpus, et Sanguinem suum sub speciebus panis, et vini; et eodem tempore constituit Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores, ut usque in finem sæculi hoc Sacrificium pergerent offerre. Sic ex illis verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, semper Catholica Ecclesia intellexit, ac docuit. Et idipsum clare demonstrant verba consecrationis; ubi Sacerdos non nomine proprio, sed in persona Christi loquens, dicit: *Hoc est corpus meum etc.*

123. Q. Quare dixisti: *præcipuus Minister* ?

℟. Quia præter Christum præcipuum offerentem, et Ministrum; Christus ipse, ut mox dictum est, alios Ministros sui veluti subordinatos, et coadjutores instituit, qui ex divina institutione sunt soli Sacerdotes rite ordinati; ut definitum fuit in Concilio Lateran. IV.; et Tridentinum (Sess. 22. Can. 2. (anathematizat eos, qui dicerent, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes*, *aut non ordinasse*, *ut ipsi*, *aliique Sacerdotes offerrent Corpus*, *et Sanguinem suum*. Et, si in Canone Missæ legitur, non solum Sacerdotes, sed etiam ceteros fideles offerre, non intelligitur, illos una cum Sacerdote consecrare, ac conficere; sed tantum, quod una cum Sacerdote Sacrificium Deo offerunt. Sic communiter intelliguntur illa verba Canonis: *Pro quibus tibi offerimus*, *vel qui tibi offerunt*; et alia similia.

124. Q. Cuinam Missæ Sacrificium potest, et debet offerri?

℟. Constat ex definitione Sacrificii n. 116. data, Sacrificium soli Deo posse, et debere offerri. Hoc statuit etiam Tridentinum (Sess. 22. Cap. 3.). *Et quamvis* (sunt verba Concilii) *in honorem*, *et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit*; *non tamen illis Sacrificium offerri docet*; *sed soli Deo*, *qui illos coronavit*. *Unde nec Sacerdos dicere solet*: *Offero tibi Sacrificium*, *Petre*, *vel Paule*, *sed Deo de illorum victoriis gratias agens*, *eorum patrocinia implorat*; *ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis*, *quorum memoriam facimus in terris*. Ecce ergo, quomodo sit intelligendum, quando Missæ petuntur, et celebrantur de Maria Virgine, de Angelis, de Sanctis.

125. Q. Pro quibus potest offerri Sacrificium Missæ?

℟. Potest offerri pro seipso Sacerdote, pro adstantibus, pro Ecclesia Catholica pro ceteris fidelibus sive justis, sive peccatoribus, sive præsentibus, sive absentibus: nam ut sentiunt Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Croix (Lib. 6. Part. 2. n. 24.), Sacrificium absentibus prodest; etsi de hoc nihil resciant. Potest offerri pro infantibus, *ut Dominus perfectos eos in timore suo ad adultam ætatem perducat*, sicut scribebat S. Clemens (ap. Croix ib. n. 25.). Potest offerri pro Catechumenis, ceterisque non baptizatis, ut gratia Baptismi fiant digni, et cognoscant Deum vivum, et verum. Insuper potest offerri etiam pro fidelibus defunctis in Purgatorio existentibus, ut definivit Tridentinum (Sess. 22. Can. 3.). Vide etiam Croix (eod. loco).

126. Q. Sunt ne aliqui, pro quibus Sacrificium offerri non possit?

℟. Etiamsi per se pro omnibus posset Sacrificium offerri, nam pro omnibus Christus mortuus est; nihilominus ab Ecclesia salubriter vetitum est Sacertoti (et sub gravi), directe, et ut publico Ecclesiæ Ministro offerre pro excommunicatis vitandis etiam in genere, nullum determinando: ut hujusmodi homines videntes se privatos communibus Ecclesiæ precibus, et etiam Missæ Sacrificio; resipiscant, et debite se submittant. Communis. Et quamvis sciretur, aliquem excommunicatum vitandum (idest nominatim, et pubblice denunciatum, vel notorium Clerici percussorem) contritum obiisse; nisi fuerit absolutus, non posset in loco Sacro sepeliri, nec pro eo Sacrificium offerri. Si autem ejus cadaver ritu cœ-

remoniali fuisset absolutum; tunc posset pro eo offerri, et cadaver sepeliri. Sic Innocentius III. statuit in Cap. *A nobis est* 28. de Senten. Excom.

127. Q. Quare dixisti: *directe, et ut publico Ecclesiæ Ministro?*

℟. Quia, cum possit Sacerdos offerre pro conversione omnium peccatorum in genere; indirecte comprehenderentur etiam hujusmodi excommunicati, ut peccatores. Sic Sacerdos, ut persona privata, potest in *Memento* interne, et absque nominum expressione pro illis orare, et alias preces fundere. Suarez cum Communi (ap. Croix n. 33.). An autem possit Sacrificium offerri pro excommunicato non vitando, quæstio est inter Doctores etc. Probabilius, dicit B. Ligor. (n. 309.) citans varios Doctores, quod possit: quia etiamsi hujusmodi excommunicatus, utpote membrum ab Ecclesia præcisum non possit petere Missas, ut notat Croix (n. 34.); ceteris autem fidelibus non est vetitum cum eo communicare etiam in divinis, ut colligitur ex Etravag. *Ad evitanda* facta a Martino V. in Conc. Costantiensi. Denique Sacrificium offerri nequit pro iis, qui omnino voluntarie, et sui compotes se occidunt. Sic Nicolaus I. (ad Cons. Bulg. C. 98. 23. q. 5.).

Caput III.

De Valore, Fructu, ac Effectu Sacrificii Missæ.

128. Q. Quid est *Valor* Sacrificii Missæ?

℟. Est illa efficacia, quam habet Missa pro bono tum Sacerdotis offerentis, tum illorum, pro

quibus offertur, vel assistunt. Hic *Valor* licet in se, et ratione victimæ oblatæ sit infinitus; quoad effectum autem, quem operatur, finitus est; non jam ex sui institutione, sed ex finita capacitate tam secundarii offerentis, quam eorum, pro quibus offertur. Sic Sacrificium Crucis, licet fuerit valoris infiniti; et etiam Sacramenta, etsi infinitam habeant virtutem: actu tamen operantur limitate juxta subjectorum dispositionem. Sic communissime S. Thomas (P. 3. q. 79. a. 5.) cum tot aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 312.). Et revera. Si *valor* Missæ quoad effectum foret infinitus; unica Missa sufficeret ad exhauriendum totum purgatorium; et pluribus obligationibus; aut stipendiis per unius Missæ celebrationem posset satisfieri, ut dicebat Propositio 10. ab Alexandro VII. damnata.

129. Q. Quid, et quotuplex est *Fructus* Sacrificii Missæ?

℟. Fructus Missæ est bonum illud, quod Sacrificii intuitu a Deo nobis confertur. Hinc *Valor* differt a *Fructu*, ut causa ab effectu. Tripliciter autem hic *Fructus* dividitur. Ratione causæ dividitur in Fructum *ex opere operato*, et in Fructum *ex opere operantis*. Ratione participantium dividitur 2.° *in generalem*, *specialem*, *et specialissimum*. Ex parte rei dividitur 3.° *in meritorium*, *satisfactorium*, et *impetratorium*. Fructus *ex opere operato* est ille, qui confertur intuitu meritorum Christi, qui est principalis offerens. Et hic fructus confertur; sive per bonum, sive per malum Sacerdotem Missa celebretur: ut ex Tridentino (Sess. 22. Cap. I.) communiter docent Doctores. Fructus autem *ex opere operantis* est ille, qui provenit ex bonitate, et devotio-

ne Sacerdotis celebrantis. Et *quanto dignores fuerint Sacerdotes*; *tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur*: ut statuitur in Can. *Ipsi Sacerdotes* 91. c. 1. q. 1.

130. Q. Quinam est Fructus *generalis* etc.?

℞. Fructus *generalis* competit omnibus fidelibus vivis, atque defunctis; ut colligitur ex Tridentino (ibid. Cap. 6.). Fructus *specialis*, seu *medius*, vel *ministerialis* competit tam illis, pro quibus applicatur, quam assistentibus, et cooperantibus ad Missæ celebrationem, subministrando paramenta, luminaria, hostias etc. Fructus autem *specialissimus*, seu *personalis*: competit soli Sacerdoti celebranti, si digne celebret; nec potest alteri applicari. Et qui dicebant, posse duplicatum stipendium a Sacerdote accipi, unum pro fructu *medio*, et alterum pro fructu *specialissimo* sibi debito, fuerunt proscripti ab Alexandro VII. (prop. 8.). Qui autem sit Fructus meritorius, satisfactorius, et impetratorius, videbitur numero sequenti, ubi de effectibus.

131. Q. Quinam sunt *Effectus* hujus Sacrificii?

℞. Varii sunt salutares *Effectus* hujus Sacrificii. 1. Cum Sacrificium sit *propitiatorium*, ut dictum est n. 118. seu *expiatorium*, aut *meritorium*; confert iis, pro quibus offertur, remissionem peccatorum mortalium, et venialium non immediate, sed mediate, ut sentit Bellarminus cum aliis apud B. Ligorio (n. 311.): quatenus *hujus oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens, crimina, et peccata, etiam ingentia dimittit.* Sic statuit Tridentinum (ibid. Cap. 2.). Et proinde intuitu hujus Sacrificii Deus immediate placatur: deinde movetur ad concedendum donum pœnitentiæ, seu contritionis, per

quam, nisi obex ponatur, immediate peccata delentur.

132. Q. Quinam sunt alii *Effectus?*

℟. Cum Missæ Sacrificium sit etiam *satisfactorium*, secundus effectus est, quod remittat pœnas peccatorum hominibus justis, pro quibus offertur; sive hi sint vivi, sive mortui. Patet ex eodem Tridentino (ibid. Can. 3.). Sed cum non tota pœna, ut ait S. Thomas (Par. 3. q. 79. a. 5.), remittatur; sed juxta devotionem offerentium, et illorum, pro quibus offertur; sequitur non esse negligenda alia opera satisfactoria. Insuper cum hujusmodi Sacrificium sit etiam *impetratorium*, tertius Effectus est, quod per illud impetramus a Deo bona spiritualia, et etiam temporalia, quatenus hæc animæ prosint; sed secundum dispositionem divinæ providentiæ, ut innuit idem Tridentinum (ibid. Cap. 2.). Quartus Effectus denique est augmentum gratiæ, quatenus per Missam obtinentur a Deo auxilia ad exercendos actus virtutum, quibus gratia augetur.

Caput IV.

De Applicatione Missæ, ejusque Stipendio.

133. Q. Quid est Missæ Applicatio?

℟. Est illa intentio, quam Sacerdos celebrans sibi efformat, pro quibus velit in Missa orare, et fructus (de quibus supra n. 129.) applicare; et præsertim pro quo, vel quibus velit Sacrificium offerre; ex. gr. pro se, pro tali persona sive viva, sive defuncta, pro benefactoribus, propropinquis, pro iis, quos testator nominavit in fundatione Beneficii, Cappellaniæ, Legati etc. Di-

ctum est *Sacerdos celebrans* : quia, si Sacerdos, Missam celebrando, applicaret contra voluntatem Superioris, peccaret quidem de inobedientia ; sed, ut probabilius, et communius docent Doctores cum B. Ligorio (Lib. 6. n. 334.); prævaleret applicatio facta a celebrante. Vide Cuniliati de Eucharist. Sacramento §. 10.

134. Q. Quo tempore in Missa fieri debet hæc Applicatio ?

℟. Ut prædicti fructus ex opere operato, seu ex meritis Christi percipiantur ; sufficit, ut hujusmodi Applicatio fiat ante consecrationem : ita ut, si Sacerdos oblitus fuerit facere Applicationem, aut Applicationem jam factam velit revocare ; licite potest, etiam, ut advertit Sporer (ap. Cunil. ibid.), ante consecrationem Calicis : quia tunc perficitur Sacrificium. Ut autem etiam fructus Orationum, quas Sacerdos nomine Ecclesiæ debet recitare, prosint illis, pro quibus Sacrificium offert, aut orat ; expedit, et decet, ut applicatio fiat, cum Sacerdos ad Missam se præparat. Pro hac tamen Applicatione sufficit intentio etiam habitualis, idest semel habita, et non revocata ; etiamsi, quando celebrat, de ea non cogitet ; ut communiter sentiunt Doctores (B. Lig. n. 335.).

135. Q. Potest ne differri Missæ Applicatio ?

℟. Si Missa petatur, et a Sacerdote acceptetur applicanda pro aliqua urgenti causa, ex. gr. pro infirmo morituro, pro partu felici, pro periculo evadendo etc., tunc Sacerdos sub gravi, et sub pœna restitutionis eleemosynæ acceptæ, die statuto debet Missam illam applicare. Et idem dicendum, si Missa petatur, et acceptetur occasione alicujus Festivitatis : quia, ut bene notat Lugo cum

aliis apud B. Ligorio (n. 316.), in his casibus circumstantia temporis pertinet ad substantiam rei petitæ. Et multo gravius peccaret Sacerdos, et ad eleemosynæ restitutionem teneretur, si Missam acceptatam nullo modo applicaret; ut contra aliquos probabilius sentiunt Croix cum aliis, quos citat, et sequitur Beatus (ibid.).

136. Q. Si causa non sit urgens, potest ne differri Missæ Applicatio?

℞. Si hujusmodi Applicatio diu non differatur; et Missæ acceptatæ celebrentur infra *modicum tempus* juxta præscriptum ab Urbano VIII. idest *infra mensem*, ut verbum illud *modicum* explicavit S. C. Concilii 17. Julii 1655.; hujusmodi dilatio erit licita. Sed si applicatio diutius culpabiliter differatur; a gravi culpa non eximeretur Sacerdos, præsertim si Missa sit pro defuncto: quia, ut notat Sylvius cum aliis (ap. Beatum ibid. n. 315.), magno fructu alterum privaret; et defunctum diutius in tormentis detineret. Serio id considerent illi Sacerdotes, qui Missarum eleemosynas mercantur, quas nonnisi post multos menses, et forsan nunquam celebrabunt.

137. Q. Nunquam ne post mensem licet Missæ Applicationem differre?

℞. Si ad hanc longiorem dilationem expresse, vel tacite consentiat dans eleemosynam, benefactor; tunc juxta declarationem ejusdem S. C. licet diutius differri: ut si benefactor Sacerdoti dicat, ad sui libitum tot Missas celebrare; vel infra tot menses, infra annum etc. Vel si det quadraginta, aut plures Missas ab eodem Sacerdote celebrandas; tacite præsumitur ad majorem dilationem consentire. Et sic de similibus. Quoad Beneficiatos vero, Cappellanos etc., illis diebus, sicut

mosynam. Et hic nota, quod applicatio Missarum, quæ fit ex eleemosynis collectis pro AA. Purgatorii, ex declaratione S. Congregationis extendi potest usque ad tres menses, et etiam amplius, si benefactores cupiant a Sacerdotibus indigenis; hujusmodi Missas celebrari.

140. Q. Quid Notandum circa Missæ stipendium?

℟. Varia. Notandum 1. quod Stipendium, seu eleemosynæ, quæ pro Missæ celebratione dantur, non dantur, ut pretium Missæ; hoc enim esset simoniacum. Dantur vero pro sustentatione celebrantis. *Qui enim in Sacrario operantur*, inquit Apostulus (1. Cor. 9. 13.), *quæ de Sacrario sunt*, *edunt*. Notandum 2. quod, unusquisque contentus esse debet illius eleemosynæ, quæ per Legem, vel consuetudinem taxata est in illa Civitate, Diœcesi etc.; et, si Sacerdos aliquid amplius extorqueret; velut injustus exactor, et detentor, præter peccatum, juxta Antoine (ibid. quæst. 7.) illum excessum restituere deberet. Hoc autem non vetat, ut ratione alicujus circumstantiæ valutabilis, ut longi itineris, vel quia summo mane debeat surgere, vel usque ad meridiem expectare, possit aliquid amplius exigi; ut sentit Collet (de Euchar. Cap. 9. concl. 2.); aut si illa major eleemosyna sponte detur.

141. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 3. quod, si quis illas Missas manuales, pro quibus eleemosynam solito majorem accepit, alteri Sacerdoti tradat celebrandas; totam illam eleemosynam debet ei tradere; nec absque peccato, et onere restitutionis potest sibi aliquid retinere: quia voluntas saltem implicita dantis illam eleemosynam est, ut celebrans illa perfruatur; dummodo alia non sit intentio dantis

eleemosynam. Et contrarium opinantes damnati fuerunt ab Alexandro VII. (Prop. 9.). Immo, si quis quæritaret, et colligeret hujusmodi majores eleemsynas; et retenta sibi earumdem parte, eleemosyna minori faceret Missas celebrare; Benedictus XIV. in Const. *Quanta cura* sub die 30. Junii 1741. si sit Laicus, excommunicationem Papæ reservatam; et, si sit Sacerdos, aut alius Clericus Suspensionis pœnam pariter Papæ reservatæ illos incurrisse declarat cum onere restitutionis.

Caput V.

De iis, quæ requiruntur ad validam, et licitam Missæ celebrationem.

142. Q. Quid requiritur ad validam Missæ celebrationem?

℟. Præter ea, quæ supra (a num. 9. ad 16., et a n. 78. ad 83.) diximus de Ministro, Intentione, Materia, et Forma; requiritur insuper, ut materia consecranda, idest Hostia, et Vinum, sit moraliter, et sensibiliter præsens, aut in se, aut in aliquo vase ad eam continendam ordinato; et pariter sit determinata; ut verificentur verba Formæ: *Hoc est corpus*; *Hic est Sanguis*. Communis. Et quamvis non omnes hostiæ videantur, quia in pyxide cumulatæ; cum super omnem cumulum verificentur prædicta verba: *Hoc est Corpus etc.*; omnes censentur consecratæ. Communis. Et ob eamdem rationem hostiæ prædictæ consecratæ censentur; etiamsi Sacerdos nec in oblatione, nec in consecratione per oblivionem pyxidem non aperuerit.

143. Q. Quid dicendum, si inscio Sacerdote, hostiæ consecrandæ ad Altare deferantur?

℟. Si hæ positæ sint super Corporali, vel immediate, vel intra pyxidem, aut aliud vas sacrum; tunc, si Sacerdos habuit intentionem consecrandi omnem materiam aptam in Corporali, et sacra Petra existentem; ob eamdem rationem essent consecratæ, etiamsi Sacerdos eas non advertisset. Si autem hæ hostiæ positæ fuerunt extra Corporale, vel in Corporali, sed in vase non Sacro, puta in capsula; et Sacerdos intentionem habuisset consecrandi materiam etiam extra Corporale, vel intra, sed in vase non sacro positam, quod illicitum esset; od eamdem rationem essent pariter consecratæ.

144. Q. Quare dixisti: *Quod illicitum esset?*

℟. Quia consecrare materiam extra Corporale, imo extra Petram sacram, ut inquit Lambertini, postea Bened. XIV. (Sacrif. della Messa Sez. 2. Cap. 6. §. 2.), juxta B. Ligorio (Lib. 6. n. 217.) esset peccatum grave. Et idem dicendum, si vellet consecrare hostias positas in vase non sacro. Cum autem non sit verisimile, Sacerdotem in actu celebrationis velle committere grave peccatum; censendum est, ejus intentionem non extendi ad consecrandum quod est extra Petram sacram, et Corporale. Et proinde illæ hostiæ non possent populo distribui; sed, vel consecrandæ sub conditione in alia Missa juxta Lambertini; vel, ut vellet B. Ligorio (ibid.), sumi post sacrum Sanguinem. Ut ergo a scrupulis se eximat Sacerdos, intentionem formet consecrandi omnem materiam aptam, quæ est in Petra sacra, et Corporali, ac intus Calicem; et hostias ponat prope Calicem ipsum.

145. Q. Quid requiritur ad licitam Missæ celebrationem?

℟. Varia. Requiritur 1. quod Sacerdos non sit irregularis, aut aliqua Censura irretitus, ut supra (n. 21.) dictum est. 2. ut sit in statu gratiæ per sacramentalem absolutionem recuperatæ, ut dictum est a n. 96. ad 99. cum exceptionibus ibi positis. Et, si quis in mortali auderet celebrare, quatuor sacrilegiis, ut sentit B. Ligorio cum aliis (n. 35. V. *Hinc*) se alligaret; sive uno quatuor æquivalenti; et quia Sacramentum indigne conficit; et quia indigne suscipit; et quia in mortali ministrat; et quia ministrat indigno, qualis est ipse Sacerdos. Si autem ante Communionem actum perfectæ contritionis eliceret; tunc solum peccaret indigne conficiendo, ut aliqui notant.

146. Q. Quid aliud requiritur?

℟. Requiritur 3. quod Sacerdos sit jejunus, ut pariter supra dictum est, cum exceptionibus ibi datis a n. 101. ad 105.; et notet cetera omnia, quæ supra (n. 112. 113. et 114.) diximus necessaria esse pro sumenda sacra Eucharistia. Requiritur 4. ut Sacerdos Matutinum cum Laudibus jam recitaverit. (Rubr. Miss. Rit. serv. Tit. I. n. 1.; et de Defect. Tit. 10. n. 1.). Et quamvis a multis, et gravibus Auctoribus hujus recitationis omissio reputetur graviter peccaminosa; probabilius tamen, et communius, ut inquit B. Ligorio (n. 347.) cum multis Doctoribus ibi citatis, hæc omissio non reputatur graviter, sed leviter peccaminosa: dummodo, ut notat Clericatus relatus a Lambertini (sup. Cap. 4. §. 3. in fine) cum aliis quinquaginta Auctoribus; continuo, et quasi per habitum hanc recitationem Sacerdos non omitteret: tunc enim, ut Ecclesiasticæ Legis contemptor a gravi non excusaretur. Prædicti tamen Doctores etiam a veniali Sa-

cerdotem excusant ob quamcumque rationabilem causam ; puta itineris , studii , petentis subito Missam. etc.

147. Q. Quid aliud requiritur ?

℟. Requiritur 5.° , ut Sacerdos debita cum præparatione ad tantum Mysterium accedat. Si enim hæc requiritur in sumente Eucharistiam ; quanto magis in eo , qui Eucharistiam et sumere , et conficere debet ? Et quamvis absque peccato omittere possit illos Psalmos , et Orationes , quæ *pro temporis opportunitate* a Rubrica (ibid.) notantur ; ut communiter volunt Doctores ; si tamen absque aliqua præparatione ad sacrificandum accederet ; dicit B. Ligorio (n. 410.) , non excusari a peccato. Requiritur 6.° ut Sacerdos indutus sit veste talari , idest , ut Rubrica (ibid. n. 2.) explicat , quæ saltem talum pedis attingat ; imo juxta Decretum (n. 46.) Marsicanæ Synodi anni 1815. cum hac veste Ecclesiam ingredi debet ; et in casu impedimenti , sumere saltem in Sacristia , ut modificavit Episcopus Durini (n. 2.) : quod facere debent etiam itinerantes. Generaliter autem loquendo , juxta Gavandum (Par. 2. Tit. I. lit. g) in Sacerdotibus itenerantibus , et rusticanis tolerari possunt vestes breviores , quæ saltem medium crus attingant.

148. Q. Requiritur ne aliud ?

℟. Requiritur 7.° juxta præscriptum Rubricæ (ibid n. 1. et 2.) , ut sacra Paramenta , sicut et Corporale cum Palla , et Purificatorium *non sint lacera , aut scissa ; sed integra , et decenter munda , ac pulchra , et ab Episcopo , aut ab alio facultatem habente benedicta.* Purificatoria vero quamvis licite , non tamen necessario sunt benedicenda ; ut inquit B. Ligorio cum aliis

n. 389. et, si quis dicta sacra supellectilia notabiliter immunda adhiberet; Gavanto (in Rubr. ut supra lit. q.) cum Sa, et Communi dicit, fore peccatum mortale. Si enim erubesceret Sacerdos veste lacera indutus incedere, et abhorreret sumere cibum in mantili, et cum mappula (vulgo *Tovaglia*, e *Salvietta*) sordida; quam fidem demonstrant qui cum paramentis laceris aut immundis ad Altare accedunt; et super sordido Corporali ponunt sacrum Corpus D. N. J. Christi, et cum sordido Purificatorio Calicem abstergunt? Contremiscant Rectores Ecclesiarum, et Sacerdotes indevoti.

149. Q. Ex qua materia dicta Suppellectilia sunt conficienda?

℟. S. R. Congregatio, approbate Pio VII. 15. Maji 1819. decrevit, quod, etiamsi permitti possit, ut *Amictus*, *Albæ*, *Tobaleæ*, *et Mappulæ*, *si quæ ex gossipio habentur*, *adhiberi interea possint*, *usquedum consumentur*; quoad Corporalia vero, Pallas, et Purificatoria, præcepit, *ut linea omnino sint*, *vel ex cannabe*, *interdicto*, *ac vetito aliorum usu*, *quæ ex gossipio supererunt*; et eodem tempore præcepit, ut quando Amictus etc. erunt renovandi, ex alia materia non fiant, nisi ex lino, vel cannabe. Vide Collect. Decr. authent. n. 4413. Et hic nota, quod Toboleæ Altaris pro Missa celebranda debent pariter esse benedictæ ab Episcopo, aut ab alio facultatem habente; et debent esse tres, etiamsi duæ inferiores possint esse ex una Tobalea duplicata. Ita in Rubr. gener. Tit. XX. n. 1.

150. Q. Circa licitam Missæ celebrationem requiritur ne alind?

℟. Præter illam parvam Crucem cum immagi-

ne Crucifixi supra Tabernaculum SS. Sacramenti positam ; tempore Sacrificii requiritur 8. alia major Crux inter Candelabra S. R. C. 16. Jun. 1663. An autem collocanda sit Crux, si in illo Altari expositum sit SS. Sacramentum, S. R. C. 2. Sept. 1741. ad 5. relinquit quamlibet Ecclesiam in sua praxi. Sufficit tamen magna Statua Crucifixi in Altari posita. Requiritur 9. ut, si Calix et Patena aurum in aliqua parte deperdant, iterum inaurentur, et ab Episcopo consecrentur. Suarez apud Ferrar. V. *Calix* n. 54. Et hic nota, quod hæc Sacra Vasa, sicut et Corporalia, Pallæ, et Purificatoria nequeunt a laicis tangi. Toleratur in Sacristis, et inservientibus. Requitur denique, ut celebretur tempore, et loco debito, ut mox dicetur.

Caput VI.

De Loco, et Tempore celebrationis.

151. Q. Quo in Loco potest Missa celebrari?

℟. De Jure communi, et ordinarie loquendo, non potest licite, et absque gravi peccato celebrari, nisi in Ecclesia, vel Cappella publica (. Vide Lib. II. n. 461.) consecrata, vel saltem benedicta, quæ non sit interdicta, suspensa, polluta, vel execrata ; et in Altari pariter consecrato, vel quod habeat petram consecratam ; quod pariter non sit execratum. Communis ex Cap. I. de Consecr. dist. 1. ubi legitur : *Missarum celebrationes non alibi, quam in sacratis Domino Locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus.* Potest etiam celebrari in Oratoriis privatorum, quæ Apostolica auctoritate sunt erecta.

Sed in his debent observari conditiones in Indulto appositæ.

152. Q. Quare dixisti : *de Jure communi*, *et ordinarie* ?

℟. Quia in casu, in quo magna urget necessitas ; etiam in locis non consecratis ; nec benedictis potest celebrari. Ita communiter Doctores, et clare ostendit citatus textus. Hujusmodi autem necessitas esset, si Ecclesiæ forent dirutæ, vel a persecutoribus impeditæ ; et Populus Missa carere debeat ; si Sacerdos reperiatur in partibus infidelium, vel hæreticorum, ubi desunt loca consecrata, vel benedicta ; si tempore belli, vel pestis ad Ecclesias non possit accedi ; si exercitus e castris non possit discedere etc. : tunc posset celebrari in quocumque loco decenti, sive in domibus privatorum, sive sub tentoriis, ut faciunt Cappellani exercitus, sive in litore maris ob comodum navigantium, et similium. In omnibus autem his, et aliis casibus non potest celebrari, nisi in Tabula, seu in Petra consecrata, et de licentia Episcopi, si inibi adsit. In navi tamen absque Pontificio indulto celebrari nequit. Vide Ferrar. ibid. Art. 4.

153. Q. Quando Ecclesia censetur polluta ; ita ut non possit in ea celebrari ?

℟. Per sequentia delicta, que facta sint publica etiam sola notorietate facti. 1. per mortaliter peccaminosum homicidium in Ecclesia commissum, etiamsi occisor extra eam existens sclopeto, jaculo, lapide etc. hominem percusserit in Ecclesia existentem ; et etiamsi occisus extra Ecclesiam ob eam percussionem obierit. 2. ob percussionem graviter peccaminosam factam, ut supra, in Ecclesia, ob quam percussionem huma-

nus sanguis vel proprius, vel alienus sit effusus; etiamsi extra Ecclesiam effundatur. Et hic nota, quod cum effusio abundantiam importet, si solum duæ, vel tres sanguinis guttæ effundantur; non diceretur Ecclesia polluta. Imo in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis e naricibus effluat; si hi excusentur a peccato gravi, Ecclesia nec censeretur polluta. Vide Canones apud Auctores præsertim Ferrar. V. *Ecclesia* Art. 4. a n. 26.; et B. Ligorio Lib. 6. n. 365.

154. Q. Sunt ne aliæ Causæ, ob quas Ecclesia polluatur, aut violetur?

℟. Maxime. Polluitur 3. per quamcumque voluntariam humani seminis effusionem saltem peccaminosam. Pulluitur 4. si in ea sepelliatur excommunicatus vitandus, aut infidelis; etiamsi sit infans non baptizatus juxta multos. Vide Ferrar. supra. Quamvis autem in Ecclesia aliquo ex dictis modis polluta, nisi prius reconcilietur ab habente potestatem, non possit absque gravi peccato nec celebrari, nec peragi alia divina Officia, nec mortui sepelliri: qui autem hoc facere auderet, nullam incurreret Censuram, nec Irregularitatem; ut incurreret, si Sacerdos celebraret in Ecclesia interdicta, ob violationem censuræ. Imo, si Ecclesia polluatur, dum Missa celebratur; si inceptus sit Canon, Missa prosequi deberet: aliter Missa foret dimittenda. Ita præscribit Rubrica (de Defect. Tit. X. n. 2.). Notant tamen Salmaticenses cum aliis apud B. Ligorio (n. 361.), quod in casu necessitatis, ut, si alia Ecclesia non adsit, ubi populus Missam possit audire; de licentia Episcopi, si possit adiri; aliter sine ea licite posset in Ecclesia polluta celebrari.

155. Q. Quando Ecclesia et Altare execrantur?

℟. Execratur Ecclesia, cum parietes totaliter, vel quoad majorem partem corruunt; vel omnis, aut saltem major pars eorum crustæ simul cadunt. Si autem parietes, vel crustæ non eodem tempore, sed successive eorum, et earum pars cadant, et reficiantur; Ecclesia non remanet execrata. Vide rationes apud B. Ligorio n. 368. Altare autem execratur 1. si enormiter frangatur judicio Episcopi. Nihil autem refert, quod frangatur in cornibus. 2. si removeatur, vel frangatur parvulus ille lapis, qui claudit sacras Reliquias. Et hoc currit, sive Altare sit fixum, sive sit mobile; idest Petra Sacra. Et, si Altare sit fixum pariter execratur, si lapis amoveatur a basi, seu ab inferiori structura (B. Ligorio n. 309.). Tali modo execrata Ecclesia, vel Altari, absque gravi culpa non potest ibi celebrari; nisi in casu necessitatis, quo, ut supra, alia Ecclesia non adsit, nisi execrata, in qua populus Missam possit audire.

156. Q. Quo tempore potest Missa celebrari?

℟. In Rubrica generali (Tit. XV. n. 1.) habetur: *Missa privata, saltem post Matutinum, et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Et Benedictus XIII. et Clemens XII. ut legitur apud Lambertini (Inst. 13. n. 4.), permiserunt, ut tertia parte horæ ante auroram; et tertia post meridiem celebrari posset. Et proinde, qui extra hoc tempus celebraret; communiter loquendo, graviter peccaret; nisi parvitas materiæ excuset. Quæ autem sit hæc parvitas materiæ, quæ a mortali excuset, et leviter peccetur; Sylvius cum aliis ap. B. Ligor. n. 346. probabilius, et communius censent, non esse materiam gravem, nisi Missa incipiatur una hora ante

auroram, vel una post meridiem. Quando autem incipiat aurora (intellige *moralis*); unusquisque consulat Directorium divini Officii, in quo apponi solet Tabella.

157. Q. Quare dixisti : *communiter loquendo?*

℟. Quia varii sunt casus, in quibus extra dictum tempus licite celebrari potest; dummodo Sacerdos sit jejunus. 1. Si desit hostia pro communicando moribundo. 2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices, et operarii summo mane Missam audiant. 3. Si in aliqua festivitate Concio, vel Processio diu post meridiem terminet, et magna pars Populi Missa carere deberet, ni celebretur post terminatam Functionem. 4. Occasione funeris alicujus Magnatis, si Functio citius incipi non possit. 5. Occasione itineris hora ante auroram, vel post meridiem, si debita hora Sacerdos commode celebrare non potuit. 6. Si Episcopus in aliquo casa particulari ex rationabili causa dispenset. Denique, si quis Pontificium habeat indultum. Vide rationes præsertim ap. B. Ligorio n. 343. et 344.

Caput VII.

De observandis in actuali Missæ celebratione.

158. Q. Quomodo Missa est celebranda?

℟. Cum A, B, C, D, E, dicit Gavantus (Par. III. Tit. XI. n. 13.), idest, *Alte*, *Breviter*, *Clare*, *Devote*, et *Exacte*. *Alte* significat, ut quæ submissa voce, vel secreto non sunt dicenda, ita proferantur, ut a circumstantibus audiri possint; ut docet Rubrica Generalis Tit. XVI. n. 2.). Advertit autem eadem Rubrica, ut vox non

sit *nimis elata*, *ne* (Sacerdos) *perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant*; ut male faciunt quidam clamorosi Sacerdotes, qui voce tam alta pronunciant; ut perturbent etiam circumstantes, qui se colligere non possunt, suasque preces devote recitare nequeunt.

159. Q. Quare dixisti: *submissa voce, vel secreto?*

℟. Quia non omnia voce *alta*; sed multa *secreto* sunt pronuntianda, idest tali voce, ut ab aliis non audiantur, sed a seipso tantum, et intra se distincte, ac labiorum, linguæque motu, sicut explicat Merati (P. 1. Tit. XVI. §. 1.) a Sacerdote proferantur. Alia vero pronuntianda sunt *voce submissa*; et taliter, ut a vicinis tantum possint audiri. Unusquisque ergo perlegat attente Rubricam (Rit. Servand.); et ibi reperiet, quæ voce *alta*, seu *clara*, *convenienti*, *intelligibili* (quod idem est), sint pronuntianda; et quæ proferenda sint voce *submissa*, seu *mediocri*, *vel aliquantulum elevata*; quæque dicenda sint *secreto*: ut in omnibus Sacerdotibus uniformitas servetur; nec pro suo arbitrio, et voluntate cum adstantium admiratione, et scandalo a Celebrante Missa legatur.

160. Q. Quando Missæ celebratio censenda est *brevis?*

℟. Quando dimidium horæ non excedat., monente Rubrica (ibid.), ut Missa non dicatur *nimis morose*, *ne audientes tædio afficiantur*. Sed eadam Rubrica monet, ne dicatur *nimis festinanter; ut* (Sacerdos) *advertere possit quæ legit.* Hinc sapienter notat Lambertini (Inst. 34. n. 30.) cum Communi Doctorum, tunc Missam esse brevem, et justam, quando brevior non sit tertia

parte horæ, et horæ dimidium non excedat, juxta majorem, vel minorem linguæ, et motus expeditionem. Et notant pariter communiter Doctores, difficulter excusari posse a mortali Sacerdotem illum, etsi lingua, et motu expeditissimum, qui infra quadrantem Missam etiam ex brevioribus absolveret, vel potius voraret: quia est moraliter impossibile; ut hujusmodi Sacerdos omnia verba rectæ, et cum debitis cæremoniis proferat, et *cum exteriori devotionis, ac pietatis specie* opus adeo sanctum peragere possit, ut præscribit Tridentinum. Vide B. Ligorio Lib. VI. n. 400.

161. Q. Quid indicant verba illa *Clare*, *Devote*, et *Exacte?*

℟. *Clare* indicat, quod omnia verba integre, distincte, et absque mutilatione proferantur: ita ut, si verba non integre, sed mutilata, vel obtruncata proferantur; etiamsi generaliter loquendo leviter peccetur; si tamen omnia illa verba obtruncata simul sumpta materiam notabilem constituant, vel sensum mutent; erit mortale. Collet (de Euchar. P. 2. Cap. 9. §. 7.) dicit, tunc materiam esse notabilem, quando verba simul sumpta ad quantitatem Epistolæ, nec brevis, nec longæ attingant. *Devote* indicat, ut attendatur ad ea, quæ dicuntur; nec distractiones admittantur: Nam, si hæ forent voluntariæ, in materia notabili, præsertim in Canone, et etiam in sola Consecratione, aut sumptione erit mortale. Vide supra Lib. II. n. 251.; et B. Ligor. n. 410. dub. 5. *Exacte* denique indicat, ne aliquid omittatur, aut addatur in Missa, et ut serventur Rubricæ.

162. Q. Rubricæ obligant ne in constientia?

℟. Aliqui Doctores distinguentes Rubricas inter præceptivas, et directivas, dicunt, primas, et non

secundas obligare. Alii autem, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 399. in fine), verius dicunt, illas tantum Rubricas, quæ continent facienda, vel recitanda ante, vel post Missæ celebrationem esse directivas, et de consilio, licet non spernendas; illæ autem, quæ ritus in ipso celebrationis actu a Sacerdote servandos proponunt; omnes esse præceptivas, et obligare sub gravi, nisi parvitas materiæ, vel inculpabilis oblivio, vel inadvertentia excuset. Etenim S. Pius V. in Bulla in fronte Missalis posita *districte præcipit in virtute S. Obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum, et normam in Missali descriptam* (Sacerdotes) *decantent, et legant.* Deinde addit: *Neque in Missæ celebratione alias Cæremonias, vel preces addere, vel recitare præsumant.* Et Tridentinum (Sess. 7. Can. 13.) anathematizat eos, qui dicunt, Ecclesiæ ritus in Sacramentorum administratione adhiberi consuetos sine peccato omitti, vel mutari posse.

163. Q. Quid sequitur ex dictis?

℟. Sequitur, quod, si quis alta voce proferat quæ secreto sunt dicenda, et viceversa, saltem venialiter peccaret. Imo, si totum Canonem, vel magnam ejus partem, et multo magis verba consecrationis alta voce proferret; juxta multos Doctores, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 416.), peccaret graviter. Sequitur 2. quod omittere advertenter notabilem partem, ut Collectas principales, Epistolam, Evangelium etc. esset mortale. Sic communiter Doctores (id. n. 404.). Immo etiam unam Orationem omittere in Canone; octo vel decem nomina Sanctorum; et etiam unum verbum, sine quo sensus varietur, idem Beatus (n. 405.) cum aliis censet mortale; si-

eut et omittere verbum *enim* in consecratione. Sequitur 3. quod negligere cæremonias a Rubrica præscriptas, ut benedictiones, inclinationes, genuflexiones, et usque ad terram; esset saltem veniale.

164. Q. Quare dixisti *saltem?*

℟. Quia, si quis in notabili parte, et multas ex his cæremoniis, et si non graviores, omitteret, aut etiam parvam cæremoniam negligeret, mutaret, vel ex contemptu, vel animo novum ritum introducendi; posset esse mortale (idem n. 400.). Sicut graviter peccare posset Sacerdos, si tam indecore, irreverenter, festinanter sacras cæremonias exequendo, foret gravi scandalo circumstantibus, qui videntes, Christum tam irreverenter a celebrante tractari; vel subibunt periculum perdendi fidem; vel judicabunt, hujusmodi Sacerdotem non credere Majestatem Domini, et Christum esse ibi præsentem; vel eum judicabunt impium, irreligiosum, nec Deum revereri. Quid autem dicent adstantes, si viderent aliquem Sacerdotem incedentem per Ecclesiam, et etiam super Altari non jam *oculis dimissis*, ut Rubrica præscribit, sed vagantibus, et fixis ad quasdam personas, locosque? Veh tam scaudalosis Sacerdotibus!

165. Q. Quid agendum, si Sacerdos advertat, se in Missa aliquid omisisse?

℟. Si quod omisit, sit essentiale, pertinens ad consecrationem, est omnino resumendum: aliter Sacrificium non esset validum. Sic expresse Rubrica (De Defect. Tit. V. n. 2.): quæ pariter dicit, quod, *si probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam sub tacita conditione.* Dictum est *probabiliter dubitet*: nam

si dubium sit leve inanis suspicio, aut scrupulus; vel quia non recordetur se consecrasse; aut bene formam protulisse; si alias errare non soleat; non potest repetere, sed judicare debet, se bene omnia fecisse, et dixisse: quia, ut dicit S. Thomas (3. Par. q. 83. a. 6. ad 5.), *qui multa dicit, non recolit omnia, quæ dixit; et idcirco non debet ex hoc mente perturbari.* Et peccaret repetendo: dummodo quis adeo perplexus non reperiatur, ut timeat, magis peccare, nisi repetat. Vide Croix Lib. VI. Par I. a n. 123. ad 132.

166. Q. Quid dicendum, si omissa, aut mutata non sint essentialia?

℟. Si omissa, aut mutata facile, et absque nota possint suppleri; ut si omissa sit aliqua ex primis Orationibus; Oratio omissa potest uniri cum Secreta. Si Sacerdos dicens *Hanc igitur* advertat, adesse *Communicantes*, et *Hanc igitur* propriam, potest dicere. Et sic de aliis, quæ secreto dicuntur si possint statim suppleri. Si autem omissum sit *Gloria*, vel *Credo*; vel dicta sit *Epistola*, *Evangelium*, *Præfatio*, unam pro alio; cum absque nota non possent illa repeti; prosequatur. Sed ne Sacerdos tam faciliter omittat, aut mutet aliquid; *perlegat*, ut dicit Rubrica (Rit. Serv. Tit. I. n. 1.), *et signacula ordinet* ad ea, quæ dicturus est; et quæ necessario non sunt memoriter dicenda, legat in Missali, et in Tabellis Secretarum. Vide Croix Lib. VI. Par. II. a n. 531. etc. B. Ligorio n. 403.

167. Q. Circa Missæ celebrationem est ne aliud præterea notandum?

℟. Varia. 1. Si particulæ consecrandæ offerantur Sacerdoti post factam Oblationem, non po-

terunt consecrari, nisi ex gravi causa; ut si multæ personæ paratæ jam ad recipiendam Communionem deberent ea die Sacramento carere. Et hoc casu ante consecrationem, saltem mente debet eas Sacerdos offerre. Post Præfationem vero allatæ, nullo modo possunt consecrari, nec pro communicando moribundo. Tunc enim parvam portionem suæ hostiæ posset pro infirmo reservare. Sic Lambertini (Sacrif. della Mes. Sez. 2. Cap. 6. §. 2.). Notandum 2. quod Episcopus nominandus in Canone est Episcopus loci in quo celebratur; qui si sit vita functus, vel celebretur Romæ, verba illa: *Et pro Antistite nostro* omittuntur. Sicut omittuntur verba illa: *Una cum famulo tuo Papa nostro*, si Papa mortuus fuerit. Sic Rubrica (Rit. serv. Tit. VIII. n. 2.).

168. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 3. quod epilepticus, seu qui caduco morbo laborat, si *frequenter hoc morbo tangatur*, ex decreto Alexandri II. (Cap. *In tuis Literis I.* Cau. 7. q. 2.) *a Missarum celebratione modis omnibus prohibeatur.* Si autem raro cadat, et deficiat, potest ei permitti celebratio; sed, ut colligitur ex Cap. *Illud* 15. Cau. 7. q. 1., cum assistentia Sacerdotis jejuni, qui in casu possit Missam prosequi. Notandum 4. quod nemini, etiamsi Canonicus sit Cathedralis, aut etiam Dignitas, et Protonotarius, licitum est cum anulo celebrare S. R. C. 20. Nov. 1628., et 13. Sept. 1670. ad 2. Si quod dubium occurrat circa materiam, formam, intentionem, occurrentia in ipso Ministerio, ac dispositiones animæ, et corporis, præter supra dicta (a n. 78. ad 83., et a n. 142. ad 157.), videatur Rubrica (Defect. a Tit. I. ad IX.) et pariter Rubrica (ibid. Tit.

X.) videatur, si Sacerdos in Altari infirmetur; si musca, aut aliud in Calicem decidat, aut tetigerit Hostiam; si Hostia fracta inveniatur; si particula remanserit in Calice; si sacer Sanguis effundatur, si Sacerdos evomat species, et alia necessaria.

ARTICULUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

169. Q. Quid est Pœnitentia?

℟. Pœnitentia considerari potest, vel ut virtus, vel ut Sacramentum. Primo modo considerata, Pœnitentia est virtus inclinans peccatorem ad detestationem, et dolorem de peccato commisso, et ad efficax propositum non peccandi de cætero, et satisfaciendi divinæ justitiæ. Et hæc virtus assumpta fuit a Christo Domino pro materia Sacramenti Pœnitentiæ, ut mox mox videbimus. Pœnitentia autem secundo modo considerata, de qua hic agimus, est Sacramentum a Christo Domino institutum ad peccata post Baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis, et absolutionem Sacerdotis. Et hoc Sacramentum vel in re, vel in voto est tam *necessarium lapsis post Baptismum, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Trident. Sess. 14. Cap. 2.

170. Q. Quando fuit hoc Sacramentum institutum?

℟. *Tunc Dominus* (sunt verba Concilii ibid. Cap. I.) *Sacramentum Pœnitentiæ præcipuè instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur*

eis; *et quorum retinueritis*, *retenta sunt*. Quibus verbis Christus contulit Apostolis, et Sacerdotibus legitime approbatis facultatem remittendi, et retinendi peccata, ut *universorum Patrum consensus* (concludit Trident.) *semper intellexit*. His prænotatis, videamus nunc, quæ sit hujus Sacramenti Materia, Forma, et Minister; et quæ magis necessaria credentur ad hoc Sacramentum fructuose administrandum et recipiendum. Et cum pœnæ peccatis debitæ etiam Indulgentiis satisfieri possint; aliquid de his etiam in hoc Articulo dicemus.

Caput I.

De Materia Pœnitentiæ.

171. Q. Quid, et quotuplex est hæc *Materia?*

℟. Duplex est; remota, et proxima. Materia *remota* sunt peccata post Baptismum commissa: quæ si sint mortalia, et nunquam confessa, et non rite absoluta; sunt materia *necessaria*, seu necessario aperienda in confessione. Si sint venialia, aut mortalia alias rite confessa, et absoluta; sunt Materia *sufficiens*, *sed non necessaria*, seu non necessario aperienda. Communis. Si sint mortalia dubia, seu dubie commissa, juxta Doctores qui horum confessionem requirunt, esset materia *necessaria*, *sed non sufficiens*. Vide infra n. 204. et 205. Materia autem *proxima* seu *quasi Materia* (ut se exprimit Tridentinum ibid. Cap. 3.), circa quam Sacramentum versatur, *sunt ipsius pœnitentis actus*; *nempe Contritio*, *Confessio*, *et Satisfactio*, de quibus in sequentibus Paragraphis disseremus.

Paragraphus I.

De Contritione.

172. Q. Quid, et quotuplex est Contritio?

℟. *Contritio*, ut definitur a Tridentino (ibid. Cap. 4.), *est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Si hic dolor, ac detestatio concipiatur a peccatore propter gravissimam injuriam factam Deo summe bono; dicitur Contritio *perfecta*; et hæc propriissime dicitur *Contritio.* Et, si hæc perfecta Contritio inclusum habeat votum, seu verum desiderium Sacramentum recipiendi, seu sua peccata confitendi; peccator suorum peccatorum veniam etiam ante absolutionem recipit, Deoque reconciliatur. Sic Tridentinum eodem loco. Si autem dolor, ac detestatio peccatorum concipiatur, vel *ex turpitudinis peccati consideratione*, *vel ex gehennæ*, *et pœnarum metu*, vel ob Paradisum deperditum; vocatur Contritio *imperfecta*, seu *Attritio*; quæ ex eodem Tridentino (ibid.) absque sacramentali absolutione peccatorem Deo non reconciliat.

173. Q. Quænam ex his Contritionibus in Pœnitentiæ Sacramento requiritur?

℟. Etiamsi de rigore Contritio perfecta non requiratur; in praxi tamen tutius, atque utilius est, ut pœnitentes se excitent non solum ad Attritionem, sed etiam ad Contritionem perfectam. An autem Attritio includere debeat aliqualem Dei amorem, ut summe boni, quæstio est inter Doctores. Alexander VII. die 5. Maj. 1667. silentium imposuit huic quæstioni, donec a S. Sede fuerit aliter definitum. Sed ex hoc ipso silentio,

ut recte notat Cardinalis Gotti (Tr. 9. q. 4. dub. 4. §. 2.), videtur posse deduci, quod dictus Pontifex non judicaverit, hunc amorem necessarium esse ad veram Pœnitentiæ materiam : aliter debuisset damnare sententiam oppositam, nec illam in sua probabilitate relinquere, et communiorem vocare, ut fecit. Videtur ergo sufficere, quod pœnitens amet Deum amore concupiscentiæ, seu ut bonum sibi ; quod implicte jam facit, quando, etsi metu gehennæ, dolet tamen, se peccasse, ac proinde Deum offendisse ; et proponit non peccare de cætero, seu Deum non amplius offendere, cum spe veniæ a Deo obtinendæ, ut prescribit Tridentinum (ibid.). Vide B. Ligorio Lib. 6. n. 442.

174. Q. Contritio, Confessio, ac Satisfactio sunt ne æque necessaria in Sacramento Pœnitentiæ ?

℟. Nequaquam. Potest enim dari casus, ut quis nullum peccatum possit accusare ; nullam satisfactionem, seu pœnitentiam adimplere, ut accidit in moribundo sensibus destituto : et tamen, si habeat veram Contritionem saltem imperfectam modo mox explicato, potest valide absolvi, et peccatorum remissionem recipere : ut colligitur etiam ex Rituali Romano (Ordo ministr. circa fin.). Sed, si ei desit hæc Contritio ; nihil ei prodesset Sacerdotis absolutio. Patet ergo, Contritionem necessariam esse *necessitate medii*, sine qua nunquam valida sit absolutio, et nunquam peccatorum venia obtineatur. Confessio autem, et Satisfactio est necessaria *necessitate præcepti divini*, sine quibus in aliquo casu, ut dictum est, valida potest esse absolutio.

175. Q. Quo fine, et quando a pœnitente eliciendus est hic actus Contritionis ?

℟. Ut hic actus sit Sacramentalis, requiritur; ut fiat in ordine ad Confessionem faciendam, seu animo confitendi: sicut Ordinandus, ut valide ordinetur; debet instrumenta tangere ad finem recipiendi Ordinem. Sic probabilius sentiunt apud Croix (Lib. 6. Par. 2. n. 687.) Bon. et alii Doctores. Et quamvis sufficere possit, ut hic actus eliciatur ante absolutionem recipiendam; ut colligitur ex Rituali Ronano (ibid.), quod insinuat Confessario, ut *audita Confessione* . . . *ad dolorem, et Contritionem* . . . (pœnitentem) *adducere conabitur*: nihilominus, sicut non est tam facile, ut eo brevi tempore, quo Sacerdos absolutionis formam pronuntiat, illum actum tam necessariam, ut fieri oportet, pœnitens eliciat; et sic periculo se exponat absque Contritione, et proinde invalide absolutionem recipiendi; expedit, ut post repetitas preces apud divinam misericordiam, post examen conscientiæ illum eliciat.

176. Q. Quid est præterea notandum?

℟. Notandum 1. quod quamvis Contritio sit tam necessaria; non requiritur tamen, ut pro singulis peccatis singuli Contritionis actus eliciantur; sed sufficit de omnibus universaliter pœnitere. Sic B. Ligorio (n. 438.) cum Communi. Notandum 2. quod, si post factam confessionem recordetur quis peccati in ipsa obliti, juxta probabiliorem, ut ait idem Beatus (n. 448.), renovandus est dolor, seu Contritio, antequam de illo confiteatur; etiamsi statim ad Confessarium redeat: quia per primam absolutionem jam completum est judicium. Notandum 3. quod, si quis confiteatur sola peccata venialia; saltem de uno veram Contritionem (n. 172. 173.) habere debet: aliter, cum

Sacramentum frustraretur, gravi sacrilegio se alligaret: ut idem Beatus (n. 449.) cum aliis Doctoribus sentit. Et, si quis dubitet de hac Contritione super venialibus, renovet Contritionem super aliquo mortali vitæ anteactæ jam rite confesso, et absoluto; et de hoc denuo se accusando saltem in genere, ex. gr.: me accuso de omnibus peccatis vitæ anteactæ contra Puritatem, Charitatem etc., absolutio erit valida, et licita.

177. Q. Quas conditiones habere debet Contritio?

℟. Sicut Contritio respicit dolorem de peccatis commissis, et propositum non peccandi de cætero; prius de conditionibus *Doloris*, dehinc de *Propositi* conditionibus loquemur. Quatuor sunt conditiones *Doloris*. Debet esse internus, summus, universalis, et supernaturalis. *Internus* significat, quod *Dolor* non ab ore tantum, sed ex intimo cordis affectu procedat. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, legitur Joelis 2. 12.; et ibidem v. 13. *scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Summus* indicat, quod, sicut concipi non potest major injuria, quam illa facta Deo per peccatum; nec potest concipi damnum majus, quam illud, quod sibi fecit peccator; dolor ergo, et displicentia de peccato commisso debet esse major omni alio dolore, sive *summus*. Hic autem nota, quod non est necesse, quod dolor sit *sensitive summus*, ita ut peccator lacrymetur, fleat etc. (licet hoc esset optandum, si veniat ex corde); sed sufficit, ut sit *appretiative summus*, idest, ut magis sibi displiceat peccatum, quam quodcumque aliud malum.

178. Q. Quid significant *universalis*, *et supernaturalis*?

℟. *Universalis* indicat, quod peccator debet se pœnitere de omnibus peccatis lethalibus etiam oblitis, et non cognitis. *Convertimini* (dicit Ezechiel. 18. 30.), *et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*. Ratio: quia unum lethale absque alio non potest dimitti, ut communiter sentiunt Doctores. Aliter homo esset amicus, et inimicus Deo, quod repugnat. Dictum est *lethalibus*: quia, etiamsi esset optabile, non est tamen necesse, quod in singula venialia dolor cadat, ut constat ex dictis n. 176. Dicitur denique *supernaturalis*: 1. quia hic dolor propriis viribus concipi non potest *absque Spiritus Sancti præveniente inspiratione, atque ejus adjutorio*, ut ex Can. 3. Trident. Sess. 6. et idcirco humilibus precibus hunc dolorem postulet a Deo peccator: Dicitur 2. *supernaturalis*: quia ex motivo supernaturali concipi debet, ut colligitur ex dictis n. 172.

179. Q. Quot conditiones debet habere Propositum?

℟. Tres. Debet esse absolutum, universale, et efficax. *Absolutum*, sive *firmum*, et *constans* importat, ut homo firmiter statuat, se in posterum, Dei gratia, nullo umquam tempore, nullo in casu, nulla in circumstantia graviter peccaturum; et ita sit dispositus saltem implicite, ut potius vellet omnia bona, famam, vitamque ipsam amittere; et quæcumque mala, tormenta, et mortem etiam subire; quam graviter peccare. Et hoc propositum reputabitur *firmum*; etiamsi pœnitens suæ præteritæ fragilitatis conscius timeat relapsum: quia verum propositum non consistit in hoc, quod homo credat, quod non sit amplius peccaturus; sed in eo, quod hic, et nunc habeat veram voluntatem amplius, Deo dante, non peccandi. Vide B. Ligorio Lib. 6. n. 451.

180. Q. Quando Propositum erit *universale*, et *efficax?*

℟. Erit *universale*, quando homo habeat veram voluntatem vitandi omnia peccata mortalia, et implendi graves obligationes, ut restituendi, solvendi debita, si possit etc. Communis. Secus vero de Proposito circa venialia: quia sicut, si quis confiteatur tantum venialia; ad valorem Sacramenti sufficit, ut saltem de uno vere pœniteat, ut dictum est n. 176.; sic sufficit, ut pœnitens saltem de uno habeat verum propositum; cum proposito *universali* vitandi omnia lethalia. Ut autem Propositum sit *efficax*, non sufficit, ut homo habeat veram voluntatem non amplius peccandi; sed requiritur etiam, ut habeat veram voluntatem media adhibendi opportuna ad peccatum vitandum; ut esset dandi se orationibus, sensus mortificandi, Sacramenta frequentandi etc.; præsertim, si habituatus sit in aliquo vitio; et signanter cum intentione fugiendi occasiones proximas voluntarias peccandi, ut communiter docent Doctores apud B. Ligorio n. 451. Quando autem occasio sit proxima etc., vide Lib. I. a n. 274. ad 282., et infra n. 262. etc.

181. Q. Ad valorem Sacramenti sufficit ne Propositum *implicitum* inclusum in dolore?

℟. *Ex* se posset sufficere: quia non potest dari verus dolor, et detestatio de peccato commisso, nisi quis habeat inclusam voluntatem non peccandi de cætero. Et revera statim ac David corde contrito dixit (2. Reg. 12. 13.): *Peccavi Domino*; etiamsi in his verbis non appareat propositum *formale*, et *explicitum*; respondit ei Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Sed quamvis in vero Dolore inclusum esse debeat

propositum : nihilominus, cum Tridentinum præter *Dolorem* requirat etiam *Propositum*, ut ex definitione Contritionis supra n. 172. : sequitur, ad valorem Sacramenti requiri Propositum *explicitum*, ut contra varios sentiunt communiter tot Theologi apud Croix (n. 894.) saltem ex præcepto Tridentini, uti habet Navarrus. Nisi quis tanto, et tam vehementi dolore fuerit abreptus; ut nihil cogitans de vita in posterum instituenda (si hoc potest dari), ad Sacramentum accedat: etiamsi B. Ligorio (n. 450.) hanc limitationem non admittat.

Paragraphus II.

De Confessione sacramentali.

182. Q. Quid est Confessio sacramentalis?

℟. Confessio, seu *Exomologesis*, quæ est secundus actus pœnitentis, et secunda pars, et quasi materia Sacramenti (n. 171.), *est accusatio de propriis peccatis facta a pœnitente Sacerdoti legitimo ad obtinendam eorum remissionem per sacerdotalem absolutionem.* Et sicut hæc peccatorum accusatio ex divina institutione, ut habetur in Tridentino (Sess. 14. Cap. 5.), debet esse integra; *et omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem pœnitentes conscientiam habent*, sint recensenda; explicando etiam numerum, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant, ut explicatum est Lib. I. a n. 289. ad 310.; patet, huic accusationi præmittendum esse *diligens* conscientiæ examen; illam summam curam, et diligentiam adhibendo, ut explicat Catechismus Romanus (de Sacram. Pœnit. n. 47.), quæ in rebus gravissimis poni solet,

juxta diversam pœnitentium qualitatem, ministerium, ætatem etc., et tempus ab ultima confessone rite facta transactum. Et hic nota, quod, qui peccata in examine reperta scribit, ne memoria excidant, melius facit.

183. Q. Adest ne præceptum hujus sacramentalis Confessionis faciendæ?

℟. Maxime; et triplex: Divinum, Naturale, et Ecclesiasticum. De Præcepto *Ecclesiastico*, et de omnibus hoc præceptum concernentibus, locuti jam fuimus Lib. II. a n. 1069. ad 1073., et ibi dicta recolantur. Quod adsit præceptum *Divinum* de integra peccatorum confessione, diximus jam numero præcedenti; et ex illis Christi verbis (Jo. 20. 23.): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*; aperte declarat Tridentinum (ibid.) hanc Confessionem *omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere*. Adest etiam præceptum *Naturale*: quia unusqnisque in mortali existens, ob amorem, quem sibi naturaliter debet; ne periculo se exponat æternam incurrendi perditionem; ad hoc Sacramentum *lapsis* tam *necessarium* accedere debet.

184. Q. Quandonam obligat hoc *Divinum*, et *Naturale* præceptum?

℟. Quod non obliget per se statim; idest, oblata prima opportunitate confitendi, communis est sententia cum S. Thoma (in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 4.) contra alios. Idem tamen S. Doctor concludit: *Consilium tamen sanum est, ut omnes, qui in mortale lapsi sunt; quo citius possunt, confiteantur*. Et ita facere debet is, cui cordi est propria æterna salus: (nemo enim scit, quando, et quomodo mors veniat. Commune est

pariter, quod hoc præceptum per se obliget in quovis probabili mortis periculo; ut in gravi infirmitate, in periculosa navigatione, partu difficili etc. Et idcirco Innocentius III. (Cap. *Cum infirmitas* 13. de Pœnit. et remis.) *districte*, idest sub gravi, et sub pœna Interdicti Medicis præcipit, ut vocati ad infirmos, *ipsos ante omnia moneant*, *et inducant*, *ut Medicos advocent animarum*, idest Confessores. Quod Decretum confirmavit S. Pius V. (Const. *Supra gregem* 8. Mar. 1566.). Et insuper Medicis præcepit, ne post tres dies infirmos *in lecto jacentes* ulterius visitent, nisi scripto Confessarii certi sint, illos esse confessos. Vide tamen Lib. III. n. 268.

185. Q. Hæc præcepta obligant ne alio tempore?

℞. Obligant pariter sæpe in vita, et saltem semel in anno, ut Ecclesia determinavit. Obligant extantes in mortali, cum Eucharistia est recipienda; ut dictum est n. 96. etc. Obligat; si quis suscepturus, aut ministraturus aliud Sacramentum, non posset conteri. Obligat; quoties Confessio putatur necessaria ad superandas tentationes; ad pravos habitus extirpandos, præsertim in iis, qui hunc fructum jam sunt experti. Et juxta non paucos Doctores obligat etiam, si quis experientia edoctus, lapsu temporis difficulter recordetur species, numerum, et circumstantias suorum peccatorum. Sed generaliter omnibus consulitur hujus Sacramenti frequentia, etiam, quia ut ait S. Gregorius Papa, *Peccatum*, *quod pœnitentia non diluitur*, *ipso suo pondere mox ad aliud trahit*. Vide B. Ligorio n. 663.

186. Q. Quot conditiones habere debet Confesio?

℟. Etsi plures ab aliquibus recenseantur ; ad quatuor tamen commode reduci possunt ; idest, ut sit humilis, simplex, prudens, et integra. *Humilis* significat, quod pœnitens non solum coram Deo, sed etiam coram Confessario tamquam reus divinæ læsæ Majestatis humiliter se sistat, deposito omni fastu ; oculis dimissis, et cum dolore sua peccata, non sicut historiam impudenter enarret ; sed verbis honestis, quoad fieri potest, et verecunde Dei Ministro accuset ; et cum ipso non disputet, absolutionem indebite præsumens : sed ejus justis mandatis, et consiliis humiliter obtemperet. *Simplex* significat, ut peccata accusentur absque verbis, et narrationibus superfluis ; sed nude : ita ut Confessarius peccatum, et ejus gravitatem percipiat. Insuper, ut confessio sit *simplex*, requiritur etiam, ut peccata non excusentur, et absque mendaciis exponantur.

187. Q. Quid dicendum de iis, qui peccatum excusant ?

℟. Dicendum, quod hi suorum veniam peccatorum non recipiunt. Ita S. Gregorius (ap. B. Ligor. Istr. al Pop. P. 2. n. 57.) : *Si tu te excusas, Deus te accusabit : si tu te accusas, Deus te excusabit.* Et non solum peccatorum, quæ excusant, veniam non consecuuntur ; sed juxta S. Ambrosium (Breviar. Rom. Dom. 6. post Pent.) *Homines . . . . . peccatum suum ingravant, dum negare cupiunt, aut defendere.* Et hoc peccatum est ita grave, ut ait S. Augustinus (ap. da Bergamo Serm. 21. n. 24. lit. F. G.), quod Deus non condonat : *Est quædam iniquitas*, en ejus verba, *quam qui operatur, non potest fieri, ut misereatur ei Deus. Quæretis, quænam illa sit ? Ipsa est defensio peccatorum.* Notent

hæc Confessarii, ut salutaliter increpent eos falsos pœnitentes, qui ut se excusent, filiis, marito, bestiis, sociis, dœmoni, aut alteri suum peccatum imputant.

188. Q. Quid censendum de mendaciis factis in Confessione?

℟. Si mendacium sit circa res ad Confessionem non pertinentes, ut historiam falsam narrare, et similia: vel circa res non necessario exprimendas in Confessione; ut negare mortale jam rite confessum, et absolutum; vel negare veniale commissum; hujusmodi mendacium erit veniale: quia Confessarius non decipitur in re gravi. Mendacium autem erit grave; si in re gravi, et circa res necessario exprimendas Confessarius decipiatur: ut si pœnitens falso dicat, se non recordari alius peccati mortalis; aut nescire, aliquid esse peccatum; si interrogatus, vel neget consuetudinem peccandi; aut cirmumstantias necessario exprimendas nolit explicare; aut si malitiose minuat, vel adaugeat numerum peccatorum, et similia. Et hic nota, quod qui taliter mentitur; duplex mortale committit; unum contra veracitatem, et alterum sacrilegii contra Religionem ob irreverentiam, quæ fit Sacramento; et illam confessionem repetere debet. Ita B. Ligorio cum aliis, quos citat Lib. 6. n. 497.

189. Q. Quando confessio erit *prudens*?

℟. 1.° Cum pœnitens accusando peccata propria, non manifestet peccata aliorum; quia hoc esset detrahere proximo, quod est peccatum: dummodo pœnitens hoc non faciat ob petendum consilium a Confessario, aut necesse foret ad explicandum peccatum proprium. Hinc Confessarii redarguant illos loquaces pœnitentes, qui ob excu-

sanda propria peccata manifestant blasphemias; ebrietates, furta, impudicitias, impatientias etc. conjugis, filii, servi, vicini, aliorumve. 2.° Ut sit *prudens* Confessio, requiritur, quod peccatum taliter accusetur, ut Confessarius in cognitionem nequeat venire complicis, seu personæ, cum qua peccatum fuit commissum, ne proximus infametur; nisi aliter necessitas postulet.

190. Q. Quare dixisti: *Nisi aliter necessitas postulet?*

℟. Quia si pœnitens suum peccatum rite nequeant exponere, nisi manifestando qualitatem personæ, cum qua peccavit; nempe, quod sit persona conjugata, consanguinea, affinis, sacra etc.; tunc juxta S. Thomam (Opusc. 12. q. 7.) cum aliis plurimis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 489.), tenetur manifestare; etiamsi Confessarius in cognitionem veniat complicis: quia quando manifestatio est necessaria, ut in casu nostro; docet idem S. Doctor (2. 2. q. 73. a. 2.), non esse detractionem, nec peccatum: eo magis quod complex in peccatum consentiendo, jus amisit ad suam famam in ordine ad confessionem illius peccati, ut notat idem Beatus. Hic tamen cum S. Doctore advertit, quod, si pœnitens absque suo incomodo alium possit adire Confessarium, cui complex non sit cognitus; ad servandam ejus famam, teneretur. Dixi *absque suo incomodo*: quia, si absque sui infamia alium non possit adire Confessarium; vel alteri suam conscientiam difficulter aperiret; aut si in necessitate versetur communicandi, celebrandi; vel nolit amplius vivere cum illo peccato etc. juxta plurimos Doctores apud Beatum (n. 490.) pœnitens non teneretur alium exquirere Confessorem.

191. Q. Licet ne Confessario nomen complicis a pœnitentibus exquirere?

℟. Non solum non licet; sed si quis hoc licitum esse præsumpserit scribere, docere, aut loqui; Benedictus XIV. (Const. *Ubi primum* 2. Jun. 1746.) declarat, hujusmodi Confessarium ipso facto incidere in Excommunicationem Papæ reservatam; et insuper, si quis auderet sacramentalem absolutionem pœnitenti denegare, nisi manifestaret nomen, vel habitationem etc. complicis; præter peccatum mortale, et alias pœnas ibi expressas, voluit, talem Confessarium ab officio audiendarum confessionum fore suspensum. Ut autem bene notat idem Beatus (n. 491.), Confessarii ad confessionis integritatem servandam, et ad pœnitentis conscientiæ consulendum, et ad noscendum, an illud peccatum sit reservatum etc.; bene pussunt, imo tenentur exquirere a pœnitente circumstantias necessarias, nempe si persona complicis sit in primo, vel secundo gradu; si voto sit ligata; si sit ancilla; si habitet in eadem domo etc. etiamsi veniant in cognitionem complicis.

192. Q. Quando Confessio reputatur *integra?*

℟. Integritas confessionis duplex est, materialis, et formalis. Integritas *materialis* importat, ut omnia peccata mortalia nondum rite confessa, et absoluta in confessione aperiantur, nullo omisso. Et hæc *materialis* integritas, licet sit summopere procuranda, *per se* non semper est necessaria: quia sæpe accidit, ut etiam post diligens examen quis non cognoscat, aut non recordetur omnia mortalia. Quando autem cognoscit, vel recordatur; de jure divino semper confiteri teneretur, accusando speciem, numerum, et circumstantias,

quæ mutant speciem, ut diximus n. 182. Et contrarium asserentes anathematizati sunt a Tridentino. Sess. 14. Can. 7. Integritas autem *formalis* importat, ut omnia mortalia, quæ post diligens examen in mentem veniunt, et hic, et nunc sunt exprimenda; in sua specie, numero, et circumstantiis pariter aperiantur. Et hæc *formalis* integritas est adeo necessaria, ut, etiamsi unum solum mortale non rite confessum, et absolutum sine justa causa malitiose taceatur, confessio erit nulla, et sacrilega. Communis ex Trid. ib. Cap. 5.

193. Q. Quare dixisti: *sine justa causa*?

℟. Quia varii dantur casus, in quibus valide potest quis confiteri, remissionemque accipere peccatorum, etiamsi non omnia peccata possit Confessario aperire. Ut si quis ex eo, quod sibi, vel aliis evenit, prudenter timeat, ne Confessarius ille, qui solus haberi potest, ex confessione alicujus sui peccati occasionem sumat se, vel alium persequendi, vel aliquod grave damnum faciendi; vel prudenter timeat, ne ex confessione alicujus turpis peccati det occasionem peccandi illi Confessario, præsertim, si ille non sit bonæ famæ etc. Ita Lugo cum aliis, quos citat Beatus Ligorio (n. 487.). Ut autem hæc obtruncata Confessio possit licite fieri, requiritur, ut quis in necessitate sit faciendæ confessionis; nec alium possit habere Confessarium. Et in his casibus, ac etiam in aliis, in quibus non omnia sua peccata possit quis aperire, ut mox dicetur; de omnibus tamen debet se pœnitere, etiam de illis omissis; et in sequenti confessione peccata omissa confiteri, ut dictum est numero præcedenti.

194. Q. Qui sunt alii casus, qui *ab integritate* confessionis excusent?

℟. Si quis inter confitendum loquelam amittat, aut alia causa confessionem prosequi non possit, ut aliquoties infirmis accidere potest; tunc *nutibus*, *et Signis*, ut docet Rituale Rom. (Sacram. Pœnit. Ordo ministr.) *conetur* (Sacerdos), *quoad ejus fieri poterit*, *peccata pœnitentis agnoscere*, et absolvat. Item, si in imminenti periculo naufragii, incendii, pugnæ nequeant illi infelices integre confiteri; imo etiamsi nullum possint aperire peccatum; dummodo in genere dicant, se de omnibus peccatis pœnitere, et confiteri: vel suam contritionem pectoris tunsione, genuflexione, aut aliis modis manifestare possunt; debent absolvi etiam in plurali, dicendo: *ego vos absolvo ab omnibus censuris*, *et peccatis etc.* Item tempore pestis, vel alterius morbi contagiosi, si nequeat Confessarius absque infectionis periculo etiam a longe diutius immorari; audito aliquo peccato in specie, et aliis in genere; juxta Concina, Abelly, et alios apud B. Ligorio (n. 485.) potest pœnitentem absolvere. Meminerint autem hujusmodi pœnitentes, quod, cessante impotentia, debent in sequenti Confessione peccata omissa confiteri, ut dictum est numero præcedenti; et qui contrarium dicebant, damnati fuerunt ab Alexandro VII. (Prop. II.).

195. Q. Dantur ne alii casus *ab integritate* excusantes?

℟. Si infirmus, dum Viaticum ei fertur, confiteri petat; et confessarius noscat, confessiones præteritas invalidas fuisse; in his criticis circumstantiis, auditis aliquibus peccatis in specie, Sacerdos hortans infirmum ad se accusandum de aliis in genere, et præsertim de sacrilegiis admissis; ut sentit Beatus cum aliis, quos citat (260.);

illum absolvat, et communicet, imposita ei obligatione, si tempus suppetat, confessionem perficiendi. Item mutus, etsi unum tantum, aut alterum peccatum per nutus manifestet; potest absolvi. Bene autem dicunt probabilius, et communius Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur idem Beatus (n. 479.), quod, si mutus ille sciat scribere, et periculum absit manifestationis; teteneatur per scripturam confiteri : quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia. Hic autem nota, quod ob magnum concursum pœnitentium nullus excusatur ab integritate materiali, ut constat ex Prop. 59. proscripta ab Innocentio XI.

196. Q. Quid dicendum de moribundo?

℟. Si moribundus *per se, sive per alios confitendi desiderium ostenderit*; dicit Rituale (ibid.), *absolvendus est.* Et idem dic, etiamsi hoc desiderium non ostenderit; si coram Sacerdote det signa pœnitentiæ, Confessoris manus stringendo, oculos aperiendo, et claudendo; aut alio modo. Imo expedit illum absolvi toties quoties nova signa dat pœnitentiæ. Si autem moribundus ille nec confessionis desiderium expresserit, nec, quia sensibus destitutus, ullum potest dare signum doloris; etiamsi multi negent dari posse absolutionem : quia, ut ipsi ajunt, materia deficit; alii tamen communius, duce S. Augustino (L. I. de adulter : Conjug. C. 26.), sentiunt, absolvi posse sub conditione : quia dari potest, quod moribundus ille doleat, et proinde adsit materia; nec sui doloris signum dare possit; aut si det, non percipiatur. Vide infra n. 234. Et tali modo saluti proximi satis consulitur; et per conditionem consulitur reverentiæ Sacramenti. Vide B. Ligo-

rio (n. 480. etc), qui adversariorum objectiones refellit.

197. Q. Quare n. 192. addidisti: *malitiose taceatur?*

℟. Quia, si pœnitens post diligens examen non malitiose, et data opera; sed vel ex oblivione, vel ex inculpabili ignorantia (vide Lib. I. n. 17.), unum, aut plura peccata, aut eorum certum numerum, ac necessarias circumstantias non aperiat; dummodo de omnibus peccatis etiam oblitis, et non cognitis se pœniteat; ex hoc capite, ejus Confessio non erit invalida. Et idem dic de peccato, vel peccatis in examine repertis, quæ in actu Confessionis e memoria excidunt. Cum autem hujusmodi peccata redeunt in mentem, vel noscuntur; semper sunt aperienda, ut dictum est numeris præcedentibus. Et, si hoc eveniat ante Communionem faciendam; juxta dicta n. 100. ad Confessarium redeat, si commode potest, et aperiat. Si autem peccata omissa fuerunt, quia pœnitens fuit notabiliter negligens in examinanda conscientia, Confessio foret invalida, et sagrilega, ac proinde repetenda: nisi Confessarius suppleverit. Constat ex dictis n. 182.

198. Q. Quid notandum circa *numerum*?

℟. Notandum, quod accusandus sit numerus certus peccatorum lethalium. Hinc, si quis sit certus, quinquies ex. gr. blasphemasse, pejerasse, se polluisse etc., hunc numerum debet accusare; et invalide confiteretur, si dixisset *quater vel quinquies*, *quinquies, vel sexies*: quia ut dubium diceret quod est certum; nisi aliquis pœnitens a sua simplicitate non excusetur, credens, melius esse dicere plus, quam minus. Si autem certus numerus non occurrat; tunc pœnitens numerum ve-

risimilem debet exprimere, dicendo ex. gr. *quater, vel quinquies*; aut dicendo *quinquies circiter*, *vel quinquies plus*, *minusve*; et sic de aliis majoribus numeris. Sed nota, verbum illud *circiter*, vel *plus minusve* extendi ad unum; aut duo supra, vel infra numerum; et etiam ad tres, vel quatuor, si numerus accusatus sit triginta, quadraginta etc. Cum autem sit fere impossibile, ut consuetudenarius plurium mensium, vel annorum numerum certum possit rescire; melius faciet pœnitens, si post diligens examen dicat, quoties in diem, vel in hebdomadam, vel mensem sit lapsus; nunc plus, nunc minus; ut Confessarius saltem in confuso numerum peccatorum apprehendat. Vide B. Ligorio n. 466.

199. Q. Circa *numerum* est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum, quod, si quis per mensem ex. gr. in mala voluntate extiterit occidendi, fornicandi, furandi etc., non sufficit, si dicat, se per mensem in hac prava voluntate extitisse; sed debet exprimere, quoties in diem, hebdomadam, illam malam voluntatem renovarit, et modum quæsierit illam exequendi; ut numerus omnium peccatorum Confessario innotescat. Sic qui uno ictu plures homines occidit; pluribus uno sermone detraxit; pluribus malum eodem actu fuisset imprecatus; pluribus uno facto, vel dicto scandalum præbuisset etc., non sufficit, si dicat, semel occidisse, detraxisse, malum desiderasse, scandalum præbuisse; sed debet explicare, quoad fieri potest, numerum personarum, quas occidit, contra quas detraxit, quibus malum fuit inprecatus, aut scandalum præbuit. Sic Antoine Tract. de Pœnit. Art. 2. q. 3. Resp. 1. et 2. Notent præsertim genito-

res, quando imprecationes evomunt in filios; aut alio modo eis scandalum præbeant, et notent Confessarii.

200. Q. Quid notandum circa *circumstantias?*

℞. Si *circumstantiæ* mutent speciem peccati; vel adaugent numerum peccatorum; vel quod est mortale reddat veniale (vide Lib. I. a n. 256. ad 273.); vel quod est veniale reddat mortale (vide ibid. n. 224. etc.); jure divino, ut ex Tridentino (Sess. 14. Can. 7.) sunt explicandæ. Hinc qui furatur in Ecclesia; præter peccatum furti contra Justitiam, peccat sacrilegii contra Religionem. Qui peccat carnaliter, aut desiderat peccare cum consanguinea; præter peccatum contra Castitatem peccat pariter contra Pietatem. Si hæc persona sit conjugata, vel sacra, peccat quoque contra Justitiam, et respective contra Religionem. Et proinde circumstantiæ *loci sacri*, *consanguineæ*, *conjugatæ*, *sacræ* sunt explicandæ. Pariter, quamvis blasphemia, et furtum sint ex genere suo mortalia; si quis blasphemavit in motu primo primo, et furatus est obolum; cum peccet venialiter, debet explicare. Sicut debet explicare qui ex formali contemptu præceptum leve transgreditur: quia quod per se foret leve, evadit grave. Et sic de similibus.

201. Q. Quid dicendum de aliis *circumstantiis?*

℞. Si aliqua circumstantia non mutet speciem, sed in eadem specie peccati mortalis, vel minuat vel non multum aggravat peccatum; hæc *circumstantia* non erit necessario explicanda. Communis. Si autem circumstantia notabiliter aggravat peccatum, seu illud gravius reddit; ut qui furatur decem, centum, mille; aut qui carnaliter peccavit

cum consanguinea in quarto, vel tertio, vel secundo, vel primo gradu etc.; quæstio est inter Doctores, an quantitas furti, et gradus consanguinitatis sint explicanda. Sententia negativa, quam tenent S. Thomas, S. Antoninus, et multi alii apud B. Ligorio (n. 468.), est probabilior, ut idem Beatus sentit; et Cabassutius (ibid.) eam vocat graviorem, et communiorem. Et revera Tridentinum tam Cap. 5., quam Can. 7. Sess. 14. loquitur tantum de *circumstantiis*, *quæ speciem mutant.*

202. Q. Quid dicendum, si de his notabiliter aggravantibus circumstantiis Confessarius interroget?

℟. Confessarius, ut et congruentes facere possit correctiones; et pœnas, quas oportet, possit imponere; et etiam ad noscendum, an aliquod peccatum sit necne reservatum; multoties inquirere debet de his circumstantiis, quæ speciem non mutant; et in his casibus pœnitens veritatem dicere tenetur; ut colligitur etiam ex Cathechismo Romano (Par. 2. Cap. 5. n. 47.): nam aliam pœnam debet imponere furantibus centum, quam furantibus decem, aut unum: aliam pœnam peccantibus cum consanguinea in primo gradu, quam in gradibus inferioribus; eo magis quod copula cum consaguineis, vel affinibus in primo, vel secundo gradu fere in omnibus Diœcesibus reservata est cum Censura.

203. Q. Adest ne aliqua Pontificia auctoritas hoc declarans?

℟. Maxime. Benedictus XIII. in Instructione, quam dedit in fine Concilii Romani, postquam Parte IV., obligationem ostendit circumstantias *speciem mutantes* confitendi, subjungit: *Quanto*

poi alle circostanze, che non mutano la specie del peccato, ma notabilmente l' aggravano, due sono le opinioni de' Dottori. Altri affermano l' obbligo di spiegarle nelle confessioni; altri lo negano. Insomma abbiate per massima, che il penitente è obbligato sempre a rispondere con verità, quando il Confessore lo domanda intorno a suoi peccati per sapere lo stato della sua coscienza. Et ob easdem rationes numero præcedenti relatas; et ad hoc, ut pœnitentis dispositiones queat Confessarius cognoscere; pœnitens ad Confessarii interrogationem debet pariter aperire circumstantiam consuetudinis, ut constat ex Prop. 58. damnata ab Innocentio XI.

204. Q. Peccata dubia sunt ne confitenda?

℞. Tripliciter potest considerari peccatum dubium. Primo modo, si quis dubitet, an peccarit. Secundo, an peccatum, quod quis commisit, sit mortale, vel veniale. Tertio, an peccatum mortale, quod certe quis commisit, confessus sit, vel non. Si quis cum fundamento dubitet, an graviter peccarit, ex. gr. an pejeravit, an illusioni nocturnæ consensum præbuerit etc.; multi graves Doctores dicunt teneri ad ejus confessionem, sed sub dubio; ut in tuto ponat suam æternam salutem, in casu; quo peccatum sit commissum. Et, si postea certo recordetur, se commisisse; denuo accusandum esse ut certum. Alii autem pariter graves Doctores communissime, ut ait B. Ligorio (n. 473.), sentiunt, non teneri: quia ex Tridentino (ibid.) confitenda sunt mortalia, quorum quis meminit. Dubitare autem non est meminisse, imo potius non meminisse. Alia ratio: quia dubitanti, an aliquod peccatum commiserit, non est onus certum imponendum Confessionis.

Hinc in rigore hujusmodi dubia peccata non tenetur quis confiteri; et si omittat; confessio non erit sacrilega.

205. Q. Quare dixisti: *in rigore?*

℟. Quia ad conscientiæ tranquillitatem suadenda est hujusmodi peccatorum confessio; quomodo explicatum est numero præcedenti. Et quia super peccato dubie commisso non potest dari absolutio absoluta; hinc si quis sola peccata dubia confiteatur, addat aliud peccatum certum rite alias confessum, super quod cadat absolutio, in casu, quo illud dubium peccatum non sit commissum. Sapienter autem, ut notat Beatus (n. 476.), docet Habert cum aliis Doctoribus, quod, *si vir probatæ pietatis* (notent scrupolosi) *anxius sit, an consenserit delectationi venereæ, moraliter certus esse debet, non consensisse; quia moraliter fieri nequit, ut voluntas tam firma in bono proposito mutetur, quin dilucide advertat.* E contra is, qui assuetus est consentire; in dubio presumitur consensisse: si enim obstitisset, utique recordaretur factæ resistentiæ. Vide Lib. I. n. 270. etc.

206. Q. Quid dicendum de eo, qui dubitat secundo, et tertio modo?

℟. Qui scit, certo peccasse; at nescit, illud peccatum esse grave, vel leve; nisi prudenter dubium deponat, tenetur confiteri. Ita S. Thomas, qui (Supplem. q. 6. a. 4. ad 3.) ait: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente.* Qui autem dubitat, an confessus sit peccatum mortale certe commissum, dubio permanente, ordinarie loquendo tenetur pariter confiteri: quia, cum obligatio confessionis sit certa; certa pari-

ter esse debet satisfactio, ut diximus de Voto (Lib. II. n. 778.).

207. Q. Quare dixisti: *ordinarie loquendo?*

℟. Dictum est *ordinarie loquendo*: quia si quis diligens fuit in examinanda sua conscientia, et in suis peccatis accusandis; si post lapsum temporis non recordetur aliquod peccatum accusasse, præsertim in confessionibus generalibus; potest credere, se accusasse; ut bene dicunt Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 477.); et proinde non teneri ad confitendum; nisi prudenter dubitet, non dixisse: quia est fere impossibile, quod quis post lapsum temporis recordetur omnium peccatorum, quæ accusavit. Imo quoad scrupulosos timoratæ conscientiæ addunt, istos non teneri ad illud mortale peccatum confitendum, nisi possint jurare, numquam rite esse de illo confessos, et absolutos.

Paragraphus III.

De Satisfactione, et Indulgentiis.

208. Q. Quid est Satisfactio sacramentalis?

℟. Est illa pœnitentia, quam Confessarius pœnitenti injungit in punitionem peccatorum præteritorum, ut docet Tridentinum (Sess. 14. Cap. 8.); in præservationem novorum relapsuum; et pro remissione saltem partiali pœnarum temporalium; quæ vel in hac vita, vel in purgatorio luendæ sunt. Quamvis enim sacramentali absolutione remittatur culpa, et pœna æterna; non semper tamen tota pœna temporalis remittitur, ut ex Tridentino (ibid. Can. 12. et 13.) docemur: et hæc saltem in parte Christi meritis per satisfactionem

sacramentalem remittitur. Et quamvis executio hujus satisfactionis sit pars integralis, sine qua valida potuit esse absolutio: voluntas autem eam adimplendi est de essentia, et est quasi materia, ut dictum est (n. 171.), et tertia pars Sacramenti; ita ut, si quis pœnitentiam acceptasset absque animo eam implendi; nulla, imo sacrilega esset absolutio.

209. Q. Quidnam pro satisfactione imponendum est a Confessario?

℟. Omnia opera satisfactoria tam pro punitione peccatorum præteritorum, quam pro præservatione novorum relapsuum; juxta Tridentinum (Sess. 6. Cap. 14.), et S. Thomam (Supplem. q. 15. a. 3.), ad tria reducuntur; ad Eleemosynam, ad Jejunium, et ad Orationem. Ad *Eleemosynam* reducitur non solum quidquid de propriis substantiis datur pauperibus; sed omne id, quod continetur in operibus Misericordiæ tam spiritualibus, quam corporalibus.

210. Q. Quid comprehenditur sub nomine *Jejunii, et Orationis?*

℟. Sub nomine *Jejunii* comprehenduntur omnia, quibus corpus maceratur, et affligitur: ut sunt jejunia ipsa; mortificatio gulæ; abstinentia a cibis, et potibus exquisitis; a ferculo, quod magis placet; fugiendo præsertim intemperantiam in cibo, et potu; puniendo propriam carnem ciliciis, disciplinis, aliisque pœnitentiæ instrumentis; abstinendo a genialibus conversationibus, ludis, amoribus, curiositatibus in videndo, loquendo, audiendo, et similibus: et insuper, ut docet Tridentinum (ibid. Cap. 9.), patienter tolerando miserias, infirmitates, tempestatum intemperies, persecutiones, calumnias, et alia temporalia flagella, quæ a Deo

nobis infliguntur. Sub nomine autem *Orationis* veniunt preces; auditio Missæ; piæ meditationes, præsertim novissimorum, et multo magis super Christi passionem; auditio concionum; lectio librorum spiritualium; actus Fidei, Spei, Charitatis, ac Contritionis; frequentia Confessionis, et Communionis, acquisitio Indulgentiarium etc.

211. Q. Quam regulam tenere debent Confessarii in Satisfactione injungenda?

℟. Ex Tridentino (ibid. Cap. 8.) *debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere.* Ex quibus verbis deducitur, quod quamvis satisfactiones, seu pœnitentiæ debeant esse proportionatæ multitudini, et gravitati peccatorum; debet tamen haberi etiam ratio, ut subjungit Rituale Romanum (Ordo ministr. Sacram. Pœnit.) *status, conditionis, sexus, ætatis, et dispositionis pœnitentium.* Et quamvis *pro gravissimis delictis*, ex eodem Tridentino *levissima opera non sint injungenda*, ne Confessores *alienorum peccatorum participes efficiantur*: attamen non debet esse adeo gravis, ut pœnitentes ab ejus gravitate deterriti, a Confessione abhorreant; in peccatis tabescant; pœnitentiam non impleant; et sic æternam incurrant damnationem.

212. Q. Quid de hoc sentiunt Doctores?

℟. S. Thomas (Quodlib. 3. q. 13. a. 28.) dicit: *Videtur satis conveniens, quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere satisfactionis . . . . Unde melius est, quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda; et injungat aliquid, quod pœnitens tolerabiliter ferat.* S. Antoninus (3. p.

tit. 16. c. 21.) ait : *Debet Confessarius dare talem pœnitentiam, quam credat verosimiliter, pœnitentem implere; ne ipsam violando, deterius ei contingat.* Gerson (Reg. mor. p. 2. Cap. de Pœnit.) inquit : *Tutius est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, et verosimiliter impletur, ducere confessos ad Purgatorium; quam cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Et idcirco S. Carolus (ap. B. Ligorio n. 510.) monet Confessarios, ut pœnitentem interrogent, *an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere; aliquin eam mutabit, aut minuet.*

213. Q. Circa Satisfactionem a Confessario injungendam est ne aliud notandum ?

℟. Notandum. 1.° Quod hæc pœnitentiæ diminutio juxta Beatum (n. 509.), et alios tunc fieri potest, cum Confessarius magnam contritionem in pœnitente dignoscit; cum ob fragilitatem animi, vel corporis timeat, majorem non impleturum; cum Confessarius id faciat ob alliciendum pœnitentem ad majorem hujus Sacramenti frequentiam, ut sentit Vasquez cum aliis (ap. Croix Lib. 6. par. 2. n. 1259.); et cum pœnitens plenariam Indulgentiam vult consequi. Sed quamvis hæc pœnitentiæ diminutio possit fieri quoad pœnitentias vindicativas; pœnitentiæ autem medicinales, seu præservativæ a peccatis non sunt minuendæ; ut sentit Suarez; et alii ap. Croix (ib. n. 1258.). Notandum 2.° quod quamvis pro publico peccato, servatis consilii, ac prudentiæ legibus, et præsertim Episcopi consensu, publica imponenda sit pœnitentia, ut ex Tridentino (Sess. 24. Cap. 8. de Ref.); *pro peccatis* vero *occultis quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non impo-*

nat Confessarius, ut monet Rituale Rom. (ibid.).

214. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 3.° quod, quamvis juxta aliquos possint imponi pro pœnitentia opera aliunde debita; ut Missa die festo, jejunium tempore Quadragesimæ etc.: hæc autem, cum etiam a non confessis sint præstanda; patet, illa sola non posse pro pœnitentia injungi; nam juxta Trident. Sess. 14. Cap. 8. pœnitentia debet esse ad *præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem etiam.* Notandum 4.° quod, quamvis aliqui negent, posse applicari satisfactionem pro defunctis: attamen Catechismus Rom. (P. 2. Cap. 5. n. 79.) hujusmodi pœnitentias commendat. Et revera, si eleemosyna pro vivis potest imponi; quare non etiam pro defunctis, qui pro pœnitente orabunt? Notandum 5.° juxta Suarez, et alios ap. B. Ligorio n. 524., quod, si Confessarius credat expedire; præter pœnitentiam certam, aliam injungere potest sub conditione faciendam, ex. gr. si denuo in aliquod peccatum pœnitens labatur. Sed cautus sit Confessarius in hac conditionata pœnitentia injungenda: toties enim evenit, quod negligitur cum tanto damno pœnitentis. Idcirco satius erit illam consulere.

215. Q. Est ne aliud præterea addendum?

℟. Addendum 6.° quod, quamvis Confessarius possit pro pœnitentia injungere frequentiam Sacramentorum, ex. gr. semel in mense; melius tamen hujusmodi pœnitentia consulitur: si enim negligatur, ut plerumque accidit; pœnitens saltem graviter non peccabit. Addendum denique, quod, quamvis pœninentia gravis, quæ pro culpis gravibus imponitur, imponenda sit sub gravi obligatione; attamen Confessarius postquam gra-

vem pœnitentiam sub gravi adimplendam imposuerit; aliam graviorem sub levi faciendam potest pariter injungere, ut, si pœnitens illam implebit, sacramentaliter satisfaciat: si vero negliget, non gravetur culpa gravi. Imo in casu gravis ægritudinis totam pœnitentiam sub levi potest imponere; ut sentit B. Ligorio cum Suarez, Segneri, et aliis (n. 518.).

216. Q. Pœnitentia est ne acceptanda; et implenda?

℟. Si pœnitentia sit rationabilis; et pœnitens absolutionem velit accipere; debet illam acceptare, et implere; etiamsi paratus sit ad Indulgentiam plenariam consequendam. Ita Benedictus XIV. (Const. *Inter præteritas* 3. Dec. 1749. n. 65.) declaravit. Sicut enim Confessarius justam tenetur injungere pœnitentiam; sic pœnitens tenetur illam acceptare; et implere. Dictum est: *si pœnitentia sit rationabilis*, idest, *pro qualitate criminum*, *et pœnitentium facultate*, ut supra n. 211. ex Tridentino: quia, si reapse foret nimis gravis, et onerosa respectu ad imbecillitatem pœnitentis; et Confessarius nollet eam moderari; posset saltem sine gravi culpa absque absolutione pœnitens discedere, aliumque discretiorem Confessarium adire. Ita Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Beatus Ligorio (n. 516.). At si ex mera negligentia justam nollet acceptare pœnitentiam, non videtur juxta Beatum a gravi peccato excusari.

217. Q. Quomodo peccat qui pœnitentiam non adimplet?

℟. Si pœnitentia imposita sit pro peccatis gravibus; pœnitens illam vel in totum, vel in parte notabili culpabiliter omittens, regulariter lo-

quendo, graviter peccabit. Communis. Et idem sentiendum de illis circumstantiis pœnitentiæ, quæ graviter affligunt, ut preces recitare, sed vel *brachiis extensis*, vel *manibus sub genibus*; jejunare, sed *in pane, et aqua* etc. Dictum est: *regulariter loquendo*: quia, si illa pœnitentia data sit sub levi, vel graviter infirmis, ut supra n. 215. leviter, vel nulliter peccabitur. Si autem pœnitentia imposita sit pro solis venialibus, vel pro solis mortalibus rite jam confessis, et absolutis; hujus pœnitentiæ omissio communiter censetur levis. Aliqui tamen Doctores credunt, hanc omissionem pariter esse gravem, præsertim si pœnitentia pro hujusmodi peccatis imposita sit gravis. Vide B. Ligorio n. 517.

218. Q. Quando pœnitentia est implenda?

℟. Si Confessarius præfigat tempus, et terminum; intra illud tempus, et terminum debet impleri. Communis: nam circumstantia temporis in præcepto includitur. Dilatio autem hujus termini facile excusare potest a mortali; quia Confessarii præceptum plerumque cadit magis in rem ipsam præstandam, quam in tempus præfixum. Hinc Doctores a mortali excusant eum, qui jussus a Confessario jejunare hac Feria sexta ex. gr., jejunat die, vel Feria sexta sequenti. Item si jussus communicare semel in mense, aliquo mense differt ad sex, vel octo dies post mensem finitum; præsertim, si occurrat aliqua Indulgentia, vel solemnitas, aut alia causa. Sic contra aliquos sentit Palaus, et alii ap. B. Ligorio n. 521.

219. Q. Quid dicendum, si Confessarius tempus non determinet?

℟. Tunc pœnitens quamprimum commode potest; injunctam satisfactionem, seu pœnitentiam debet

implere: integritas enim Sacramenti, et rationabilis intentio Confessarii executionem celerem exigunt. Hinc quamvis dilatio paucorum dierum sit leve, et forsan nullum peccatum; si tamen ex gravi negligentia diu quis differat pœnitentiam, ex. gr. ultra mensem, ut contra aliquos nimis rigidos, aut nimis laxos Doctores sentit Beatus (n. 521.) cum aliis quos citat; graviter peccaret. Imo, si pœnitentia sit medicinalis, data ad præcavendum peccatum; etiam dilatio minoris temporis potest esse mortalis. Quacumque autem ex causa pœnitentia non sit adimpleta; quam primum commode possit, est persolvenda. Idem Beatus cum aliis n. 525.

220. Q. Circa impletionem pœnitentiæ est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 1. quod, quamvis qui in peccato mortali pœnitentiam adimplet, præcepto Confessarii satisfaciat; peccat tamen venialiter, ut docet Suarez, et alii (ap. B. Ligorio n. 523.); quia Sacramenti effectui partiali obicem ponit; et idcirco etiam ob hanc rationem pœnitentia cito est implenda. Notandum 2. quod, cum pœnitentia sit pars integralis Sacramenti; per se, et non per alium est perficienda. Et contrarium dicentes proscripti fuerunt ab Alexandro VII. (Prop. 15.). Eleemosyna autem, sive fiat per se, sive per alium; idem est: semper enim pœnitens re sua privatur, et pauperes sublevantur; id, quod a Confessario intenditur. Notandum 3. quod, quamvis si quis non sit absolutus, aut sit invalide confessus; in rigore pœnitentiam implere non teneatur, quia Sacramentum non recepit; et satis sit, ut illam impleat, quæ in nova confessione injungitur: expedit tamen, ut fiat, præsertim, si ad eumdem Confessarium redeat.

221. Q. Est ne aliud insuper notandum?

℟. Notandum 4. quod qui recitat Rosarium, aut alias preces pro pœnitentia injunctas, dum audit Missam die festo, utrique obligationi satisfacit; dummodo aliter non constet de mente Confessarii: quia hujusmodi preces non impediunt attentionem ad Missam. Communis. Qui autem pro pœnitentia debet Missam audire, aut jejunare, non satisfacit unicam Missam dei festo audiendo, aut in vigilia jejunando: quia unica Missa, et uno jejunio duplici adimpleret præcepto, quod repugnat. Notandum 5. quod quamvis aliqui velint, pœnitentiam impleri ab eo, qui opus sibi injunctum ponit, nihil cogitans de pœnitentia; sicut satisfacit præcepto Missæ qui nihil cogitans de Festo, illam devote audit; probabilius tamen id negat Croix cum aliis, quos citat Lib. 6. Par. 2. n. 1286.: quia cum satisfactio sit pars integralis Sacramenti, ut toties dictum est; nequit esse pars Sacramenti, nisi saltem virtualiter ad Sacramentum ipsum referatur, ut a Confessario imposita.

222. Q. Est ne aliud præterea addendum?

℟. Addendum 6. quod, si eveniat, ut pœnitens pœnitentiæ injunctæ obliviscatur; sive culpabiliter id eveniat, sive inculpabiliter; S. Antoninus cum aliis apud B. Ligorio (n. 250.) recte sentit, hunc saltem præcipua peccata teneri repetere in alia Confessione, ut pœnitentiam accipiat, et adimpleat: dummodo idem Confessarius, ad quem pœnitens redit, non recordetur saltem in confuso factæ Confessionis. Ratio: quia pœnitens curare debet, quantum commode potest, ut Sacramentum fiat integrum; et qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Alii autem (ap. Beatum ib.) communiter negant: quia cum peccata sint jam

directe remissa, non videtur extare obligationem denuo ea confitendi, ut Sacramentum integretur. Addendum denique, quod quamvis pœnitens nec in opus melius possit sibi pœnitentiam commutare; Confessarius vero ex rationabili causa potest, nisi pœnitentia illa ob casus reservatos sit a Superiore imposita. Sed, si Confessarius saltem in confuso Confessionis factæ non recordetur, aut diversus adeatur Confessarius; saltem præcipua peccata deberet pœnitens repetere, ut in pœnitentiæ commutatione æqualitas, per quantum potest, servetur. Sic multi Doctores contra alios (ap. Beatum n. 529.).

223. Q. Quid, et quotuplex est Indulgentia?

℟. Cum inter opera satisfactoria adnumerentur etiam Indulgentiæ, ut n. 210. innuimus; operæ pretium est, ut in hoc Paragrapho de Satisfactione, agamus etiam de Indulgentiis. *Indulgentia ergo est remissio pœnæ temporalis, quæ in hoc, vel in altero mundo luenda est pro peccatis quoad culpam jam remissis, per applicationem, et satisfactionem meritorum Christi, et Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ existunt.* Dictum est *pœnæ temporalis*: quia quoad culpam; non solum culpa gravis, sed nec levis per Indulgentias remittitur. Et proinde qui cum venialibus non remissis ex hac vita discedit; debet ea luere in Purgatorio, quin ei prosit quæcumque Indulgentia. Dividitur autem in plenariam, et partialem. Indulgentia *plenaria*, seu *plenior*, *plenissima* est illa, per quam tota pœna, ut supra remittitur. Indulgentia *partialis* est illa, per quam pars tantum pœnæ remittitur; ex. gr. septem annorum; unius anni; centum, vel quadraginta dierum etc.

224. Q. Quid indicant verba illa: *Septem Anni, centum dies* etc.

℟. Non indicant, quod per illam Indulgentiam totidem anni, vel dies in Purgatorio diminuantur; sed intelligitur, quod tanta pœna, vel in hoc mundo, vel in Purgatorio diminuatur, quantam remitteret pœnitentia septem annorum, quadraginta dierum etc. quæ per Canones pœnitentiales ab Ecclesia fuit olim sancita. Communis. Qui autem sint Canones pœnitentiales, vide infra Lib. V. Append. II. a n. 127., ubi principaliores referimus. Et hæc cognitio proderit, ut sciatur, 1.° quænam pœna cum partialibus Indulgentiis remittatur; 2.°, quænam pœnæ austeræ injungebantur olim in Ecclesia Catholica; ut pœnitentes de his a Confessario certiorati, facilius inducantur ad congruentem pœnitentiam acceptandam; et eo magis a peccatis absterreantur.

225. Q. Quid requiritur ad lucrandas Indulgentias?

℟. Requiritur 1.°, ut omnia opera injuncta impleantur, ex. gr. Confessio, Communio, visitatio Ecclesiæ; oratio, jejunium, Eleemosyna, et alia, quæ in concessione Indulgentiæ præscribuntur, etiam quoad locum, tempus, finem præscriptum, et intentionem concedentis Indulgentiam. Hinc qui aliquod opus injunctum, vel partem ejus notabilem omittit; aut non implet in loco, tempore, et fine præscripto, et juxta intentionem concedentis; quamvis ex ignorantia, aut oblivione invincibili, aut impotentia id eveniat; Indulgentiam non acquirit. Et hic nota, quod finis intentus a Summis Pontificibus in concedendis Indulgentiis, plerumque est, ut oretur pro S. Ecclesiæ exaltatione, Hæresum extirpatione; et Catholicorum Principum concordia: Requiritur 2.°, ut opera impleantur cum intentione saltem habituali consequendi Indulgentias.

226. Q. Quid aliud requiritur?

℞. Requiritur 3.° status gratiæ saltem per contritionem perfectam recuperatus. Cum enim Indulgentia sit remissio pœnæ; ut dictum est n. 223. hæc non remittitur, nisi prius culpa remittatur. Si autem in concessione Indulgentiæ requiratur Confessio; hæc est necessaria etiam iis, qui lethalis culpæ sibi conscii non sunt, ut habetur ex Decreto S. C. Indulgentiarum die 31. Martii 1759. approbante Clemente XIII. 19. Maii ejusdem anni. Hic autem nota, quod quamvis optabile sit, ut omnia opera injuncta in statu gratiæ fiant, aut saltem animo pœnitenti, et contrito; sufficit tamen ut ultimum ex operibus injunctis in statu gratiæ fiat, ut declaravit Benedictus XIV. Const. *Inter præteritos* 3. Dec. 1749. n. 76. 4.° Cum thesaurus Indulgentiarum a Christo concessus sit non ad tollenda opera satisfactoria, cum ea præcipiat; sed ad supplendam hominum impotentiam, ac infirmitatem; requiritur insuper, ut Christi fideles *simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere, ac pro suis peccatis Domino satisfacere*; ut idem Summus Pontifex referens prædicta verba Bellarmini docet in Const. *Apostolica* 26. Junii 1749. n. 28.

227. Q. Requiritur ne aliud?

℞. Quoad Indulgentiam plenariam, præter supradicta, requiritur 5.°, quod homo immunis sit non solum a culpa lethali, et ab ejus affectu, sed immunis etiam a quocumque veniali, et ab affectu illius. Communis. Quoad Indulgentias adnexas Coronis S. Birgittæ, vel illis Coronis, Crucibus, Crucifixis, Numismatibus, quæ vel habeant Pontificiam benedictionem, vel tetigerint sacra loca Jerusalem, requiritur 6.° ut prædicta sa-

cra objecta secum deferantur, aut si in loco decenti propriæ habitationis asserventur, coram ipsis, vel cum ipsis in manu præscriptæ preces recitentur; ut constat ex Summariis ipsarum Indulgentiarum variis in occasionibus Romæ editis. Et insuper, ut habetur in Decreto Alexandri VII. 6. Februarii 1657. in ipsis Summariis relato; non possunt ipsa commodari, ut ab aliis Indulgentiæ consequantur: aliter Indulgentias perderent. Nec ipsas Indulgentias alii consequi possunt, nisi ii, quibus data sunt, aut ille, cui ab his sint primo data.

228. Q. Quid præterea requiritur circa Indulgentias pro defunctis?

℟. Circa Indulgentias, quæ applicari possunt pro fidelibus defunctis, qui Deo charitate conjuncti ex hac vita migrarunt; requiritur, ut ii, qui pro defunctis volunt Indulgentias acquirere; omnia opera injuncta, ut supra, rite perficiant cum intentione lucrandi Indulgentiam pro defunctis, vel generatim sumptis; vel pro aliquo particulari juxta cujusque obligationem, et devotionem. Sed hic nota, quod non omnes Indulgentiæ possunt pro defunctis applicari, sed illæ tantum, quæ in Pontificia concessione exprimitur, posse applicari pro defunctis, cum hac distinctione; quod, si in concessione exprimitur *pro vivis*, *aut defunctis*; tunc liberum est Indulgentiam illam, vel sibi applicare, vel pro defunctis. Si autem concessa sit pro defunctis tantum; tunc extendi nequit ad vivos. Communis.

229. Q. Circa Indulgentias est ne aliud præterea notandum?

℟. Ex duplici Decreto S. C. Indulgentiarum 31. Martii 1759. et 9. Dec. 1763. approbato a Clemente XIII. constat, quod si aliqua Indulgentia

affixa sit alicui diei festo, Confessio præscripta potest fieri etiam in vigilia hujus Festi. Et insuper ii, qui saltem semel in hebdomada confiteri consueverunt, possunt consequi omnes Indulgentias infra hebdomadam occurrentes, etiam absque nova Confessione; dummodo alicujus lethalis sibi conscii non sint: etiamsi in casu impedimenti in aliqua hebdomada non possit quis commode confiteri. Hæc autem hebdomadalis Confessio non sufficit pro acquirenda Indulgentia Jubilæi, quæ fieri debet tempore præscripto. Et quamvis hæc decreta nihil dicant de Communione facienda, P. Franciscus a Goritia (Tab. 171.) asserit, eumdem Pontificem concessisse, ut Communio possit fieri etiam extra illam Ecclesiam, cui Indulgentia est concessa (ex Bull.Capuc. fol. 219.).

230. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 2.° quod, si Festum, cui adnexa est Indulgentia, transferatur unice quoad Officium; Indulgentia tali Festo concessa non transfertur, sed remanet eadem die; dummodo non adsit speciale privilegium S. R. C. 16. Sept. 1741. ad 2. Si autem cum Festo transferatur etiam obligatio servandi Festum, ut accidit in Patronis Principalibus, qui in hoc Regno ex const. *Paternæ* Pii VII. 10. April. 1818. transferuntur in proximum diem Dominicum, et sic in aliis; transfertur etiam Indulgentia S. C. Indulgent. 2 Julii 1614.

231. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Addendum, quod unica Confessione, et Communione possunt acquiri plures Indulgentiæ eadem die occurrentes, vel in diversis Ecclesiis, vel quia quis pluribus Confraternitatibus etc. est ascriptus; vel quia habet Coronas vel S. Birgittæ, vel ex sacris locis Jerusalem; vel Pontificiam Benedic-

tionem habentes, et similes. Ita Layman, et alii, apud Croix n. 1371. Addendum 2.° quod qui et vivus, et post mortem majorem fructum ex Indulgentiis percipere cupit; dignos pœnitentiæ fructus nunc faciat; et solicitus sit in suffragandis animabus purgatorii eleemosynis, aliisque piis operibus, ac Indulgentiis. Ut enim inquit æterna veritas (Luc. 6. 38.): Qua mensura metiemur, remetietur et nobis. Denique dum præscribitur, ut visitentur aliquot Altaria, ut pro habentibus Bullam Cruciatæ in hoc Regno; sufficit, ut quis orando, etiam ex eodem loco ad illa Altaria se convertat, ut notat Suarez cum aliis ap. B. Ligorio n. 534. §. 17.

Caput II.

De Forma, et Effectibus Pœnitentiæ.

232. Q. Quænam est Forma Pœnitentiæ?

℟. Sunt verba absolutionis, quæ in admnistratione hujus Sacramenti Sacerdos profert. Quæ autem sint verba ad formam essentialia, et quæ ab Ecclesia adjecta, vide supra Lib. III. n. 162. Quidam Theologi quondam senserunt, Confessionem fieri posse Sacerdoti absenti, et absolutionem dari pœnitenti absenti. Sed hujusmodi Theologi damnati fuerunt a Clemente VIII. (Decr. 20. Jun. 1602. et 31. Julii 1603.). Et proinde nunc certum est, quod sicut Confessio nulla est, si fiat Sacerdoti absenti; sic certum est invalidam esse absolutionem, quæ datur pœnitenti absenti, qui moraliter non sit præsens.

233. Q. Quando pœnitens censetur *moraliter præsens?*

℟. Non solum, quando pœnitens stat ad pedes Confessarii, aut in Confessionali; sed etiam, quando in ea distantia versetur, intra quam homo possit audiri, saltem vocem extollendo. Hinc, si Sacerdos distractus, oblitus fuerit dare absolutionem; vel si pœnitens a Confessionali recederet, dum Sacerdos absolutionis Formam profert; in his casibus, si pœnitens commode revocari non possit; et in aspectu sit Confessarii; potest absolvi, ut censet Sporer, et alii relati a B. Ligorio (Lib. 6. n. 429.). Imo in occasione incendii, naufragii, præcipitis lapsus, etiam in majori distantia, si in Sacerdotis aspectu infelices illi versentur; si alio modo succurri nequeant; videntur, posse sub conditione absolvi. Vide supra n. 194.

234. Q. Hæc conditionata absolutio potest ne dari?

℟. Quod absolutio data sub conditione de præsenti, vel de præterito, post verificatam conditionem sit valida; diximus jam supra (n. 16.), agendo de Sacramentis in genere. Quod etiam sit licita, quando justa, et rationabilis adsit causa; diximus ibidem (n. 22.). Videbimus nunc, quando causa sit justa, et rationabilis. Tunc ergo erit talis, 1. quando aliqua ex causis numero præcedenti relatis interveniat. Et hæc conditionalis absolutio in una ex iis circumstantiis dicitur data esse a Clemente VIII., qui videns fabrum præcipitem ruere ex superioribus Vaticani ædificiis, narratur eum absolvisse, dicendo: *Si capax es, ego te absolvo* etc. Sic refert Morinus, (de Sacram. Pœnit. Lib. I. Cap. 10.), et alii fide digni auctores ap. Cunil. de Sacr. Pœnit. Append. 3. Cap. 2. n. 8.); etiamsi alii negent.

235. Q. Qui sunt alii casus, in quibus licita est conditionata absolutio?

℟. Alius casus potest esse de moribundo, qui clara non dat signa contritionis; vel quia sensibus destitutus, nulla potest dare. Hic potest absolvi sub conditione: *Si Capax es*, ut supra (n. 196.) diximus cum S. Augustino, et communiori. Sicut sub conditione: *Si es vivus*, posset absolvi ille moribundus, qui Confessarium postulavit, at Sacerdote occurrente, dubium est, an adhuc vivat. Alia causa posset esse, si Confessarius sit dubius, an puer perfectæ sit rationis; an phreneticus, vel semifatuus sufficienti usu rationis polleat ad peccandum; vel si dubitetur de eorum dispositione; præsertim si non adsit spes, quod, dilata absolutione, brevi certo dispositi redeant; vel si urgeat præceptum Paschale, et multo magis periculum mortis, ut recte monet B Ligorio n. 432. Omnes autem supradicti conditionaliter absoluti, si supervivant, et perfectum rationis usum adipiscantur; debent sua peccata rite confiteri, et denuo absolvi.

236. Q. Quot sunt Effectus Pœnitentiæ?

℟. Effectus Sacramenti Pœnitentiæ, seu validæ absolutionis, quatuor præcipue numerantur. Primus est *Gratia santificans*, ut supra (n. 3. et 4.) explicatum est; per quam pœnitenti recte disposito remittuntur omnia peccata, quæcumque sit eorum gravitas, et numerus; et peccator cum Deo reconciliatur, ut docet Tridentinum (Sess. 14. Cap 3.); et ex Dei inimico amicus evadit. Secundus effectus est condonatio pœnæ æternæ, et imminutio pœnæ temporalis solvendæ in hac vita, vel in Purgatorio, pro majori, vel minori pœnitentis dispositione: nam per vehementem Contritionem etiam tota pœna temporalis posset remitti, ut constat ex Tridentino (ibid. Can. 12.);

ubi anathematizantur qui dicunt, semper totam pœnam remitti; et proinde si non *semper*, saltem aliquando *totam* remitti.

237. Q. Quinam est tertius, et quartus Effectus?

℟. Effectus tertius est reviviscentia bonorum operum, ac meritorum, quæ licet in statu gratiæ fuerint facta, per subsequens peccatum mortale fuerunt tamen deperdita. Dictum est *in statu gratiæ facta:* quia quoad bona opera facta in mortali; cum sint mortua, nunquam reviviscunt ad obtinendam vitam æternam; etiamsi prodesse possint ad obtinendam divinam misecicordiam, pœnitentiæ gratiam, et peccatorum veniam, ut sentit S. Thomas (2. 2. q. 15. a. 6. ad 3.). Quartus effectus tandem est *Gratia sacramentalis*, per quam peccator justificatus recipit tempore opportuno auxilia a Deo, per quæ peccata evitabit, et in bono proficiet, ac perseverabit, ut num. 3. innuimus.

Caput. III.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

238. Q. Quis est Minister hujus Sacramenti?

℟. Quod Minister Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessarius sit solus Sacerdos rite ordinatus, qui habeat ordinariam, vel delegatam jurisdictionem; quæ requirantur, ut Confessarius valide, et licite hoc Sacramentum ministret; quam necessaria ei sit recta intentio, bonitas vitæ, oratio, ac scientia; et undenam hæc scientia sit haurienda; insuper quæ sint ejus obligationes, ut Patris, Medici, Doctoris, ac Judicis; quanta cautela in custodia affectuum, sensuum, in interrogationibus,

et correctionibus faciendis; in obligationibus pœnitenti injungendis, in conversando, et loquendo cum pœnitente; quanta cura in servando sigillo sacramentali, in loquendo de auditis in confessione; quomodo sigillum violetur; quæque pœnæ in sigilli violatores; et quid de Monialium Confessario, diximus jam in Libro III. a num. 151. ad 203. et ibi dicta omnino recolantur.

239. Q. Quid superest dicendum de Ministro?

℟. Videbimus in hoc Capite, quando Confessarius debeat concedere, differre, vel negare absolutionem; quid ei agendum cum pœnitente habente reservata; quid cum pœnitente ad aliquam denuntiationem obligato; quomodo corrigere errores in audiendis Confessionibus commissos; quando consulere, aut præcipere debeat pœnitenti Confessionum repetitionem, et alia magis necessaria. Ut igitur debitus ordo in hujusmodi materia tractanda servetur, in sequentes Paragraphos hoc Caput dividemus.

Paragraphus I.

De Absolutione concedenda, vel neganda.

240. Q. Quando Confessarius potest, et debet dare Absolutionem?

℟. Cum in Sacramentis materia est physica; physica pariter esse debet ejus certitudo. At in Sacramento Pœnitentiæ cum materia sit moralis, prout sunt actus pœnitentis (n. 171.); patet, quod non certitudo physica de materia, seu de actibus pœnitentis requiratur, sed sufficiat certitudo moralis. Hinc quando Confessarius moraliter sit certus, idest, ut monet Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 6. n.

459., et n. 461.), prudenter, ac probabiliter judicet, pœnitentem esse dispositum; et ex alia parte non obstet prudens suspicio de ejus indispositione; potest eum absolvere. Hoc docet etiam Catechismus Romanus (Sacr. Pœnit. n. 60.) dicens: Confessor, *si audita confessione, judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.*

241. Q. Hunc pœnitentem tenetur ne Confessarius statim absolvere?

℟. Nisi adsit justa causa Absolutionem differendi; debet statim absolvere. Ita enim exigit pactum implicitum inter Confessarium, et pœnitentem; et ut Judex, audita causa, seu confessione, debet judicare, et Sacramentum complere Absolutione; et eo magis ad hoc tenetur Confessarius, ut suum pœnitentem quantocius liberet a servitute diaboli, et in Dei gratiam restituat. Dictum est: *nisi adsit justa causa.* etc. Quia, si Confessarius, utpote Medicus illius pœnitentis, judicet, Absolutionis dilationem utilem illi esse, et ad incutiendum majorem horrorem admissorum criminum præsertim graviorum, et adeo magis removendum illum a peccatis; poterit ad aliquem diem Absolutionem differre, ut Salmaticenses, et alii ap. Beatum (n. 462.). Si autem dilatio sit magis obfutura; quam pro futura; non differatur, præsertim, si notam aliquam infamiæ pœnitens foret passurus (n. 463.).

242. Q. Quando Confessarius negare debet Absolutionem?

℟. Rituale Romanum (Ordo Ministr.) dicit, incapaces esse Absolutionis, et proinde hanc esse negandam eis, *qui nulla dant signa doloris; qui*

odia, et inimicitias deponere; aut aliena, si possunt, restituere; aut proximam peccandi occasionem deserere; aut alio modo peccata derelinlinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant. Et his neganda est Absolutio, etiamsi versentur in periculo mortis, ut patet. Confessarius autem, ut Pater pœnitentis, ex rigorosa obligatione charitatis juxta monitum B. Ligorio (n. 608.) tenetur eum disponere quantum valet, exponendo ipsi periculum damnationis, offensam Dei summi boni, et alia motiva adducendo, quæ magis illi pœnitenti expedire prævideat: ut infelix ille Dei gratia adjutus, ad pœnitentiam excitetur, et ad confessionem dispositus redeat; et, si in mortis periculo versatur, possit tunc absolvi.

243. Q. Sunt ne alii, quibus neganda sit Absolutio.

℟. Neganda pariter iis, qui debita solvere, vel honorem, aut famam læsam, cum possint, resarcire renuunt; iis, qui non curant tollere habitum peccandi, et remedia necessaria adhibere; iis, qui congruam pœnitentiam, ut explicatum est n. 211. etc. acceptare recusant; iis, qui Mysteria Fidei principalia ignorant, nisi, prius didicerint (ex Prop. 64. damnata ab Innocentio XI.); iis, qui alias a Confessario moniti, neglexerint addiscere ea, quæ necessitate præcepti sunt scienda, ut *Pater*, *Ave*, *Credo*, Præcepta Decalogi, et Ecclesiæ; Sacramenta, quæ sumpserint, aut sunt sumpturi; Actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis: et alia, quæ ad proprium statum pertinent. Et generaliter neganda est Absolutio iis, qui signa non dant doloris, et propositi. Meminerit

autem Confessarius eos excitare, ut dictum est numero præcedenti.

244. Q. Sunt ne alii Absolutionis incapaces?

℟. Maxime. Sunt illi, qui occasionem graviter peccandi aliis præbent: ut sunt lenones, qui commodum dant fornicandi, furandi etc. Caupones, qui jam ebriis vinum subministrant, cum sint causa eorum ebrietatum, blasphemiarum etc.; ii, qui componunt, dant, vel vendunt libros contra Fidem, vel bonos mores; item qui sculpunt, pingunt, vendunt, vel retinent sculpturas, vel picturas impudicas; mulieres, quæ ornatu inverecundo, et inhonesto, ac quibusdam nuditatibus scandalosis ad libidinem provocant aspicientes. Hi omnes, et quicumque alii occasionem graviter peccandi proximo præbent; Absolutionis sunt incapaces, si, non obstante Confessarii instructione, monitione, ac adhortatione; ab his scandalis desistere recusent.

245. Q. Quid dicendum de pœnitente, qui Confessarii opinioni se conformare nolit?

℟. In Tribunali Pœnitentiæ Confessarius est Doctor, ac Judex; et proinde non Confessarius pœnitentis sententiæ, sed pœnitens Confessarii sententiæ, ac decisioni stare debet. Hinc, si pœnitens renuat; generaliter loquendo, velut indispositus, absolvi nequit. Ita enim postulat Ordo judiciarius. Dictum est *generaliter loquendo:* quia, si pœnitens sit Confessario magis doctus, et in subjecta materia versatus; et coram Deo affirmaret opinionem suam sibi, et aliis cordatis Theologis probabiliorem, ac verisimiliorem videri; tunc Confessarius minus doctus, quasi a pœnitente instructus, posset, imo deberet a propria sententia recedere, opinionemque pœnitentis facere suam; non quate-

hus pœnitentis opinio est; sed quia veritati magis consona; et juxta illam judicium proferre. Sicut toties evenit, ut Confessarius licet una opinione præventus, si contrariam postea in aliquo Auctore legit, et probabiliorem judicet; a sua opinione recedit, contrariamque amplectitur. Vide Antoine de Pœnit. C. 2. a 3. q. 4. cum *Nota*.

346. Q. Sunt ne alii: quos Confessarius nequeat absolvere?

℟. Si quis Confessarius ad tantum malum devenerit, ut grave peccatum contra sextum Decalogi Præceptum cum aliqua persona commiserit, etiamsi fuerit simplicis tactus, aut colloquii inhonesti, ut explicat B. Ligorio (n. 554.); hanc complicem personam ab illo turpi peccato non posset Confessarius absolvere, nec tempore Jubilæi, nec S. Cruciatæ privilegio; et, si absolveret, Absolutio esset nulla; et Confessarius, qui absolvere auderet; in Excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurreret. In solo articulo mortis posset absolvere, sed solum, quando non adsit alius Sacerdos, etsi non Confessor, qui illam personam absque scandalo, et gravi Confessoris infamia posset audire, et absolvere. Sic statuit Benedictus XIV. in Const. *Apostolici* 8. Febr. 1745. Idem autem Summus Pontifex subdit, quod si scandali, et infamiæ periculum revera non adsit; aut si adsit; Confessarius abscondendo se, vel alio modo removere non curet; Absolutio quidem foret valida: ipse autem Excommunicationem non effugeret.

247. Q. Sunt ne alii, quibus vetitum sit Absolutionem impartiri?

℟. Sunt illi, qui tempore statuto, ut dictum est Lib. II. n. 32. et 33. Renuunt denunciare E-

piscopis, vel inquisitoribus personas illas, quæ sunt denunciandæ. Illi, qui præcipue sunt denunciandi, præter blasphemos, et Hæreticos, ut ibidem explicatum est, sunt etiam fautores, et receptores Hæreticorum uti talium, Schismatici, suspecti de Hæresi, quales sunt sortilegi, superstitiosi, si interveniat invocatio, adoratio dœmonis, vel interveniat abusus rerum sacrarum, præsertim Olei, sancti, vel sacræ Hostiæ; sunt illi, qui vivente uxore, aliud contrahunt matrimonium; et alii, quos videre licet apud Auctores, et præsertim ap. B. Ligorio Lib. IV. n. 240. etc. ubi videbis, qui a dicta denunciatione possunt excusari. Et tamquam de hæresi suspecti sunt denunciandi etiam Confessarii sollicitantes. Sic Paulus IV; confirmante Gregor. XV. in Const. *Universi* 30. Augusti 1622.

248. Q. Qui sunt rei sollicitationis, et propterea denunciandi?

℟. Ut declararunt Gregorius XV. in citata Constitutione, et Benedictus XIV. in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* 1. Jun. 1741., sunt rei sollicitationis, et denunciandi Sacerdotes etsi non Confessarii, qui *personas*, *quæcumque illæ sint* (et proinde sive mares, sive fœminas) *ad inhonesta, et turpia sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis Confessionis; sive ante, vel immediate post Confessionem; sive occasione, vel prætextu Confessionis, etiam ipsa Confessione non secuta; vel extra occasionem Confessionis in Confessionario, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, simulantes ibidem confessiones audire; sollecitare, vel provocare tentaverint, sive verbis, sive signis, sive nutibus*,

sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut postea legendam; aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint. Consideret Confessarius prædicta verba, et horum explanationes videat apud Auctores, et signanter ap. B. Ligorio Lib 6. n. 676. et sequentibus.

249. Q. Qui tenetur ad hos denuntiandos?

℟. Ut eruitur ex dictis Constitutionibus, tenetur, et quidem per se ipsam, non solum persona aliqua ex dictis modis sollicitata, et provocata ad turpia, seu venerea; sed quæcumque alia persona, quæ a Confessario aliquod turpe signum, nutum, tactum viderit, aut sollicitantem audierit; vel si a persona sollicitata, aut ab alia fide digna sollicitationem resciverit. Et hæc denunciatio est facienda, sive persona sollicitata consenserit, vel non; sive sollicitatio sit solius Sacerdotis, vel mutua inter Sacerdotem, et pœnitentem; et etiamsi longum tempus post sollicitationem effluxerit. Et qui infra mensem hanc denunciationem omiserit, nisi sit legitime impeditus; et graviter peccat, et in Excommunicationem latæ sententiæ (edict. Inquis. 10. Mar. 1677.) incurrit. Et renuens denunciare, non potest absolvi, ut dictum est n. 247. nec tempore Jubilæi, nec virtute Bullæ S. Cruciatæ.

250. Q. Circa denunciationem est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 1.° quod si aliqua verecunda mulier, ad vitandum scandalum, aut aliquam infamiæ notam, nequeat ad Superiorem personaliter accedere, rogare potest Confessarium, ut facultate accepta ab Episcopo, vel Inquisitore; suam denuntiationem recipiat in scripto, et cum jura-

mento faciendam ; et statim ad Superiorem ferendam ; ut Urbanus VIII. (Decr. Inquis. 27. Sept. 1624.) permisit. Notandum 2., quod quamvis Confessarius sub gravi obligare debeat pœnitentem sollicitatum ad denunciandum ; et non debeat absolvere, nisi prius denunciaverit : nihilominus, si adsit justa causa Absolutionem non differendi, ex. gr. quia sit necessitas communicandi, vel ad evitandam infamiam, vel ad Jubilæum lucrandum etc. ; et non possit tam cito denuntiatio fieri ; et credi possit pœnitenti, quod postea quamprimum sit denunciaturus; potest is absolvi : nam Benedictus XIV. (in cit. Const.), quamvis dicat, non esse absolvendum, *nisi prius denunciaverit* ; subdit statim : *vel saltem cum primum poterit, denunciare promittat.*

251. Q. Est ne aliud addendum ?

℟. Addendum 1. quod si persona sollicitata sit moraliter impotens ad personaliter denunciandum, non solum posset per Confessarium, ut dictum est numero præcedenti, vel per alium ab Ordinario; aut Inquisitore deputatum ; sed etiam posset facere per Epistolam suo nomine, et cognomine firmatam, exprimendo locum sui domicilii, vel moræ ; et exprimendo etiam nomen, et cognomen Confessarii, si illud sciat ; sin autem Ecclesiam, et Confessionale, in quo fuit sollicitata ; et etiam diem, si recordetur. At, si consenserit, nihil de hoc dicat. Addendum 2. quod, persona sollicitata, quæ ob neglectam tempore præfixo denunciationem in Excommunicationem incurrerit ; facta postea denunciatione, potest quidem absolvi, sed tantum a Confessario privilegiato, non autem a simplici. Ita Ferr. V. *Sollicitatio* n. 52. cum aliis Doctoribus, quos refert. In Edicto enim n. 249. citato legitur. *Quelli, i quali non denunziarono . . . non possono es-*

ser da alcuno assoluti, se non dal S. Officio, dopochè avranno in esso giuridicamente rivelato i delinquenti.

252. Q. Quas pœnas incurrunt sollicitantes, et falso denunciantes?

℟. Væ Sacerdotibus illis, qui in vestimentis ovium sunt lupi rapaces; et pro medicina dant venenum; et pro pane scorpionem! Præter duo gravissima peccata sacrilegii, et scandali; ex Decreto S. C. Inquisitionis approbato a Benedicto XIV. 5. Aug. 1745. perpetuam inhabilitatem ad Missæ Sacrificium celebrandum incurreret (sicut incurreret qui Sacrificio ipso ad sortilegia abuteretur), præter alias pœnas a jure inflictas. Notat autem B. Ligorio (n. 705.), quod prædicta inhabilitas juxta duos Theologos S. C. Inquisitionis non incurritur, nisi post sententiam Judicis. Quoad illos autem, qui per se, vel per alium innocentes Confessarios falso denunciarent, peccatum tam enorme extra mortis articulum non posset, nisi a Papa absolvi. Sic statuit Benedictus XIV. in cit. Const. *Sacramentum pœnitentiæ* n. 3.

Paragraphus II.

De Absolutione a Confessario differenda.

253. Q. Quibus differri debet Absolutio?

℟. Cum generaliter loquendo, ut dari possit Absolutio, Sacerdos debeat esse moraliter certus, et prudenter judicare, pœnitentem esse dispositum; ut dictum est n. 240; cumque signa dispositionis, et præsertim doloris, et propositi, quæ dant habituati, consuetudinarii, recidivi, et occasionarii, sint valde dubia, et toties nulla; etiamsi ore proferant, se dolere, et emendationem promittant, ac etiam lacrymentur: sequitur, quod supradicti ge-

neraliter loquendo non possint statim absolvi; sed quod debeat eis Absolutio differri: ut interim se dent meditationibus, precibus, mortificationibus, et aliis remediis a Confessario præscriptis; et sic dispositi redeuntes, possint absolvi. Communis.

254. Q. Qui sunt habituati, et consuetudinarii?

℟. *Habituati* sunt illi, qui ob acquisitam peccandi facilitatem, et ob quamdam proclivitatem, et propensionem ad aliquod peccatum frequenter in illud labuntur, idest quinquies in mensem, si peccatum sit externum, ut notat B. Ligorio (Prax. Confessar. n. 70.). Imo in peccatis gravioribus, ut fornicationis, sodomiæ, bestialitatis etc. multo minor numerus constituit habitum; etiamsi semel tantum in mense per annum quis labatur. Quod si hæc frequentia lapsuum per plures confessiones, menses, et annos perduret; hi peccatores vocantur *consuetudinarii*, seu *habituati inveterati*, qui oh quam difficile emendantur! Sic eruitur ex S. Bernardo (ap. Pratica del Confession. Romæ edita. P. I. pag. 50.): *Ex repetitis actibus fit habitus; ex habitu fit consuetudo; ex consuetudine fit quædam necessitas peccandi.*

255. Q. Qui sunt recidivi?

℟. Veri *recidivi* sunt illi, qui post factam confessionem, pravo habitu, vel consuetudine deposita, vel occasione proxima derelicta; post aliquod tempus ad vomitum revertuntur, idest ad easdem blasphemias, perjuria, imprecationes, lascivias etc.; vel quia nullum, vel modicum conatum adhibuerunt ad resistendum tentationibus; vel quia remedia præscripta pro emendatione neglexerunt, vel quia solitis occasionibus se implicuerunt. Dictum est *verus recidivus*: quia, qui post habitum emendatum, ob aliquam fortem tentationem, cui diu

restitit, vel ob impraevisam occasionem in idem peccatum recidit, et postea statim pœnituit; non potest dici *verus recidivus*: sicut improprie dicitur *recidivus*, qui, post confessionem, ob meram fragilitatem in aliquod peccatum alias confessum aliquando labitur: aliter, quisque pœnitens, si alias in idem peccatum recidit, dicendus foret *recidivus*. Vide *pratica del Confess.* supra Par. 4. pag. 215. et seqq.

256. Q. Qui sunt occasionarii?

℟. *Occasionarii*, de quibus hic loquimur sunt illi, qui, vel conversando cum aliqua persona; vel accedendo, vel remanendo in aliquo loco; vel aliquam professionem, officium, artem etc. exercendo; vel in aliam occasionem proximam voluntarie se exponendo; solent frequenter graviter peccare; vel ob objectum præsens prævidet quis, faciliter peccaturum; præsertim si alias jam cecidit. Quæ autem sit occasio remota, et proxima; et quando hæc sit voluntaria, vel involuntaria; sicut et quid, et quotuplex sit periculum peccandi, vide lib. I. a n. 274. ad 288. ubi exempla reperies. His ergo habituatis, consuetudinariis, recidivis, et occasionariis, cum eorum dispositio sit valde suspecta, ut dictum est n. 253., generaliter loquendo Absolutio non est statim impartienda; sed differenda: quia licet contritio non reddat hominem impeccabilem; efficit tamen, ut saltem ordinariis tentationibus aliquandiu resistat.

257. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. Quia dari possunt casus, in quibus supradicti possint statim absolvi. Ut si quis eorum in periculo mortis versetur. Cum dispositio per Absolutionis dilationem non possit sperari, quia tempus non adest; tunc fortibus motivis ad verum dolo-

rem, et propositum Confessarius eum excitet, media suggerendo ad novos lapsus præcavendos, et ad vitam emendandam, si a morte evaserit; et videns Confessarius eum contritum, et promptum ad exequendum quidquid prudenter ei suggessit; si nihil aliud obstet, absolvat. Communis.

258. Q. Quid dicendum, si pœnitens renuat Confessario obedire?

℟. Si Confessarius noscat eum induratum, indispositum, renitentem ad exequendum sua justa præcepta, causam exquirat ejus renitentiæ; difficultates explanet; ac fortioribus motivis ad contritionem excitet. Et, si adhuc induratus permanet; renuens ex. gr. concubinam, quam tenet, expellere; odium, quod fovet, deponere; quod usurarie acquisivit, ac tenet, restituere; aliasque restitutiones, quas debet, efficere, quamvis posset etc. ne desperet; sed fortiora motiva ei suggerat; metu divinæ justitiæ eum perterrefaciat; oret, et faciat orare pro eo. Et, si adhuc obdurescat, absque sacrilegio non posset Sacerdos ei dare absolutionem, quæ nihil prodesset, imo obesset. Non deserat tamen usque ad mortem, ut, si infelix ille resipiscat, possit absolvi.

259. Q. Quo alio casu potest habituatus etc. statim absolvi?

℟. Posset absolvi, si, vel prima vice tunc suum pravum habitum confitetur; vel, si alias fuit confessus, non fuit a Confessario de suo malo statu serie admonitus, ac correctus; vel quia sic edoctus a malis sodalibus credidit, illam actionem non esse peccaminosam, aut non esse nisi peccatum leve, nec necessario confitendum (quod facile potest accidere rudibus, et pueris præsertim circa tactus lascivos, aliosque imperfectos luxuriæ a-

ctus). Hic pœnitens, si nunc sui peccati gravitatem noscens, doleat, serioque proponat emendationem; posset absolvi. Sic B. Ligorio (n. 459.) cum communissima, A Goritia (Tab. 162.), et alii. Dicerem tamen, quod, si hic pœnitens necessitatem non habeat tunc communicandi, expediret differre per aliquot dies Absolutionem; ut majorem horrorem pro illo peccato concipiat, ac majori conatu emendationem curet.

260. Q. Dantur ne alii casus, in quibus possint prædicti statim absolvi?

℟. Alius casus, in quo habituati, consuetudinarii, et recidivi possunt statim absolvi, est; si aliquod extraordinarium signum contritionis ostendant. Plura autem hujusmodi signa traduntur ab Auctoribus (ap. B. Ligorio n. 460.). 1. Studium adhibitum ad emendationem, fugiendo occasiones; media præscripta a Confessario exeguendo, vel exequi promittendo, nisi alias moniti sint; extraordinarias pœnitentias faciendo etc. 2. Si quis confiteatur non jam ex præcepto Superiorum; vel quia occurrit illa Festivitas; vel præceptum Paschale; sed ad solum finem liberandi se a peccato, et adipiscendi divinam gratiam sponte accedat. 3. Si accedit, ductus extraordinario aliquo motivo, nempe Concionis, vel Missionis auditæ; morte infelici alicujus; timore epidemiæ, terræmotus etc.

261. Q. Sunt ne alia Signa extraordinaria?

℟. 4. Si apud solitum Confessarium peccata ob verecundiam, aut alias culpabiliter omissa confiteatur ob desiderium divinam gratiam consequendi. 5. Si ante confessionem restituit aliena, famam, honorem læsum; si odium deposuerit etc. 6. Si eisdem occasionibus, tentationibus expositus; vel notabiliter peccatorum numerum minuerit; vel per

notabile tempus, puta per 20., aut per 25. dies abstinuerit, etiamsi sæpe assuetus fuerit labi; vel si lapsus fuerit post multam resistentiam; et post lapsum statim pœnituit; et consimilia signa, præsertim, si plura ostendit. Hæc signa dispositionis, inquit idem Beatus, a tot Doctoribus non humilis notæ data; non casu, sed experientia edoctos credendum est tradidisse; et propterea nequaquam errare eum, qui eorum sententiis communiter receptis se dirigit.

262. Q. Quid agendum cum *occasionariis?*

℟. Si occasionarius versetur in occasione proxima voluntaria (n. 256.), quæ sit *præsens*, aut *in esse*, ut inquiunt, et præsertim in materia luxuriæ; ut si quis domi retineat mulierem, cum qua mortaliter peccat, etiam per solos actus incompletos (et idem dic de hac muliere); per quantum dispositus, et contritus appareat, et etiamsi extraordinaria doloris signa manifestet; nec prima vice, ut B. Ligorio (n. 458.) explicat verba S. Caroli (Instr. Confessar. Par. IV. Act. Mediol. pag. 653.), est absolvendus, nisi prius mulierem dimittat, aut hæc respective se dimittat. Communis: quia, ut sapienter monet Henno (ap. Collet. de pœn. Cap. IX. §. 8. Conclus. 3.) *ipsa peccati memoria, objecti præsentia* (seu periculum proximum n. 256.), *naturalis ad hoc peccatum propensio ..... ita sensibiliter emolliunt cor hominis; ut, non obstantibus omnibus cautelis; aliquando, et sæpius miserabiliter labatur*; etiamsi mille bona proposita homo effecerit.

263. Q. Quare dixisti: *Occasione, quæ sit præsens?*

℟. Quia si occasio non sit *præsens*, seu *in es-*

se, sed a pœnitente in aliquo loco voluntarie inquiratur; ut qui occasionem proximam peccandi habeat amasiam, vel aliam mulierem invisendo; choreas, ludos, cauponas, aliquam domum frequentando; aliquam artem, vel professionem exercendo: cum aliquo conversando etc., expedit quidem, ut etiam ei absolutio differatur, donec occasionem removeat; præsertim, si jam monitus, non deseruerit: quia, ut bene notat idem Beatus (n. 254.), occasionis ablatio est res magnopere ardua; et, si ante absolutionem non auferatur; credens homo, se tentationibus restistere occasioni se denuo exponet, et ad vomitum redibit. Monet tamen S. Carolus (ibid.), quod in hisce casibus, si pœnitens serio promittat occasionem dimissurum; poterit prima, vel secunda vice dispositus absolvi; præsertim, si in necessitate versetur absolutionem recipiendi. Sed si promissis non steterit; non amplius absolvendus, nisi occasionem removeat, et fortibus motivis adjuvetur, ut faciat.

264. Q. Quid dicendum, si occasio sit involuntaria?

℟. Duplici modo occasio proxima potest esse involuntaria, seu necessaria; physice, et moraliter. Erit involuntaria *physice*, quando occasionis remotio a voluntate non pendet; ut si quis occasionem habeat peccandi in carcere, ubi est detentus; cum marito, a quo nequit separari; cum fratre, aut aliquo domestico, cum quo debeat convivere; cum ancilla, quam filius familias domo nequit expellere etc. Occasio autem *moraliter* involuntaria dicitur illa, quæ posset quidem deseri; sed non sine gravi detrimento honoris, famæ, bonorum fortunæ, vitæ, vel sine gravi scandalo: ut si herus

ancillam, cum qua peccat, statim expellere; si Parochus, Advocatus, Chirurgus, negotiator etc. proprium officium, in quo exercendo solent peccare, dimittere deberent etc.

265. Q. Quomodo Confessarius cum his occasionariis gerere se debet?

℟. Etiam his ordinarie loquendo, ob rationes supra (n. 263.) allatas, differenda est absolutio, præscriptis mediis contra relapsum. Sed, si absque gravi infamia pœnitentis juxta monitum S. Caroli (ibid.) Confessarius absolutionem nequeat differre; tunc potest, et debet eum absolvere, si vere doleat de peccatis admissis, et paratus sit ad remedia adhibenda, quæ prudens Confessarius ei suggerit; ut essent preces cum fide factæ; aliqua corporis maceratio; frequens confessionis usus apud eumdem probum, et prudentem Sacerdotem; et alia similia exercitia; et præsertim, ne solus cum sola conveniat, (si a pœnitentis voluntate hoc pendeat); imo nec in eam oculos figat, nec signa det amicitiæ: et sic illa occasio ex proxima evadat remota, et periculum peccandi arceatur. Et hoc casu, si pœnitens talia det doloris signa, ut Confessor prudenter eum dispositum judicet; et pœnitens serio promittat, se talem occasionem dimissurum, quamprimum moraliter poterit; vel inducat complicem, ut se dimittat; poterit prima, vel secunda vice is absolvi.

266. Q. Quid gerendum, si pœnitens adhuc in illud labatur peccatum?

℟. Si hujusmodi pœnitens præscripta remedia saltem in majori parte adhibuerit, et aliquoties tantum cecidit, at statim pœnituit, dicerem prima, vel secunda vice, si vere dispositus appareat,

posse absolvi. At, si pœnitens media præscripta neglexerit; et eodem, vel fere eodem modo labatur; ut recte monet B. Ligorio (n. 456.), deneganda est ei absolutio, donec occasionem removeat, non obstante jactura bonorum, famæ, aut etiam vitæ juxta illud Redemptoris (Matth. 18. 9.): *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te*. At posset devitare infamiam, complicem inducendo ad se dimittendam, ut dictum est. Ita S. Carolus (ibid.): et sic Innocentius II. in C. *Fratres* 8. Caus. 33. q. 3. *Falsa sit pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.* Quod si nullo modo occasio posset deseri, ut carcere detentus etc.; tunc hujusmodi occasionarius tractandus erit, sicut supra (n. 254. seqq.) dictum est de habituatis, et recidivis.

267. Q. Sunt ne alii, quibus differenda sit absolutio?

℟. Sunt illi, qui licet in occasione non adhuc peccarunt; alteri tamen occasionem præbent peccandi; præsertim, si etiam illi in periculo sint tentationi cedendi. Ut ancilla, quæ ab hero; amasia, quæ ab amasio pluries sollicitatæ sint ad turpia etiam per solos tactus, aut alios actus incompletos: etiamsi neutra tentationi adhuc cessit; utrique tamen regulariter loquendo differenda est Absolutio, donec prima a domo heri discesserit, et secunda amasii conversationem vitaverit; tum quia occasionem aliis dant peccandi, et proinde etiam ipsæ peccabunt; tum quia, si non adhuc tentationi cesserunt; lapsu temporis cedent, peccabunt; ut tristis experientia edocet. Ita Palaus, Tournely, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 452.).

268. Q. Circa amasios est ne aliud notandum?

℟. Notandum, quod, quamvis Roncaglia credat, posse illos per aliquod tempus se invicem invisere, ut alter alterius mores possit dignoscere: noster autem Beatus, qui post tot annos missionum, et tam longæ experientiæ scribit, vix semel, vel iterum hoc amasiis, eorumque parentibus permitteret: quia raro invenit, illos non peccasse saltem pravis cogitationibus, verbis, aspectibus; imo moraliter impossibile credit, turpes stimulos hujusmodi personas non sentire, cogitando ad ea, quæ tempore conjugii erunt futura. Et concludit, crudelem esse illum Confessarium, qui hujusmodi conversationes permittit; præsertim, si aliquis lapsus jam extiterit, aut ejus periculum immineat. Nec in hujusmodi conversationibus mores noscuntur: quisque enim scit fingere, ut evenit.

269. Q. Circa Absolutionis dilationem est ne aliud præterea addendum?

℟. Si pœnitens habeat onus restitutionis faciendæ, debiti solvendi; damna allata, vel in honore, vel in fama, vel in bonis reparandi, odium deponendi; cum inimico se reconciliandi; aut aliam gravem difficilemque obligationem; et statim possit has implere obligationes, vel in totum, vel in partem; regulariter loquendo, expedit, ut Absolutio ei differatur, usquedum impleverit, modum suggerendo has adimplendi. Et hoc imponendum, præsertim, si alias implere promiserit, et promissis non stetit. Ratio: quia, experientia teste, hujusmodi obligationes post acceptam Absolutionem plerumque negliguntur. Si autom nullimode posset eas statim implere, potest absolvi; dummodo serio spondeat, quamprimum moraliter poterit, impleturum.

Paragraphus III.

De observandis in Absolutionis dilatione.

270. Q. Quomodo gerere se debet Confessarius in differenda absolutione?

℟. Quomodo gerere se debeat Confessarius cum occasionariis, et cum iis, qui graves, et difficiles habent obligationes, dictum est jam numeris præcedentibus. Videndum nunc; quomodo gerere se debeat cum habituatis, consuetudinariis, ac recidivis, de quibus supra (n. 250. et seqq.). Quidam Confessarii plus æquo rigiditati addicti, differendo Absolutionem, quamvis hujusmodi pœnitentem obligent ad se præsentandum octavo quoque die, non absolvunt tamen, nisi post plures hebdomadas, et etiam menses, usquedum pœnitens sit totaliter, vel quasi totaliter emendatus. Alii econtra plus æquo benigni, vel non differunt Absolutionem; vel si differunt; postquam hujusmodi pœnitens regressus fuerit, eum indistincte absolvunt; etiamsi eum eodem, vel quasi eodem numero peccatorum redeat; et etiamsi nullum extraordinarium contritionis signum præseferat.

271. Q. Quæ ergo regula est observanda?

℟. Etiamsi regula certa pro omnibus indistincte habituatis, consuetudinariis, et recidivis nequeat assignari; certum tamen est apud omnes, quod, si hujusmodi pœnitentes redeunt semper cum iisdem, aut quasi iisdem peccatis, nec faciunt quantum in se est, juxta monita prudentis Confessarii, pro se emendandis; nisi extraordinaria (n. 260. et 261.) suæ contritionis signa præseferant; non possunt statim absolvi:

etiamsi obsecrent, plorent, ac emendationem promittant. Et ratio est: quia hujusmodi pœnitentes fundatam præbent suspicionem propriæ indispositionis; et Confessarius regulariter loquendo nequit Absolutionem impertiri; nisi moraliter sit certus, pœnitentem esse dispositum (n. 240.). Cum autem hoc casu Confessarius differre debeat Absolutionem suo pœnitenti; media ei suggerat ad se emendandum, ad resistendum tentationibus, ad fugiendum occasiones: ut dispositus rediens, Absolutionis beneficio possit donari.

272. Q. Circa hanc materiam adest ne aliqua Propositio a S. Sede proscripta?

℟. Maxime. Adest Propositio 60. damnata ab Innocentio XI. quæ dicebat: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ; etsi emendationis spes nulla appareat; non est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.* Ex qua proscripta Propositione patet, quam sit vera doctrina numero præcedenti data; et proinde, quam male se gerant, et quam rationem Deo reddere debeant illi Confessarii, qui contenti promissionis ore factæ ab hujusmodi pœnitentibus; etiamsi nulla appareat spes emendationis, tam faciles sunt ad illos absolvendos: eo magis quod ad hos tam faciles Confessarios concurrunt etiam ex oppidis exteris occasionarii, consuetudinarii, et recidivi in blasphemiis, perjuriis, imprecationibus, luxuriis, usuris, rapinis, et aliis peccatis; præsertim tempore Paschali, et in solemnitatibus, in quibus adest aliqua Indulgentia etc.; qui miseri peccatores tam facile absoluti amittunt horrorem in peccando, putrescunt usque ad mortem in cœno pec-

catorum, et una cum Confessoribus in inferna descendunt.

273. Q. Quid dicendum de habituatis etc. in venialibus?

R. Etiam has culpas amplectitur Propositio damnata, etiamsi non cum tanto rigore, ut communiter sentiunt Doctores. Cum enim occasiones venialium sint magis frequentes, nec facile vitandæ; ut accidit pro mortalibus; facilius dari potest; ut quis de his venialibus vere doleat, et proponat; at in solitis occasionibus positus, denuo labatur. Hinc, si quis confiteatur de solis venialibus, in quibus habituatus est, aut recidivus, non potest absolvi, nisi signa emendationis, aut alia extraordinaria præbeat; vel de alio peccato etiamsi vitæ anteactæ, de quo vere pœniteat, se accuset; ut supra (n. 176.) innuimus. Etenim grave peccatum est, et sacrilegium Absolutionem dare, aut recipere absque vero dolore, et proposito, ut ibidem diximus.

274. Q. Quamdiu Absolutio debet differri?

R/. Si pœnitens post decem, vel quindecim dies ad confessionem redeat absque novis peccatis; quidam Confessarii hunc pœnitentem jam rite dispositum judicantes, absque alia inquisitione eum absolvunt. Econtra, si pœnitens intra id tempus in solita peccata labatur; ut indispositum absque Absolutione dimittunt cum obligatione redeundi post quindecim, vel viginti dies; et interim a novis lapsibus abstineat. Hi confessarii, qui tali modo se gerunt, non semper bene agunt, et toties decipiuntur.

275. Q. Quare hujusmodi Confessarii decipiuntur?

R/. Quia dari potest casus, ut toties datur;

quod primus pœnitens a solitis blasphemiis, imprecationibus, ebrietatibus, fornicationibus, usuris etc. abstinuerit; non jam, quia de his peccatis vere pœnituerit, et voluntatem habeat non amplius committendi; sed, vel quia nemo ei præbuit occasionem irascendi; vel quia nummi ei deerant pro bibendo; vel quia mulier, cum qua solitus erat peccare, a patria recesserat, et sic de aliis. Et quoties accidit, ut hujusmodi consuetudinarii, recidivi, et etiam occasionarii (n. 256. etc.) per quindecim, vel viginti dies ante confessionem a solitis abstineant peccatis, præsertim tempore Paschali, ut Absolutionem carpant; cum intentione; et etiam cum conventione post Pascha, et confessionem redeundi ad idem? Patet ergo, quam facile possit Confessarius cum primo pœnitente se decipere.

276. Q. Quomodo Confessarius potuit decipi cum secundo pœnitente?

℟. Quia quamvis relapsus in eadem peccata præbeat aliquam suspicionem dispositionis; non est tamen signum certum indispositionis: nam potest contingere, ut ille pœnitens vere doleat de suis relapsibus, et firmam habeat voluntatem non amplius relabendi; et tamen vi pravi habitus, *quasi nolens*, ut se exprimit S. Anselmus (de Simil. C. 189. *in eadem vitia dejiciatur*; præsertim, si agatur de peccatis verborum, ut sunt blasphemiæ, imprecationes, perjuria etc. vel de peccatis internis odii, delecta-

tionis morosæ etc. Et ideo Auctor Libri Romæ editi, cui titulus. *Istruzione per li novelli Confessori* p. 1. c. 15. n. 356. dicit: *Se la ricaduta nasce dalla propria fragilità senz' altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto*; et proinde quod nequeat absolvi.

277. Q. Quomodo ergo cum his habituatis etc. pœnitentibus se geret Confessarius?

℟. Si hujusmodi pœnitens absque ulla emendatione ad Confessarium redeat, jam dictum est (n. 271.), non posse tunc absolvi: sed suggerat ei media ad emendationem efficaciora; animet eum ad confidendum: divinæ misericordiæ, B. V. Mariæ etc. et inducat ad redeundum non jam post quindecim, vel viginti dies, ut male faciunt aliqui Confessarii, sed *quantocius*, ut dicit Benedictus XIV. (Const. *Apostolica* 26. Junii 1749. n. 22.): ne longa dilatione hujusmodi pœnitens animis concidat, et horrorem concipiat confessioni, et Confessario. Hujusmodi enim infirmus tam gravis non rara, sed frequentiori Medici visitatione indiget; et proinde Confessarius exemplum imitetur S. Bernardi circa juvenem in luxuriis immersum, qui inemendatus ad confessionem rediit, ut narrat Auctor, cui titulus: *Sacerdote santificato* (Lett. 1. n. 86.).

278. Q. Quid egit S. Bernardus?

℟. Videns Sanctus statum infelicem hujus juvenis, ei injunxit, ut propter amorem SS. Tri-

nitatis ab illo turpi peccato per tres dies abstineret; et postea ad se rediret. Rediit juvenis absque novis lapsibus, et Sanctus cum eo gavisus, oravit, ut per alios tres dies idem faceret propter amorem Virginis Mariæ, et postea rediret. Obediens juvenis, absque relapsibus redivit. *Fili*, tunc dixit Sanctus, *per aliud triduum propter amorem tui Angeli Custodis ab hoc peccato abstineto*; *et rediens statim te absolvam.* Et rediens juvenis, fuit absolutus, promittens Sancto, non amplius in illo peccato se fœdaturum. Felix juvenis, qui cum Confessario tam charitativo; et experto occurrit!

279. Q. Quid agendum a Confessario, si hujusmodi pœnitentes adhuc indispositus redeat?

℟. Scio, hujusmodi pœnitentes, qui vel ob neglecta remedia, vel ob vim pravi habitus, et perversæ inclinationis in eadem peccata semper prolabuntur, exanimare aliquando Confessarium; qui nesciens, quid amplius faciat; tentatum se sentit in deserendo tali pœnitente, et forsan aspere expellendo. Sed, si Deus offensus illum tolerat; et non obstante ejus repugnantia, ad se iterum præsentandum excitavit; Confessarii illum non compatientur? Si dœmon de nostra pernicie nunquam desperat; nos de nostrorum fratrum salute desperabimus? Nusquam gentium. Sed ad instar Medici corporalis, qui ægrotum licet desperatum non deserit; et nova remedia excogitat ad eum sanandum; sic Confessarii no-

va remedia, et efficaciora excogitent; perterrefaciant pœnitentem rigore divinæ justitiæ; illum animent ad recurrendum majori cum fiducia divinæ Misericordiæ, Mariæ, Sanctis etc.; non cessent orare pro eo; et quanto minus credent, desperati pœnitentis salutem videbunt; ut interdum evenit.

280. Q. Quid ergo agendum a Confessario, ut hujusmodi pœnitentis emendationem obtineat?

℟. In primis laudet ejus obedientiam in redeundo; originem inquirat ejus relapsuum; quænam ex præscriptis remediis neglexerit; quo tempore, loco, et occasione aggressus sit a tentatione, et cesserit; ut remedia magis apta possit ei præscribere; et Deum oret, ut hæc apta media sibi inspiret: et præsertim ei injungat, ut, si denuo labatur, statim ad se redeat. Sic se gessit S. Philippus Nerius cum quodam juvene, qui quasi quotidie in quoddam peccatum cadebat; et aliam quasi pœnitentiam ei non imponebat, nisi quod, si denuo decideret, statim rediret, non expectando secundum lapsum; et obediens juvenis semper a Sancto absolvebatur cum eadem pœnitentia. Et hac arte ille fortunatus juvenis ab illo peccato se liberavit; et brevi quasi Angelus evasit. Sic legitur in ejus vita (Bacci Lib. 2. C. 6. n. 2.). Et utinam omnes Confessarii experti, et charitativi, ut Sanctus; et omnes pœnitentes obedientes, ut hic juvenis, forent.

281. Q. Hæc pœnitentia est ne sufficiens?

℞ Hæc sola non est certe sufficiens; nec legitur, hanc solam datam a Sancto, sed legitur: *Il Santo non diede quasi altra penitenza.* Sed hæc pœnitentia non est levis, ut prima fronte videtur; imo gravis, et pœnitenti multum salutifera; etiamsi Absolutio non recipiatur; tum ob repugnantiam, quam experiri, et vincere debet pœnitens in se præsentando, et suam infidelitatem aperiendo; tum per auxilia, quæ *ex opere operato* Absolutionem recipiendo ipse acquirit. Hanc confessionis frequentiam inculcat etiam Rituale Romanum (Ordo ministr. Sacr. Pœnit.), dicens: *Facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certe diebus solemnibus confiteantur; et si expediat, communicent.* Ex quibus verbis B. Ligorio (n. 464.) deducit, quod quamvis pravus habitus non sit avulsus; hoc non obstante, gratiam Sacramenti multum conferre ad emendationem.

282. Q. Quid si pœnitens ad confessionem redeat cum aliqua emendatione?

℟. Si habituati, consuetudinarii, recidivi media sibi præscripta vel in totum, vel in partem sint executi; et pluries tentationi restiterunt; et aliquoties cesserunt; sed de his lapsibus vere dolent, et emendationem proponunt; cum hoc casu suam dispositionem præseferant, et spes emendationis jam appareat; non comprehenduntur in propositione damnata ab Innocentio XI. relata n. 272., nam ibi legitur: *Etsi emendationis spes nulla appareat.* Et proinde regulariter loquendo possunt absolvi; præsertim si ex mera fragilitate intrinseca ceciderint. Ita B. Ligorio cum aliis, quos citat n. 459. Sic pariter colligitur ex instru-

ctionibus Confessario datis a S. Carolo, qui quantum sit cautus, et a laxitatibus alienus, unusquisque scit. Loquens ergo de illis, quibus Absolutio sit differenda, dicit: *Si differisca anche l'Assoluzione, finchè si veda qualch' emendazione, a quelli . . . . . che molti anni hanno perseverato, e sono ricaduti ne' medesimi peccati, nè hanno fatta diligenza alcuna di emendarsi.*

283. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. Quia quoad occasionarios, qui versantur in occasione proxima voluntaria, quæ sit *in esse*; etiamsi emendati appareant; non sunt absolvendi, nisi occasionem dimittant, ut dictum est n. 262. Sit pariter cautus Confessor cum illis, qui solent peccare frequentando aliquam domum, ludos, choreas, cauponas, personas etc.; præsertim, si veniunt tempore Paschali, aut illis diebus, quibus alii condiscipuli, sodales, concives, solent ad hoc Sacramentum accedere. Toties enim evenit, ut hi aliquibus, et etiam multis diebus a solitis peccatis abstineant, non jam, quia habeant voluntatem vitam mutandi, sed ut Absolutionem carpant, ut diximus supra n. 275.; et sic non notentur, nisi communicent. Quando autem nulla suspicio sit in contrarium, et emendatio, ut supra, appareat; absolvatur pœnitens, et ad frequentandum hoc Sacramentum hortetur; ut gratia Sacramenti facilius tentationibus resistat, et totaliter se emendet.

Paragraphus. IV.

De aliis obligationibus Confessarii.

284. Q. Quænam sunt aliæ Confessarii obligationes?

℟. Sunt multæ. De variis locuti jam fuimus Lib. III. a n. 163. ad 197., et ibi dicta recolantur. Aliquas hic supra vidimus. De aliis in hoc Paragrapho. Ut ergo Confessarius Patris, Medici, Doctoris, ac Judicis partes implere possit, si pœnitentes *prorsus imparatos esse cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet*, ut monet Catechismus Romanus (Par. 2. Cap. 5. n. 60.), non jam verbis asperis, ac injuriosis objurgationibus; *hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant* (non dicit *aliquam hebdomadam*), *ac deinde revertantur*; et si pœnitens ille post horam, aut citius se præparaverit, tunc redeat.

285. Q. Quid, si *prorsus imparati* non veniant?

℟. Subdit idem Catechismus: *Quod si forte affirmaverint, se in eam rem omne studium, et diligentiam suam contulisse, quoniam Sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi, amplius non redeant; audiendi sunt.* Non dicit esse dimittendos, ut melius se disponant, sed *audiendi sunt*, et hoc ex rigorosa obligatione charitatis, ut recte monet B. Ligorio (n. 608.); et adjuvandi sunt ad rite se accusandos de peccatis, et multo magis ad ea detestanda; etiamsi multum temporis ad id faciendum impendere debeat Confessarius. Idipsum docet S. Carolus (ibid.): Il Confessore *quando vede* (en ejus verba), *che i penitenti han fatto dal canto loro qualche diligenza per prepararsi a confessarsi debitamente; e nondimeno per l' incapacità loro, o per altro non gli pare, che abbiano la necessaria disposizione; deve supplire esso, procurando d' indurgli a contrizione . . . . . e disporgli di modo, che*

di tutti, e ciascun peccato mortale siano almeno così attriti, che possa sicuramente dargli l' assoluzione.

286. Q. Quomodo Confessarius disponet pœnitentem non satis paratum?

℟. *Si pœnitens* (sunt verba Ritualis Romani ibid.) *numerum, et species, et circumstantias peccatorum* (Lib. I. a n. 289. ad 310.) *explicatu necessarias non expresserit; eum Sacerdos prudenter interroget. Sed caveat, ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus; vel alios de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans; ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.* Dictum est *prudenter interroget*: quia in his interrogationibus Confessarius non debet esse nimis anxius, ut bene notat B. Ligorio (n. 607.); sed interroget tantum de iis, quæ probabiliter ille pœnitens potuit committere juxta statum, conditionem, artem etc. Et quoad numerum, quando certus haberi non possit, contentus sit de numero approximativo, præsertim in consuetudinariis, ut dictum est supra (n. 198.). Si autem Confessarius dubius sit de pœnitentis dolore; idem Rituale subjungit, quod factis paterna charitate opportunis correptionibus, et monitionibus; Confessarius efficacibus verbis ad dolorem, et contritionem pœnitentem adducere conabitur; et ad vitam emendandam remedia tradat.

287. Q. Quænam remedia debent pœnitentibus a Confessario insinuari ad vitam emendandam?

℟. In primis Confessarius Deum oret, ut aptiora remedia sibi inspiret; et cum absque Dei auxilio nil boni possimus efficere; hinc pœnitenti

insinuet, ut divinum imploret auxilium pro vita emendanda, recurrendo etiam ad intercessionem Mariæ, et Sanctorum; ut proponat quotidie mane, et vespere non amplius in solita peccata lapsurum illa die, ac nocte; insinuet quotidianam meditationem præsertim Ecclesiasticis; si excitetur aliquis motus vindictæ, odii, impuritatis etc.; invocet statim nomina *Jesu*, et *Mariæ*, dicendo ex. gr. *Gesù mio misericordia*; nec cesset, usquedum tentatio abscedat; memoret novissima; et momentaneum esse quod delectat, et æternum quod cruciat; memoret, Deum esse præsentem, qui in actu peccati, ut toties evenit, posset punire; et præsertim mortificet sensus, et occasiones effugiat in solita peccata relabendi, ut diximus n. 262. et seqq.

288. Q. Adest ne aliud remedium insinuandum?

℟. Remedium forsan efficacius pro omnibus consuetudinariis, et recidivis præsertim in peccatis mollitiei, est frequentia Confessionis apud eumdem pium, et expertum Confessarium, cum firmo proposito ab illo vitio se liberandi. Meminerit Confessarius illius juvenis tempore S. Philippi Nerii, de quo supra (n. 280.), qui se emendavit, et quasi Angelus evasit, recurrendo statim ad Sanctum, si infeliciter tali peccato se inquinasset. Imo dicit Cardinalis Toletus (Summa L. 5. c. 13.), et experientia docet, quod absque miraculo, vel rarissimo privilegio præter alia remedia nemo se liberavit ab hoc fœdo crimine tam difficilis curationis absque frequentissima confessione. Hæc Confessionis frequentia etiam proderit libidinoso; tum quia gratia Sacramenti adjutus, facilius tentationibus resistet; tum quia

obligatio se sistendi apud eumdem Confessarium est maximum frænum, ne in iisdem peccatis se coinquinet. Alia remedia suggeret Confessario experientia, prudentia, circumstantiæ personarum etc., et in primis Spiritus Sanctus a se invocatus.

289. Q. Quænam sunt aliæ obligationes Confesarii?

℟. Si Confessor noverit, pœnitentem invalide fuisse absolutum, obligare eum debet ad repetendas confessiones invalide factas. Ut si is fuit mortaliter negligens in suæ conscientiæ examine (n. 182.), et ejus negligentiam Confessarius non suppleverit; si Contritio, seu dolor, et propositum (a n. 172. ad 181.) ei defuerit; si grave peccatum, ejusque numerum, et circumstantias, quas juxta dicta a n. 192. ad 206. aperire tenebatur, malitiose tacuerit; si Confessario interroganti negaverit, vel circumstantiam explicatu necessariam, vel consuetudinem peccandi, ut præcepit Innocentius XI. (prop. 58.); si absque necessitate alterius peccatum in confessione manifestet, ut explicatum est n. 189. et 190. si in confessione graviter mentitus fuerit, aut aliquod peccatum excusaverit juxta dicta n. 187. et 188., si acceptavit aliquam gravem obligationem (n. 269.), aut pœnitentiam a Confessario injunctam absque animo implendi (n. 208.) etc.

290. Q. Sunt ne aliæ causæ, ob quas Absolutio fuerit nulla?

℟. Si pœnitens malitiose Confessarium adiverit, qui vel surdaster sit, aut solitus dormitare; aut qui peccata non intellexerit; vel sit indoctus, et insufficiens; ita ut gravitatem peccatorum nesciat discernere, aut obligationes peccatis adnexas de-

clarare. Hic malitiosus pœnitens cum actu confessionis peccaverit, et proinde indispositus absolutionem receperit; invalide fuit absolutus. Dixi *malitiose*: quia, si alium idoneum Confessarium nequiverit habere; nisi aliud obstet, absolutionem non recepisset indispositus; et proinde non invalide. Peccata vero, quæ pœnitens cognovit, non esse intellecta a Confessario surdastro, vel dormitante; debet repetere; et si nesciat, quæ peccata non sint intellecta; omnia debet repetere: quia omnia peccata gravia confitenda, et intelligenda sunt a Confessario. Vide B. Ligorio n. 499.

291. Q. Est ne aliud prætcrea addendum?

℟. Addendum, quod repetendæ sunt, ut invalidæ, etiam illæ confessiones factæ apud Sacerdotem jurisdictione ordinaria, vel delegata carentem; aut publice censuratum; dummodo non adsit titulus coloratus cum errore communi, ut dictum est Lib. III. n. 160. Et item, quando pœnitens resciret, absolutionis formam non esse prolatam a Sacerdote, vel prolatam absque intentione absolvendi, vel formam substantialiter mutilasse (si fieri potest, ut tanta impietas in Dei Ministro reperiatur). Et hic nota, quod si invaliditas absolutionis procedat ex culpa, et malitia pœnitentis, ut evenit quasi in omnibus casibus supra enumeratis; pœnitens hic alligaret se gravissimo sacrilegio: quia frustraneum redderet Sacramentum, et si auderet ad Eucharistiæ, aut alius Sacramenti perceptionem accedere; aliis sacrilegiis se obstringeret: quæ in confessione essent pariter rite aperienda.

292. Q. Quæ regula tenenda est in repetendis istiusmodi confessionibus?

℟. Si ex dictis, confessiones, quas fecit pœni-

tens, fuerunt tantum invalidæ, sed non sacrilegæ; tunc sufficit repetere tantum confessiones invalide factas; quia confessiones subsequentes, nisi aliud obstet, fuerunt validæ. Si autem aliqua confessio fuerit etiam sacrilega; quia ex. gr. culpabiliter aliquod peccatum grave reticuit, tunc repetere debet non solum illam sacrilegam confessionem, sed omnes subsequentes etiam factas cum reminiscentia confessionis sacrilege factæ: quia omnes forent sacrilegæ (nisi invincibilis ignorantia excuset); et proinde confitenda etiam omnia sacrilegia. In illis autem confessionibus subsequentibus factis absque reminiscentia confessionis sacrilegæ; cum ob inculpabilem oblivionem hæ forent validæ, nisi aliud obstet; non essent de rigore repetendæ. Ob quietem autem conscientiæ consultius est repetere. Et hic nota, quod, si confessio fiat apud alium Confessarium; omnia peccata sacrilege confessa, sunt manifestanda, tanquam si nunquam fuerint confessa. Communis.

293. Q. Quid, si Confessio repetatur apud eumdem Confessarium?

℟. Cum commune sit apud Doctores, ut dicit B. Ligorio (n. 502.), non esse necessarium, quando Absolutio differtur, ut peccata iterum accusentur ob recipiendam absolutionem, si Confessarius saltem in confuso recordetur de peccatis confessis, aut saltem de statu pœnitentis: idcirco, si Confessarius saltem in confuso recordetur de peccatis invalide, aut etiam sacrilege confessis; aut saltem de statu conscientiæ pœnitentis (quidam extendunt, etiamsi Confessarius recordetur tantum pœnitentiæ injunctæ, ut videre est apud Beatum ibid. dub. 2.): tunc non necessario repetenda sunt peccata confessa; sed sufficit, quod postquam

pœnitens accusavit se de peccatis post ultimam Confessionem admissis, dicat: *Pater me accuso etiam de omnibus peccatis in anteactis confessionibus tibi confessis*; et accuset etiam, quot confessiones, et communiones sacrilegas effecit. Melius tamen crederem, si peccata graviora repetantur.

294. Q. Quid agendum a Confessario, si pœnitens dubitet de validitate suarum confessionum?

℟. Cum nullus cogendus sit ad repetendas confessiones, nisi moraliter certus sit de earum invaliditate, ut dicit Beatus cum aliis, quos citat (n. 505.); hinc videndum. Si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, et solitus sit se rite præparare, ne aliquid culpabiliter omittat; et se excitare ad dolorem, et propositum; et sincere se accusare; prudenter præsumitur, se recte confessum esse, et proinde ad repetendas confessiones non esse cogendum; sed hortandum, ut semper se pœniteat de peccatis commissis; et sic certiorem se reddat de eorum remissione. Et, si pœnitens ille sit aliquis scrupolosus timidæ conscientiæ; ordinarie non debet ei permitti, ut quidquam repetat, nisi certus sit, se male confessum. Si autem pœnitens ille sit, aut fuerit negligens in se præparando cum debito examine, dolore, et proposito; tunc præsumptio stat contra ipsum; et proinde cogendus ad confessiones, de quibus dubitat, repetendas. Vide Croix Lib. 6. Par. 2. n. 1220. et seqq.

295. Q. Consuetudinarii, et recidivi (n. 254. et 255.) sunt ne obligandi ad confessiones repetendas?

℟. Etiam de his distinguendum. Si hi promittebant Confessario, se frequenter confessuros, ora-

turos, et alia remedia præscripta executuros, sed absque intentione faciendi; etiamsi Confessario asseruerint, se dolere, et vere proponere non peccare de cætero; cum eorum propositum non fuerit efficax (n. 180), invalide, imo (nisi ab invincibili ignorantia excusentur) sacrilege confessi fuissent; et proinde ad confessiones repetendas obligandi. Et idem dicendum cum Beato (ibid.), si paulo post confessionem, seu data prima occasione denuo lapsi fuerint: quia qui vere dolet, et proponit, saltem per aliquod tempus se abstinet, et conatum adhibet, ne cadat. Si autem post confessionem per aliquod tempus se abstinuerint, quamvis solitas tentationes habuerint; vel ante lapsum aliquam saltem resistentiam effecerint; licet consulendi, non tamen cogendi sunt ad confessiones repetendas: quia validæ credi possent confessiones.

296. Q. Ad quid tenetur Confessarius, si quem errorem in confessionibus audiendis commiserit?

℟. Si error versetur circa valorem Sacramenti; quia ex. gr. Absolutionis verba Confessarius non protulit; vel protulit absque intentione absolvendi, vel absque jurisdictione (n. 291.), vel absque jurisdictione in reservata confessa; vel respectu, et timore humano, aut aliter indispositum absolverit; et ex gravi culpa Confessor erravit, regulariter loquendo tenetur etiam cum gravi suo incommodo pœnitentem, si noscat, monere, quamvis non sit Parochus. Ratio: quia, licet Confessarius simplex ex charitate confessiones audiat; audiendo tamen; ex officio, et ex quasi contractu cum pœnitente inito, rite debet ei Sacramentum ministrare, et periculo æternæ damnationis eum non exponere. Sic B. Ligorio

cum aliis, quos citat n. 619. Et hic nota, quod, si extra confessionem pœnitentem moneat; debet petere, et ab eo licentiam obtinere loquendi de auditis in confessione; ac, si pœnitens renuat, juxta dicta Lib. III. n. 196., non potest loqui, sed orare pro eo, ac se pœnitere de errore commisso. Et sic oret etc., si pœnitentem non agnoscat. Diçit autem Arringa apud Croix (Lib. 6. Par. 2. n. 1776.), quod dicere pœnitenti, quod cum non absolverat, non esset manifestare peccatum, nec contra sigillum.

297. Q. Quare dixisti: *ex gravi culpa?*

℟. Quia, si Confessor erravit sine culpa, ex. gr. per inadvertentiam, aut ignorantiam invincibilem etc.; omnes conveniunt, ut inquit Beatus (ibid.) cum aliis Doctoribus, non teneri ad monitionem cum gravi inçomodo famæ, vel honoris; dummodo pœnitens non versetur in gravi periculo non amplius se confitendi: quia hoc casu charitas Confessarium urgeret ad non exponendum periculo æternæ damnationis suum pœnitentem, ut numero præcedenti dictum est. Cum autem Parochus non tantum ex charitate, ut Confessarius simplex, sed ex justitia teneatur reparare grave damnum suorum subditorum; etiamsi sine culpa erraverit: tenetur etiam cum gravi suo incommodo pœnitentem, ut mox dictum est, de nullitate acceptæ absolutionis monere, et etiam extra mortis periculum: Limitat Beatus, si pœnitens ille post invalidam, sed absque ejus culpa factam confessionem, sacram Communionem susceperit: cum enim, ut supra dictum est (n. 5.), Eucharistia, si cum attritione, et bona fide sit suscepta, per accidens primam gratiam conferat, pœnitens jam esset justificatus.

298. Q. Quid dicendum, si error a Confessario commissus circa valorem non versetur?

℟. Si Confessarius, etiamsi inculpate pœnitentem induxit in errorem, dicendo ei ex. gr. matrimonium esse validum; votum non tenere; contractum non esse usurarium etc., et postea cognovit, matrimonium esse invalidum, votum tenere, contractum esse usurarium etc., petita, et obtenta licentia, ut supra (n. 296.), pœnitentem monere tenetur: quia unusquisque tenetur tollere causam mali, quam posuit etiam inculpate, ut inquit Antoine (Tr. de Pœn. C. 3. n. 3. q. 9.): alioquin esset causa peccatorum sui pœnitentis. Idem dicendum, si pœnitentem induxit ad non confitendum species, et numerum peccatorum. Dixi *si induxit*: quia, si omisit interrogare; etiamsi culpabiliter Confessarius hoc neglexerit; finita confessione, ad aliud non tenetur juxta Beatum (n. 622.): quia intra confessionem tantum tenetur ad hujusmodi interrogationes.

299. Q. Quid, si Confessarius erraverit circa restitutionem faciendam?

℟. Si Confessarius vel obligavit pœnitentem ad restitutionem indebitam, vel a debita deobligavit; etiam cum gravi suo incommodo monere tenetur, cum debita licentia, ut supra. Et, nisi moneat; vel moneat, postquam pœnitens indebitam fecit restitutionem, vel factus sit impotens ad restituendum; supposito, quod monitus restituisset; utpote causa damni, Confessarius ipse tenebitur. Ita communiter B. Ligorio cum aliis, quos citat (n. 621.). Idem dicendum, si non præmissa debita diligentia pro inveniendo domino, Confessarius injunxerit pænitenti, ut det pauperibus. Si dominus compareat, pœnitens iterum debet resti-

tuere. Si ergo pœnitens non restituerit, ob eamdem rationem, quia est causa damni; tenebitur ipse Confessarius. Si autem Confessarius negative tantum se habeat; negligendo monere pœnitentem de obligatione restitutionis; etiamsi peccet, si culpabiliter id fecerit, et cum aliquali incommodo teneatur monere pœnitentem: si autem non moneat, cum non ex justitia, sed ex charitate ad id teneatur; communissime, ut dicit Beatus (ibid.), ad restitutionem non obligatur.

300. Q. Ad quid tenetur Confessarius circa opiniones controversas?

℟. Si Confessarius noverit, pœnitentem paratum esse ad amplectendam opinionem rigidam, et tutam; et prudenter judicaverit ei profuturam; poterit illam consulere. Sed, si pœnitens renuat, quia opinio opposita, quamvis benigna, et minus tuta; probabilior, aut saltem æque probabilis a multis gravibus Theologis reputatur; tunc non potest adigere pœnitentem ad amplexandam suam rigidam opinionem; ut colligitur ex dictis Lib. I. a n. 64. ad 84. cum quibusdam exceptionibus, ut ibi. Imo per quantum Christiana prudentia concedit; uti debet opinionibus benignis, quæ gravi fundamento sint roboratæ; tum, ne jugum Domini, quod est suave, reddat grave; tum, ne suo rigore reus evadat tot offensarum Deo factarum, et perditionis animarum. Sic statuitur a Papa Honorio III. in Cap. *Ex parte tua* 11. de Transact. *Ubi jus non invenitur expressum* en sua verba; *procedat æquitate servata*, *semper in humaniorem partem declinando*, *quoad personas*, *et causas*, *et loca*, *et tempora postulare videris*.

301. Q. Quid super hac materia sentiunt Sancti?

℟. Conveniunt cum Honorio III. S. Gregorius Nazianzenus (Or. 26.) dicit: *Hortamur Sacerdotes, ut cum pœnitentibus leniter agant*: S. Bernardus (Serm. de S. Andr.) loquens de Confessario, inquit: ***Habeat in voluntate compati, et liberare eum, et nitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini sui.*** Idem sentiunt S. Odilo Abbas: idem B. Hambertus Generalis PP. Prædicatorum: Idem S. Bernardinus Senensis: idem Gerson, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 605.). Et etiam Cardinalis Lambertini, postea Benedictus XIV. Notif. 80. n. 19. die 20. Octob. 1736. dicit: *Non debbono imporsi legami, quando non vi è una manifesta Legge, che gl' imponga.* His positis, quis ex Confessoribus erit ita superbus, ut tot Sanctis, Doctoribus egregiis, et Summis Pontificibus peritiorem se credat? Consideret ergo Confessarius, an illa benigna opinio sit revera roborata gravibus fundamentis, nec contra Scripturam, Traditionem, et definitiones Ecclesiæ; et nisi opiniones benignæ inducant ad peccandum *formaliter*, ut dictum est eodem Lib. I. n. 84., regulariter loquendo, benignis utatur opinionibus.

Paragraphus V.

De observandis a Confessario cum diversis personarum generibus.

302. Q. Quid a Confessario observandum circa puerorum confessiones?

℟. Si omnes pœnitentes paterna charitate sunt a Confessario excipiendi; eo magis excipiendi sunt pueri, imo invitandi, præsertim a Parochis; etiam-

si ob non perfectum rationis usum incapaces sint absolutionis: ut instruantur, et a tenera ætate amorem concipiant erga hoc tam salutiferum Sacramentum; et Confessarius possit eis insinuare horrorem peccatis, mendaciis, furtis, damnis etc., devotionem in Templis, obedientiam majoribus, modestiam præsertim cum pueris sexus diversi, frequentiam Doctrinæ Christianæ, devotionem erga Deiparam, ut præsertim eos liberet a peccato etc. Et postquam pueri de admissis peccatis se accusaverint, Confessarius eos interroget de aliis, quæ verosimiliter puer ille potuit committere. Sit tamen valde cautus in interrogatione rerum lubricarum, ne eos edoceat quod nesciunt; et a longe eos interroget, an clam, vel in lecto jocati sint cum sociis, fratribus etc., et juxta responsa caute ad ulteriora procedat; et horrorem ingerat his peccatis ob Dei præsentiam, ob pœnas inferni etc.

303. Q. Quæ regula in pueris absolvendis?

℟. Merito prudentes Confessarii gravem apprehendunt difficultatem in his absolvendis, præcipue in eorum primis confessionibus; cum sæpe dubium sit, an, et quomodo peccarint; an adsit malitia; an dispositionem habeant; præsertim si parum compositi in confessionis actu videantur; oculos in gyrum agendo; digitis, corona, pileo etc. jocando, et similia. Cum charitate puerum istum moneat Confessarius. Ac si videat, eum resipiscere; et ex interrogationibus noscat puerum illum intelligere, ob peccata meruisse infernum, vel purgatorium; Deum summe bonum offendisse; et nunc dolere, ac proponere; nisi aliud obstet, eum absolvat. Si autem dubius de illius remaneat dispositione; non absolvat, ni-

si in periculo mortis, et aliquoties infra annum ob adimplementum annuæ confessionis, at sub conditione. Sic B. Ligorio cum aliis Doctoribus, quos citat n. 432. Quando autem pueri grandiusculi sunt facti, et ad primam Communionem admittendi, excitentur ad generalem rite faciendam confessionem, aut melius ad primam Communionem accedant.

304. Q. Quomodo Confessarius gerere se debet cum adolescentulis?

℟. Ætas periculosior est adolescentium, ac juvenum, præsertim primis annis post pubertatem, quibus passiones satis vividæ; occasiones, ac pericula multa; deceptiones non raræ; prævisio, et cautio vel nulla, vel modica; et, si hac ætate in vitiis enutriantur, oh! quam facile, quod etiam cum senuerint, non recedant ab eis. Hinc curet Confessarius, ut hæc ætas Sacramenta rite frequentet; quibus Dei timor, et amor puritatis magis augetur; seductiones præcaventur; et divina auxilia ad bene vivendum promeretur. Inculcet huic ætati, ut fugiat societatem illorum, qui loquuntur contra Religionem, pietatem, et bonos mores; ut evitet familiaritatem personarum sexus diversi; et cum his, etiamsi conjunctis, nulla confidentia, ob rationes allatas n. 267. et 268. His juvenibus inculcet, ut conversationem evitent amasiorum. Inculcet, ut primis tentationibus, et aggressionibus resistant; præsertim, si ad serviendum, vel ad aliquid faciendum in domos alienas, aut alio accedant; et si a tentando non desistant; has occasiones fugiant. Inculcet devotionem, meditationem super novissimis, ac divina præsentia, et alia, quæ Spiritus Sanctus ei suggeret pro bono illius animæ.

305. Q. Quid notandum circa confessionem senum?

℟. Quandoque senes evadunt sicut pueri, et etiam hebetes, stupidi, qui non reminiscuntur de peccatis, non de Doctrina Christiana, et nesciunt quid dicant. Cum his notet Confessarius. Si in rebus temporalibus sint solertes, industriosi, recordentur, quid debeant dare, quid accipere, et similia; tunc suspicari potest Confessarius, senem illum parum curare spiritualia; et injungat ut se pœniteat de sua negligentia, et quoad fieri potest, curet denuo addiscere saltem quæ necessitatis sunt medii. Si autem senex ille etiam in temporalibus stupidus, et hebes evaserit; et antea sciebat, quæ scitu sunt necessaria; interroget eum super peccatis, quæ verosimiliter potuit committere; faciat simul cum pœnitente actus Fidei, Spei, Charitatis, et specialiter excitet ad dolorem, et propositum; et imposita illa pœnitentia, quam credat posse implere, absolvat.

306. Q. Quomodo gerere se debet cum mutis?

℟. Si mutus sit etiam surdus, ita ut Confessarii interrogationes nequeat intelligere; curet Confessarius addiscere ab ejus familiaribus, quæ sit vita; quæ vitia; quo modo possit eum intelligere, et intelligi; et in locum remotum eo perducto (sed si mulier sit muta, in loco patenti in Ecclesia longe ab aliis), per nutus exigat ab eo aliquod signum suorum peccatorum, et modo meliore, quo potest, exigat signum doloris, ex. gr. tunsione pectoris, aut alio modo: et hoc facto, eum absolvat, sed sub conditione, ut monet B. Ligorio. (Prax. Confessar. n. 102.). Si autem mutus ille sciat scribere, tenetur scribere sua peccata, si periculum absit manifestationis, ut

supra (n. 195.) diximus ; et chartam tradere Confessario, suum dolorem exprimendo.

307. Q. Quid, si pœnitens sit surdus, et non mutus?

℟. Si surdus sit vir, in locum semotum eum adducat, et ejus audiat confessionem. Si autem sit mulier ; tunc distinguendum cum eodem Beato (loco cit. n. 104.). Si Confessarius initio confessionis surditatem adverterit, antequam illa incipiat sua peccata aperire, potest ei injungere, ut alio tempore redeat, vel post finitas aliorum confessiones. Si autem in decursu confessionis id advertat, quia pœnitens vel non respondet suis interrogationibus, vel non respondet adæquate ; tum Confessarius si potest, quin ab aliis audiatur, ei injungere, ut redeat ; hoc faciat. Si autem circumstantes audirent ; tunc non potest ei injungere, ut redeat ; quia suspicionem illis ingereret, aliquam gravem culpam a surda illa esse confessam, et indirecte confessionem revelaret. His igitur in circumstantiis, si de aliquo peccato mortali sit ipsa confessa, et suum dolorem, et propositum manifestet, imposita aliqua levi pœnitentia, absolvat.

308. Q. Quomodo cum infirmis se geret Confessarius?

℟. Si infirmus laboret morbo contagioso ; si sacrum Viaticum sit nunc accepturus ; si inter confitendum loquelam amittat, aut sensibus destituatur ; dictum est supra (a n. 194. ad 196.), quomodo gerere se debeat Confessarius. Si autem tempus suppetat, de more se disponat infirmus, et confiteatur meliori modo, quo potest. Pœnitentia autem tunc facienda sit levis, aut sub levi injungenda, ut diximus n. 215. et alia pro-

portionata assignetur, si convaluerit, ut præscribit Rit. Romanum (Ordo Ministr.). Cum autem parturientes infirmæ, sicut et vulnerati ordinarie non possint ab assistentibus deseri; si secreto possint Confessario aliqua saltem graviora peccata aperire, faciant quo melius possunt. Si nullum peccatum possint secreto manifestare, accusent se in genere de peccatis admissis, et in particulari de aliqua culpa levi, ut monet B. Ligorio (ibid. n. 105.), et cum proposito integre confitendi, si convaluerint, absolvantur, cum obligatione, si quam habent, restituendi, si possint; deponendi odia etc. Et, si facere recusent, vide quæ diximus n. 258.

309. Q. Quid agendum, si pœnitens neget peccatum, quod Confessarius scit esse commissum?

℟. Si pœnitens taceat, vel neget peccatum, quod Confessarius certo scit, illum commisisse, quia ex. gr. vidit, vel audivit; regulariter loquendo, ne illius sacrilegio cooperetur, negare debet absolutionem, aperte ei dicens, seipsum vidisse, audivisse etc., vel audivisse (extra tamen confessionem) a persona fide digna, si absque ullius offensione possit id manifestare. Dixi *regulariter loquendo*: quia posset dari, quod de illo peccato sit jam confessus, vel non teneatur aperire illi Confessario, ut supra (n. 193.) explicatum fuit. Hinc hoc casu deberet Confessarius monere hujusmodi pœnitentem de nullitate absolutionis, sicut, et horribilis sacrilegii, quo se alligaret, negando peccatum, quod confiteri teneatur. Et, si pœnitens perseveret in negando, ob dictas rationes dicerem, posse absolvi.

310. Q. Quare dixisti: *extra tamen Confessionem?*

℟. Quia si peccatum, quod pœnitens tacet, Confessarius sciat ex sola confessione complicis, vel alterius; non potest quærere, an illud peccatum admiserit: violaret enim, licet indirecte (Lib. III. n. 192.), sigillum sacramentale. Hoc præsertim posset evenire in celebratione matrimonii. Audit Parochus sponsum, et se accusat, peccasse cum sponsa: audit sponsam, et hoc tacet. Potest quidem Confessarius interrogare, an de alio recordetur, an aliquem conscientiæ remorsum habeat; et ad summum, an aliquid mali cum sponso commiserit (hujusmodi enim interrogationes solent fieri omnibus). At, si sponsa taceat; ob hoc motivum nec absolutionem, nec matrimonium ei poterit denegare; tum quia frangeret sigillum; tum ob rationes numero præcedenti allatas; at cum monitionibus, ut ibi. Et etiam, quia generaliter loquendo, non est ratio, cur potius primo pœnitenti, quam secundo possit fides præstari: eo magis quod, quia datus est casus, quod quis ad infamandam honestam conjugatam, falso aperuit in confessione, se esse illum virum cum ea conjugata solitum peccare.

311. Q. Quid observandum a Confessario circa illos, qui debent eligere statum?

℟. Quam necessaria sit divina vocatio ad eligendum statum clericalem; quomodo hæc vocatio cognoscatur; et quam graviter peccet qui sine vocatione ordinatur; diximus jam in Lib. III. a n. 14. ad 20. et ibi dicta recolantur. Hinc si Confessarius videt, aliquem Clericum non habere signa, ut ibi, vocationis; et qui non sit exemplaris, Orationi, ac Sacramentorum frequentiæ deditus; et multo magis si videat eum deditum ludis, conversationibus, otio, ebrietatibus, bla-

sphemiis, impuritatibus, aliisve vitiis; nisi vitam mutet, et per notabile tempus perseveret; non permittat ascendere ad Ordines sacros; præsertim, si remaneat in sæculo ubi ob tot occasiones, raro (perterret hæc sententia B. Ligorio Prax. Confessar. n. 93.), imo rarissime inveniuntur Sacerdotes boni: aliter in statum quasi certum damnationis illum Clericum exponeret. Sed hæc divina vocatio non solum in Clericis, sed etiam in iis, qui statum Religiosum, vel conjugalem intendunt amplecti, requiritur.

312. Q. Quid requiret Confessarius in iis, qui statum religiosum amplecti desiderant?

℟. Insinuet in primis hujusmodi pœnitenti, ut per meditationes, et preces diu protractas divinum imploret auxilium, ad Dei voluntatem cognoscendam. Insinuet pariter, ut consulat, si commode potest, alios viros in vocationis materia peritos; et etiam Confessarius oret, ne in tam gravi materia erret. Hinc expendat finem, an sit rectus, Deo nempe magis inserviendi; sæculi pericula vitandi; faciliusque æternam consequendi beatitudinem etc. Explicet etiam, ut dictum fuit Lib. III. n. 205. et seqq. obligationes, quas contrahunt Religiosi, præsertim circa vota. Et, cum Religiosi tam viri, quam mulieres Castitatem debeant vovere, et ad perfectionem tendere; expendat etiam, quomodo pœnitens fundatus, vel fundata sit in virtutibus, præsertim Castitatis. Aliter se geret, ut numero præcedenti dictum est de Clericis. Quod si finis sit mundanus, nempe vitam commodiorem agendi; parentibus, aut aliis complacendi, et hujusmodi; ne permittat: aliter infelix ille, aut illa malum habebit eventum, ut experientia docet. Et, si nihil obstet ad hunc sta-

tum amplexandum, expendat etiam Confessarius, in quam Religionem, vel Monasterium pœnitens ingredi cupiat: nam si in illo Instituto, aut Monasterio Regula non observetur; aliud Institutum, et Monasterium consulat, ubi vigeat regularis disciplina, pax, concordia, et mutua charitas; et ubi perfectius suam æternam salutem possit operari.

313. Q. Quid circa electionem status conjugalis?

℟. Quamvis communiter dicatur, statum conjugalem esse religionem adeo strictam; attamen forsan non est status, qui tam incaute sumatur, quam conjugalis. Ille, quia est primogenitus, vel unicus, vel pinguem dotem invenit, uxorem ducit. Et cum debita proportione idem facit illa mulier, quin neuter perscrutetur, an Deus in illo statu eos velit; et si in eo statu salventur: alii ob fines brutales ad instar equi, et muli, quibus non est intellectus, hunc statum assumunt. Et en causa, ob quam pax non regnat in familiis; filii male educantur; et tot scandala, et vitia regnant in mundo. Etiam iis insinuet Confessarius, ut precibus, et proborum consilio divinam perscrutentur voluntatem. Et, si hunc Statum velint eligere, eis ostendat, viro bono mulierem probam; et mulieri bonæ virum probum a Deo (Eccl. 26.) promitti; et idcirco fugiant peccata, et occasiones peccandi, præsertim mutuam familiaritatem; ut cum divina benedictione hunc statum assumant; et sic vivant in pace cum filiis in hoc mundo; et vitam æternam consequantur.

314. Q. Quid circa electionem aliorum statuum?

℟. Confessarius non solum debet insistere suis

pœnitentibus, qui statum Clericalem, regularem, vel conjugalem sumere volunt; sed etiam circa professiones, artes, negotia, contractus etc., ut nil contra justitiam, charitatem, religionem efficiant; et etiam hæ in suo statu solventur. Ut autem Confessarius sciat, quæ sint obligationes, quas habent, consulat quæ diximus Lib. III. ubi egimus de Obligationibus Ecclesiasticorum in genere; et quæ sint obligationes, quas habent Beneficiati, Canonici, Parochi, Religiosi, Moniales, Judices, Advocati, Medici, Administratores Locorum piorum, Communitatum etc.; et consulat etiam quæ diximus in 4. Præcepto Decalogi de parentibus, filiis, dominis, famulis, operariis etc.; et quæ diximus in septimo Decalogi præcepto de his, qui vendunt, emunt, aliosque faciunt contractus. Et, ut Confessarius super status electione sanum dare possit consilium, consulat Auctores, qui de hac materia tractant, et præsertim Librum Neapoli editum, cui Titulus: *Raccolta di varj esercizj di pietà*; in cujus fine valde proficuam super hac materia inveniet Instructionem.

Caput IV.

De Casibus reservatis.

315. Q. Adest ne peccatum, quod nequeat absolvi?

℟. Nullum est peccatum, per quantum grave sit, et enorme; quod Dei miseratione absolvi non possit. Sic ex illis Christi verbis (Joan. 20. 23.): *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*; semper tenuit, et tenet Ecclesia Catholica. Non omnia tamen peccata ab omnibus possunt absolvi

Confessariis. Sunt enim Casus reservati, idest sunt quædam censuræ, et peccata, quæ cum sint vel a S. Sede, vel ab Episcopis, cæterisve Prælatis reservata; hæc, regulariter loquendo, nec valide, nec licite possunt absolvi, nisi Confessarius ad hæc absolvenda sit delegatus. Communis ex Cap. 7. Trident. Sess. 14. Ratio: quia pro his casibus Confessarius jurisdictione privatur in illum pœnitentem. Dixi *regulariter loquendo*: quia in articulo, vel periculo mortis posset, ut explicatum est Lib. III. n. 158. ac 159.

316. Q. Quid agendum a Confessario, si pœnitens sit in necessitate celebrandi, vel communicandi?

℟. Cum ex citato Capite Tridentini extra mortis articulum Confessarius simplex (idest qui non habet facultatem in reservata) *nihil possit in casibus reservatis*; si reapse pœnitens versetur in tali necessitate celebrandi, vel Communicandi, quæ explicata est supra n. 99.; et Superior, vel Confessarius privilegiatus habens facultatem in reservata absque gravi scandalo, aut nota infamiæ, vel quia nimis distans nequeat adiri; Vasquez cum aliis, quos citat B. Ligorio (n. 265.) sentiunt, hujusmodi pœnitentem considerandum esse, tamquam qui Confessarii copiam non habet; et proinde consulendum esse a Confessario, ut præmissa contritione perfecta, accedat ad celebrandum, et communicandum, sed cum conditionibus supra (n. 97. et 98.) explicatis. Hæc tamen opinio non placet aliis Doctoribus, ut mox dicetur.

317. Q. Quid dicunt alii Doctores?

℟. Cum confessio omnium mortalium ex præcepto divino (Trident. Sess. 14. Cap. 5.) sacræ communioni sit præmittenda; Suarez, Lugo, a-

liique probabilius, et communissime, ut inquit B. Ligorio (n. 265.), sentiunt, omnino ad confessionem teneri pœnitentem, de quo numero præcedenti: præsertim (adderem), si dubius sit de perfecta contritione. Quamvis enim Confessarius simplex nil possit in reservata; et, si pœnitens sola confiteatur reservata, Confessarius non possit eum absolvere; posset tamen absolvere, si accuset etiam non reservata, etiamsi alias Confessa, et absoluta; in quæ directe cadat absolutio; et cum unum peccatum non possit remitti absque aliis peccatis mortalibus; etiam reservata concomitanter, ut se exprimit Ferraris (V. *Reservatio* n. 34.), et indirecte remanent absoluta; cum obligatione tamen ea confitendi Superiori, aut Confessario privilegiato; sicut etiam juxta Doctores primæ Sententiæ indirecte remaneret absolutus pœnitens (sed cum eadem obligatione), qui ex inculpabili oblivione reservatum non accusasset.

318. Q. Hæc indirecta Absolutio est ne licita?

℟. Nisi justa interveniat causa, est certe illicita. At justa interveniente causa, ut explicatum est n. 97. 98. 99. et 316., juxta præfatos Doctores, et alios, quos citat, et sequitur idem Beatus (n. 585.) licita est. Nec fini reservationis opponitur: ut enim dictum est, pœnitens in alia confessione debet reservata facultatem habenti confiteri; et ita, cum perfecta contritio non tam facile concipiatur; pœnitens tutior redditur in statu gratiæ communicandi. Et quamvis in prædictis circumstantiis aliqui Doctores sentiant, non teneri pœnitentem reservata manifestare; alii autem rectius ad ea manifestanda obligant; tum ut integram is faciat confessionem; tum ut Confessarius possit judicare, an pœnitens dispositus sit

ad absolutionem. Et huic sententiæ videtur alludere S. Thomas (Suppl. 3. p. q. 9. a. 2. ad 4.), dicens : *Etiamsi Sacerdos non de omnibus possit absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ agnoscat.*

319. Q. Quid dicendum, si pœnitens ignoret, peccatum illud esse reservatum ?

℟. Quamvis aliqui sentiant, hujusmodi pœnitentem posse absolvi etiam a Confessario simplici, præsertim prima vice : nihilominus communius et universe, ut B. Ligorio (n. 581.) ait, hoc negatur. Cum enim reservatio afficiat primario, et directe Confessarium, cujus jurisdictio limitatur, quoad absolutionem reservatorum : ignorantia hujus reservationis in pœnitente non potest conferre Confessario potestatem, quam non habet. Et hoc verificatur, sive casus reservatus sit cum censura, sive absque censura (cum aliqua tamen limitatione circa casus Papales). Licet enim ignorantia, quæ non sit crassa, et supina, aut inadvertentia excuset ab incurrenda Censura, ut dicetur Lib. V. n. 13.; casus tamen, seu peccatum semper remanet reservatum, ut legitur in Tabella reservatorum : *Casus reservati cum excommunicatione, vel cui adnexa est excommunicatio.*

320. Q. Quare dixisti : *cum aliqua limitatione etc.*

℟. Quia quoad casus reservatos a Papa, cum principaliter reserventur propter annexam Censuram (nam in Bullis legitur: *Sub pœna excommunicationis Nobis reservatæ etc.*); commune est inter Doctores, ut dicit idem Beatus (n. 580.), quod, si pœnitens ob ignorantiam, aut aliam causam ab Excommunicatione vere excusetur, cum

Censura sit medium, seu finis, quo peccatum reservatur; sublato medio, seu Censura, peccatum reservatum non remanet. Id comprobatur etiam ex Benedicto XIV., qui (Syn. Diœc. L. 9. C. 4. n. 4.) loquens de hæresi externa, et formali (vide Lib. II. n. 45. 46. et 47.), quæ primario Summo Pontifici est reservata; dicit, hæresim reservatam esse ratione Censuræ, quæ illi est adnexa; atque hinc deducit, quod, si quis interne tantum neget Fidei articulum, nulloque Signo exteriori manifestat; vel si manifestet; interne tamen illum credit; cum his casibus Censuram non incurrat, quamvis graviter contra Fidem peccet; a quocumque tamen Confessario eum absolvi posse concludit. Si autem casus Papalis reservatus sit absque censura, tunc cadit sub reservatione, etiamsi reservatio ignoretur, ut supra.

321. Q. Quid requiritur, ut peccatum censeatur reservatum?

℟. Requiritur non solum, ut peccatum illud sit a Superioribus reservatum; sed requiritur etiam 1. ut peccatum illud certo cadat sub reservatione. Hinc licet blasphemia ex. gr. sit reservata; si dubium sit, an illa locutio reapse sit blasphema; peccatum non erit reservatum. Ratio: quia reservatio, cum odiosa sit Confessariis, stricte est interpretanda: nec Confessarius absolvendi facultate est expoliandus, nisi certum sit, facultatem non habere. Ita communiter B. Ligorio, Suarez, Lugo, et alii ab eo citati n. 600. contra alios, qui hoc negant ob rationem, quia Confessarius absolveret cum jurisdictione dubia, quod est vetitum. Et confirmant auctoritate Clementis VIII. qui 9. Jan. 1601. prohibuit absolutionem a reservatis in Bulla Cœnæ etiam *dubie* contentis.

Sed præterquamquod illud verbum *dubie* anno sequenti omiserit; Auctores primæ sententiæ dicunt, hanc prohibitionem eorum sententiam confirmare: exceptio enim firmat regulam.

322. Q. Quid aliud requiritur?

℟. Ob eamdem rationem, quia reservatio est odiosa, requiritur 2. quod peccatum sit certo commissum. Hinc, si quis sit dubius, an blasphemaverit, poterit a Confessario simplici absolvi. Si autem postea pœnitens certus evadat de peccato commisso; cum denuo, ut certum debeat illud confiteri, sicut dictum est n. 204., Confessarium facultatem habentem adire debet. Cum enim Confessarius simplex *nil possit in reservatis*, ut dictum est n. 316., non *directe*, sed *indirecte* videtur absolutus pœnitens ille, et proinde a Confessario privilegiato debet *directe* absolvi. Hoc autem varii Doctores apud Beatum (ibid. q. 2.) negant. Requiritur 3. ut peccatum sit perfectum, et consummatum. Hinc, si reservetur Incestus, Stuprum, concubitus contra naturam etc., peccatum non erit reservatum, nisi consummatum sit cum seminis effusione intra vas. Communis: nisi aliter in aliqua Diœcesi sit statutum.

323. Q. Quid aliud circa reservationem est notandum?

℟. Notandum 1. quod, cum reservatio sit jurisdictionis limitatio in Confessario, ut dictum est n. 319., patet, quod, si quis ex Diœcesi, ubi suum peccatum non est reservatum, accedat in Diœcesim, ubi est reservatum; non potest absolvi a Confessario simplici. Sic contra aliquos dicit B. Ligorio cum Suarez, Lugo, et aliis, quos citat n. 588.; et confirmat ex Decreto S. C. Episc. 17. Nov. 1616. Econtra, si quis ex Diœ-

cesi, ubi suum peccatum est reservatum; in aliam accedat, ubi non est reservatum; etiam a Confessario simplici potest absolvi. Sic communissime præfati Doctores (n. 589.). Ad coercendam tamen facilitatem peccandi, Clemens X. in Const. *Superna* 21. Jun. 1670. n. 7. statuit, quod, si quis in *fraudem reservationis*, idest ob vitandum judicium proprii Superioris, et ob finem principalem absolutionis obtinendæ, ut explicat Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur idem Beatus (ibid.); *ad alienam migrat Diœcesim*, non possit a Confessario simplici absolvi. Hinc bene poterit absolvi, si ob honestum finem, vel negotii faciendi, vel Indulgentiæ lucrandæ, vel Confessarii prudentioris inveniendi, qui melius suæ conscientiæ tranquillitati consulat etc., in aliam accedat Diœcesim.

324. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 2.° quod, si quis facultatem habeat absolvendi ab omnibus casibus Papæ reservatis; non potest absolvere ab hæresi, nisi expressis verbis hæc absolvendi facultas sibi concedatur: Sic statuit Alexander VII. 23. Mar. 1656. ob maximam hujus criminis gravitatem. Hinc qui habent Bullam S. Cruciatæ in hoc Regno Neapolitano, etiamsi præter mortis articulum bis in vita, idest bis singulis illis annis, quibus Bullam accipiunt (ut declaravit Eminentiss. ac Reverendiss. Archiepiscopus Neapolitanus Cardinalis Capece Zurlo Commissarius Generalis Cruciatæ, ut videre est ap. Vella App. 1. §. 1. Dub. 2. possint a casibus Papalibus absolvi, ut legitur in Bulla n. V.; non possunt tamen ab hæresi absolvi: nec, ut ibidem legitur, possunt prædicti ab aliis casibus Papalibus absolvi, si peccent *in confidentiam Bullæ*,

idest, ut explicat Cuniliati (Tract. XIV. Cap. 4. §. 13. n. 5.), si peccent principaliter, quia vi Bullæ faciliter possunt absolutionem obtinere. Notent 3. Confessarii, quod cum ex Cap. *Liceat* 6. de Ref. Sess. 24. Tridentini possint Episcopi absolvere etiam per alios Confessarios casus occultos S. Sedi reservatos, et etiam publicos, si pœnitens impeditus sit Romam accedere; in casu necessitatis Confessarii, vel pœnitentes ad Episcopum recurrant. Qui autem sint Casus Papæ reservati, Vide Lib. V. n. 44. etc.

325. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 4., quod, qui habet facultatem absolvendi a casibus reservatis ab Episcopo in Tabella reservatorum, qui vocantur reservati *a Nobis*; non potest absolvere a casibus, qui in Jure reservantur Episcopis, qui appellantur reservati *Nobis*, ut sunt percussio levis Clerici, et procuratio abortus fœtus animati; nisi ad horum absolutionem erit pariter deputatus, vel saltem inter reservatos in Tabella Diœcesana essent inscripti, ut patet. Notandum denique, quod, si quis sub prætextu privilegiorum absque facultate absolvit a reservatis tam Summo Pontifici, quam Episcopis; ex decreto Clementis VIII. (ap. Bullar. Capuc. Tom. 6. fol. 336.) incurrit in pœnas Excommunicationis, privationis officiorum, Dignitatum, Beneficiorum, inhabilitatis audiendi Confessiones etc. Summo Pontifici reservatas. Qui autem sint Casus ab Episcopis, cæterisque Ordinariis reservati unusquisque consulat Tabellam propriæ Diœcesis.

ARTICULUS V.

De Extrema Unctione.

326. Q. Quid est extrema Unctio?

℟. Extrema Unctio, ut definitur a S. Thoma (in 4. dist. 23. q. 1. n. 1.), est Sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam salutem tam animæ, quam corporis ægroto de vita periclitandi per unctionem Olei benedicti, et orationem Sacerdotis. Et hoc Sacramentum, ut habetur in Tridentino (Sess. 14. Cap. 1. de Inst. huj. Sacr.), fuit apud Marcum « (cap. 6.) » quidem insinuatum, per Jacobum autem (Cap. » 5.) fidelibus commendatum, ac promulgatum: » *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat » Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, » ungentes eum oleo in Nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quæ autem sit materia, Forma, Minister, Subjectum, Obligatio recipiendi, Effectus, Fructus etc., in sequentibus Capitibus videbimus.

Caput I.

De Materia, Forma, et Ministro.

327. Q. Quænam est Materia hujus Sacramenti?

℟. Duplex est: remota, et proxima. Materia *Remota* ex Decreto Concilii Florentini est Oleum olivarum ab Episcopo Feria V. in Cœna Domini benedictum. Hoc sacrum Oleum ex præcepto Cle-

mentis VIII. singulis annis sub gravi, ut probabilius sentiunt tot Doctores ap. B. Ligorio (Lib. 6. n. 708.), renovandum est. Notant tamen Layman, Salmaticenses etc., quod si novum Oleum nondum habitum sit; antiquo liceat uti. Et si infra annum deficeret, *neque aliud Oleum benedictum haberi queat*; monet Rituale Rom. (de Sacr. Extr. Unct.), aliud non benedictum in minori quantitate misceri posse. Dicunt autem Bellarminus, Viva, et alii apud Beatum (n. 709.), quod si Oleum infirmorum haberi nequeat, possit extrema Unctio ministrari sub conditione cum Oleo Catechumenorum, vel Chrismatis; sed repetenda, si Oleum infirmorum postea habeatur. Hoc sacrum Oleum quamvis in Ecclesia sub gravi sit retinendum una cum Chrismate, et Oleo Catechumenorum; Gobat cum aliis apud Beatum (n. 730.) excusat Parochum, qui timens, noctu esse vocandum, nec tempus fore ad Ecclesiam accedendi; domi aliqua nocte retineret.

328. Q. Quænam est Materia *proxima*?

℟. Materia *proxima* est unctio, quæ fit cum dicto Oleo in corpore infirmi, idest, ut præscribit Eugenius IV. (ap. Collet Cap. 2. §. 1. q. 2.), *in oculis propter visum*; *in auribus propter auditum*; *in naribus propter odoratum*; *in ore propter gustum, et locutionem*; *in manibus propter tactum*; *in pedibus propter gressum*; *in renibus propter delectationem ibi vigentem.* Istæ unctiones regulariter loquendo omnes sub gravi sunt faciendæ: ita ut, etiamsi una tantum pars omitteretur, dicit Benedictus XIV. (Syn. Diœc. L. 8. C. 3. n. 5.), quod graviter peccaretur. Et si quis aliquo ex dictis membris careat; ungatur in parte viciniori. Notat autem Rituale Romanum (ibid.),

unctionem renum honestatis, et pudoris gratia semper omittendam esse in fœminis; et interdum etiam in viris, si infirmus commode moveri non possit. Hic autem nota, pedum unctionem non in omnibus locis adhiberi. Unusquisque ergo suæ Ecclesiæ consuetudinem servet. Et pariter nota ex eodem Rituali, quod *manus*, *quæ reliquis infirmis interius ungi debent*, *Presbyteris exterius ungantur*.

329. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. Quia idem Pontifex (ibid. n. 4.) referens Statutum in Pastorali Michliniensi, hæc illius verba refert: *In morbis contagiosis*, *et peste grassante*, *ut periculum vitetur*, *sufficit inungi sensus Organum magis ad unctionem expositum*, *aut detectum* (virgam oblongam oleo tinctam adhibendo, ut plures Doctores dicunt apud B. Ligorio n. 710.), *dicendo*: *Per istam Sanctam unctionem*, *et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum*, *auditum*, *odoratum*, *gustum*, *tactum*, *et gressum*. Amen. Et num. 5. subjungit: Si Parochi *prudenter timeant*, *ægrotum decessurum*, *priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones*; *unicum sensum inungant*, seu melius *caput*, *e quo omnium sensuum nervi descendunt*; *formam universalem* (idest prædictam) *pronunciando*. Si autem æger supervivat, repetantur, dicit idem Beatus, unctiones in singulis sensibus, addendo Orationes omissas; ut præscribit etiam Rituale Rom., quod pariter docet, quando sub conditione sit danda.

330. Q. Quænam est *Forma* hujus Sacramenti?

℟. Sunt verba, quæ Sacerdos profert, dum pollice intincto in Oleo per modum Crucis ungit Cor-

pus infirmi, idest, cum ungit oculos profert: *Per istam Sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid pes visum deliquisti. Amen.* Ita Tridentinum (Sess. 14. Cap. I.), et Rituale. Cum autem ungit alias partes, repetit semper eadem verba, sive eamdem Formam; sed loco *visum*, dicit *auditum* etc.; ut legitur in Rituali ipso. Cumque propter honestatem fœminæ in renibus non inungantur, ut dictum est supra (n. 328.), sicut nec illi viri, qui absque periculo moveri non possunt; *Forma* illi parti respondens omittitur. Quando autem fit unica unctio, ut dictum est numero præcedenti, unica *Forma universalis* adhibetur. Bene autem advertit idem Rituale, quod cum Sacerdos ungit partes corporis, quæ sunt pares, ut oculos, aures etc. non absolvat Formam, antequam ambas perunxerit.

331. Q. Quis est *Minister* hujus Sacramenti?

R. Est solus Sacerdos valide ordinatus. Sic ex relatis verbis (n. 326.) S. Jacobi: *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, definivit Tridentinum (ibid. Cap. 3. et Can. 4.). Quamvis autem omnis Sacerdos valide hoc Sacramentum ministret; ut autem etiam licite ministrare possit, debet habere jurisdictionem, vel ordinariam (ut sunt Episcopi, Parochi, Prælati Regulares quoad suos subditos), vel delegatam ab istis. Communis. Hinc Sacerdos, qui absque expressa, vel probabiliter præsumpta licentia Episcopi, vel Parochi extra casum necessitatis hoc Sacramentum ministraret; graviter peccaret. Et, si hujusmodi Sacerdos foret Regularis; ex Clement. *Religiosi* I. de Privilegiis, incurreret etiam Excommunicationem Papæ reservatam. Dixi *extra casum necessitatis*: quia si æ-

grotus sit in periculo moriendi, et Parochus adiri non possit, aut nollet ministrare; quicumque Sacerdos etiam Regularis valide, et licite posset ministrare, ex præsumpta saltem Papæ licentia, ne infirmus absque hoc Sacramento decedat. Sic Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Beatus (n. 723.).

332. Q. Circa *Ministrum* est ne aliud notandum?

℟. Notandum 1.°, quod Parochi, aliique curam animarum habentes graviter peccarent, si infirmo hoc Sacramentum rationabiliter petenti vel denegant, vel sine juxta causa conferre differant cum probabili periculo, ne sine hoc Sacramento moriatur infirmus: quia in re gravi non præstant id, ad quod ex justitia tenentur. Communis. Imo prædicti tenentur sub gravi extremam Unctionem ministrare sive per se, sive per alium etiam peste infectis; adhibendo virgam oblongam, ut dictum est n. 329.; præsertim si infirmus nullum aliud recepit, aut recipere possit Sacramentum; et multo magis, si verosimiliter censeatur esse in mortali, a quo, ut dicetur n. 339. per hoc Sacramentum posset liberari. Ita communiter Doctores cum B. Ligorio (n. 729.). Notandum 2.° quod, etiamsi Regulares absque licentia, ut numero præcedenti, nequeant hoc Sacramentum ministrare advenis, qui in eorum Monasteriis forte infirmantur; nec in suis Ecclesiis sepelire, si moriantur, ut decisum fuit a S. C. Concilii 27. Sept. 1670.; possunt tamen sine ulla licentia hoc, et alia Sacramenta ministrare famulis, aliisque domesticis, qui sunt eorum continui commensales, et intra Monasterii septa resident.

Caput II.

De Subjecto hujus Sacramenti, Dispositione, et Effectibus.

333. Q. Quod est *Subjectum* hujus Sacramenti?

℟. *Subjectum*, seu illi, quibus hoc Sacramentum potest, et debet conferri, sunt illi *infirmi*, *de quorum morte timetur*. Ita Eugenius IV. ad Armenos. Et Rituale Rom. dicit: *Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant; ut mortis periculum imminere videntur, et iis, qui præ senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.* Hæc habet Rituale Romanum. *Neque tamen expectetur tempus illud,* præcipit Benedictus XIV. (Const. *Ex quo* die 1. Mar. 1756. n. 46.), *quo æger suæ mentis compos non est.* Imo Catechismus Romanus (P. 2. Cap. 6. n. 9. loquens de Parochis, dicit, quod *gravissime ii peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa; vita, et sensibus carere incipiat*: cum valde prosit animæ infirmi hoc Sacramentum suscipere, dum is potest per congruos actus ad illius effectus se disponere, ut ex ipso Catechismo eruitur.

334. Q. Quid infertur ex dictis?

℟. Plura inferri possunt. 1. quam male se gerant tam Parochi, quam conjuncti, aliique assistentes ægroto, qui ne mœrore illum afficiant, non permittunt, sacro Oleo liniri, nisi quando ejus salus jam est desperata, et is sensibus jam destitutus: tot enim salutaribus effectis eum pri-

vant, ut infra dicetur num. 399. 340. et 341. Et idcirco fideles, omni, si quo imbuti sint, errore abjecto, sacram Unctionem exposcant, dum infirmitatem gravari conspexerint; et Parochi inculcent. Infertur 2. pueris illis, qui annum septimum non compleverint (nisi malitia suppleat ætatem), cum ob imperfectum usum rationis non sint adhuc peccare capaces, non est ministrandum hoc Sacramentum. Si autem de rationis usu dubitetur; tunc conferatur sub conditione. Ita probabilius sentiunt Lugo, et alii apud B. Ligorio (n. 719.).

335. Q. Quid aliud infertur?

℟. Infertur 3.°, quod cum solis graviter infirmis possit hæc sacra Unctio ministrari, non potest conferri nec prælium inituris; nec periculosam navigationem, aut peregrinationem suscepturis; nec reis ultimo supplicio damnandis; nec mulieribus in partu laborantibus; aut alia pericula subituris; ut monet idem Rituale. Notant autem Doctores apud Beatum (n. 713. d. 3.), quod si mulier tam gravibus sit oppressa cruciatibus, ut ejus mors proxima timeatur; cum graviter infirma sit tunc censenda, posset sacro Oleo liniri. Infertur 4.°, quod, cum tam lethaliter vulnerati, quam ii, qui venenum sumpserunt, sint revera infirmi, qui habent intra se causam proximam mortis; non sint hoc Sacramento privandi.

336. Q. Quibus aliis infirmis est sacra unctio deneganda?

℟. Ex Rituali Romano *penitus deneganda est tam impœnitentibus, quam illis, qui in manifesto peccato mortali moriuntur; atque etiam excommunicatis, aut nondum baptizatis*. Ebriis au-

tem non est hoc Sacramentum denegandum, nisi constet, ejus ebrietatem fuisse graviter peccaminosam, ut sentiunt Croix cum aliis apud B. Ligorio n. 732. : quia ebrietas potuit evenire absque peccato. Neganda pariter perpetuo amentibus, et furiosis, qui semper rationis usu caruerunt : hi enim ut infantes fuerunt incapaces peccandi. Dixi *perpetuo* : quia si aliquando fuerunt sanæ mentis, et peccandi capaces ; non est eis deneganda, si absque irreverentiæ periculo possit eis ministrari. Ita legitur apud Benedictum XIV. (Syn. Diœc. L. 8. C. 6. n. 4.). Ad hoc enim Sacramentum potest sufficere intentio etiam interpretativa, ut colligitur ex eodem Rituali, et dictum est n. 18. ; præsertim, si dum erant sui compotes, christiane vivebant, ita ut credatur, verosimiliter petituros. Et ob eamdem rationem non est deneganda illis christianis, qui morbo improviso correpti, omni sensu destituti, suum de peccatis dolorem, ac Sacramenti desiderium manifestare non potuerunt ; ut supra (n. 234. et 235.) dictum est pro absolutione sacramentali.

337. Q. Quid dicendum de illo infirmo, qui non curat hoc Sacramentum recipere?

℟. Quæstio est inter Doctores, an illa verba S. Jacobi: Infirmatur quis in vobis? *inducat* Presbyteros etc. importent præceptum, et absolutam necessitatem ; an consilium tantum, et simplicem adhortationem. Benedictus XIV. (ibid. Cap. 7. n. 4.) monet Episcopos, ut *abstineant a verbis, quæ videantur significare ejusdem recipiendi absolutam necessitatem* ; *ne secus videantur ipsi quæstionem dirimere hactenus indecisam.* Dicit autem ibidem, *non posse sine gravi culpa*, ut docet etiam Tridentinum (Sess. 14. Cap. 3.),

ejusmodi Sacramentum aut contemni, aut cum aliorum offensione, et scandalo negligi, et prætermitti . . . facile Sacramenti contemptum præsumi in infirmo, qui cum vita periclitetur, extremam Unctionem sciens, et volens petere negligit, multoque magis si eam sibi a Parocho exhibitam recipere renuat. Et hujusmodi infirmus peccaret etiam contra charitatem erga seipsum debitam; privaret enim se primario effectu hujus Sacramenti, idest, divino auxilio in illa extrema lucta contra dæmonem sustinenda.

338. Q. Idem infirmus potest ne iterum hoc Sacramento muniri?

℟. Cum extrema Unctio characterem non imprimat, patet, posse eam repeti; sed non in eodem morbo, et durante eodem periculo mortis. *Quod si Infirmus*, ut legitur in Tridentino (ibid.), *post susceptam hanc Unctionem convaluerit*; idest, ut explicat Benedictus XIV. (ibid. Cap. 8. n. 4.), *morbus ita remittat, ut ægrotus mortis periculum evasisse videatur; sed antequam convalescat, iterum in vitæ discrimen relabatur; etiam juxta præsentem disciplinam poterit absque scrupulo denuo sacra Unctione muniri.* Et suam assertionem corroborat auctoritate S. Thomæ (in 4. dist. 23. q. 2. a. 4.), et diversarum Synodorum, et Ritualium; ex quibus Parochi non inopportune monentur, *ne nimium scrupolose se gerant. Sed si dubitent, an revera morbi status sit mutatus; seu num idem, vel diversum sit vitæ periculum, in quo ægrotus versatur; ad Sacramenti iterationem propendant, ut per eam novum spirituale subsidium, et levamen infirmo obveniat.*

339. Q. Quinam sunt *Effectus* hujus Sacramenti?

R/. Varii sunt salutares *Effectus*, qui proveniunt ex hoc Sacramento cum debitis dispositionibus recepto. Primus est augmentum gratiæ sanctificantis, si infirmus sit in gratia, ut explicatum est n. 2. Et, si infirmus reperiatur in mortali a se vel invincibiliter ignorato, vel oblito in confessione; vel quod non potuit confiteri; aut si fuerit confessus invalide, sed absque sua culpa, ut innuimus n. 5.; per hoc Sacramentum, si fuerit sufficienter attritus, recipit etiam gratiam primam, seu remissionem peccatorum non solum venialium, sed etiam mortalium; et pœnam temporalem ipsis debitam juxta fervorem recipientis. Hoc eruitur tum ex verbis S. Jacobi: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*; tum ex Tridentino (Sess. 14. Cap. 2.), ubi loquendo de hoc Sacramento, dicit: *Cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*, et eruitur pariter ex Forma ipsius Sacramenti: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per visum etc. deliquisti*; ut SS. Patres communiter sentiunt.

340. Q. Quid sequitur ex dictis?

R. Quanta sollicitudine, et studio debeant infirmi, dum adhuc mente sunt sana, hoc tam proficuum Sacramentum et petere, et recipere: cum enim facile possit evenire, ut sint in mortali, quamvis non cogniti, nec absoluti, ac in venialibus non remissis; cum in hoc Sacramento rite recepto, peccatorum, quibus sunt gravati, possint remissionem, et veniam recipere, ut diximus; sequitur juxta monitum S. Caroli (Act. Eccl. Mediol. Par. 4.), *eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnatus*. Dixi: *dum sana sunt mente*; quia cum peccata venialia non remittantur absque aliqua eorum displi-

centia; et lethalia non condonentur absque eorum detestatione, et imperfecta saltem contritione: qui est sensibus destitutus, hujusmodi actus certe elicere nequit, ut bene advertit Benedictus XIV. (ibid. Cap. 7. n. 3.); et propterea hoc salutari Effectu privaretur, nisi forte eos jam antea elicuerit.

341. Q. Quinam sunt alii Effectus?

℟. Secundus *Effectus* est abstersio reliquiarum peccatorum: *Ac peccati reliquias abstergit*, ut supra (n. 339.) diximus. Et per has *reliquias* juxta S. Thomam intelligitur animi languor, torpor, mœror, tristitia, fastidium, anxietas, et similes pravæ affectiones, quæ plerumque ex recordatione admissorum peccatorum oriri solent; quas Dœmon illo tempore vehementius suscitat; ut ad desperationem moribundum adducat. Tertius *Effectus* est alleviare infirmum. *Et alleviabit eum Dominus*, ut n. 326., *magnam in infirmo divinæ Misericordiæ fiduciam excitando* (Trident. ibid.), *qua infirmus sublevatus; et morbi incomoda, ac labores levius fert; et tentationibus dæmonis . . . . . facilius resistit.* Quartus *Effectus* denique est liberare infirmum ab infirmitate corporali. *Et Oratio fidei salvabit infirmum* (Jacob. 5.): dummodo, ut ibid. explicat Tridentinum, *saluti animæ expedierit.*

342. Q. Quæ dispositiones requiruntur ad hoc Sacramentum recipiendum?

℟. Præter intentionem saltem interpretativam, ut dictum est n. 336., quæ in omnibus Christianis est supponenda, nisi aliter constet; requiritur status gratiæ. Hinc reus esset gravis sacrilegii (n. 28.) qui in mortali reciperet. Et quamvis ad gratiam recuperandam posset sufficere contritio

perfecta; cum autem non tam facile ea concipiatur: idcirco idem Rituale requirit, *ut, si tempus, et infirmi conditio permittat; ante extremam Unctionem Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur*; eo magis quod ad Viaticum recipiendum etiam teneantur. Et si post confessionem infirmus denuo in mortale labatur, aut peccati non confessi recordetur; debet iterum confiteri, aut saltem conteri, antequam sacro Oleo liniatur. Ut autem hoc Sacramentum non solum valide, et licite, sed etiam fructuosius recipiatur, S. Thomas (Suppl. q. 32. a. 4.) requirit actualem devotionem, fidem, fiduciam, reverentiam, et promptam conformitatem divinæ voluntati.

ARTICULUS VI.

De Ordine.

343. Q. Quid est Ordo, et quot sunt?

℟. Ordo, ut hic sumitur, est *signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur Ordinato* exercendi ministeria Ecclesiastica. Ita S. Thomas (Suppl. q. 34. a. 2.) Proprie autem loquendo, *potestas tradita* dicitur *Ordo*; *Signaculum* autem *Ecclesiæ*, seu sacer ritus, quo spiritualis illa potestas confertur; *Ordinatio* vocatur. Septem autem sunt Ordines: quatuor *Minores*, idest, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolythatus; et tres *Majores* seu *Sacri*, qui sunt Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus. Tridentinum (ibid. Cap. 2.). Canonistæ autem etiam Tonsuram inter Ordines adnumerant. Sed Theologi communiter dicunt, *Ton-*

suram non Ordinem, sed dispositionem ad Ordines esse. Quoad Episcopatum vero aliqui dicunt esse Ordinem a Presbyteratu diversum: alii esse extentionem, seu plenitudinem Presbyteratus, seu *Sacerdotium magnum*. Et hic nota, quod in primitiva Ecclesia Subdiaconatus adnumerabatur inter Ordines minores, ut constat ex Cap. *Nullus in Episcopum* 4. dist. 40. sicut etiam in præsentiarum adnumeratur in Ecclesia Græca.

344. Q. Quomodo definiuntur hi Ordines?

℟. Tonsura, quæ non est Ordo, ut diximus, sed dispositio ad Ordines, est *Cæremonia Ecclesiastica, per quam Laicus baptizatus in Clerum adscribitur. Ostiariatus est Ordo, per quem confertur ordinato spiritualis potestas aperiendi, claudendi, et custodiendi Ecclesiam.* Lectoratus est *Ordo, per quem confertur ordinato potestas legendi in Ecclesia Sacras Scripturas.* Exorcistatus est *Ordo, per quem confertur Ordinato potestas expellendi dæmones a corporibus obsessis.* Acolythatus est *Ordo, per quem confertur ordinato potestas ferendi Urceolos ad Altare; et Candelabra, ac luminaria in ipso accendendi.* Subdiaconatus est *Ordo, per quem confertur ordinato potestas deferendi Calicem ad Altare; ministrandi Diacono, et Epistolam cantandi in Missa solemni.*

345. Q. Quid est Diaconatus, Presbyteratus, et Episcopatus?

℟. Diaconatus est *Ordo, per quem confertur Ordinato potestas ministrandi, proximeque inserviendi Sacerdoti in Missa solemni; canendi Evangelium, ac prædicandi.* Presbyteratus vero est *Ordo, per quem duplex potestas confertur ordinato. Una in Corpus Christi reale nempe*

transubstantiandi panem , et vinum in Corpus , et Sanguinem Christi : altera in corpus Christi mysticum , idest remittendi , et retinendi peccata ; seu quod idem est , *absolvendi dispositos a peccatis ; et negandæ , vel suspendendæ absolutionis indispositis.* Episcopatus denique , est *Sacerdotium magnum , per quod confertur Episcopo consecrato potestas conferendi Sacramenta Confirmationis , et Ordinis* ; præter ea, quæ possunt simplices Presbyteri.

346. Q. Singuli Ordines sunt ne Sacramenta ?

℟. Quod Ordo , seu sacra Ordinatio sit vere Sacramentum a Christo Domino institutum , et unum ex illis , quod imprimit characterem ; definivit jam Tridentinum (Sess. 23. Cap. 3. et 4.) ; et Can. 3. anatematizat eos , qui negarent. An autem singuli Ordines sint Sacramenta ; magna est quæstio inter magni nominis Theologos , ut videre est apud Benedictum XIV. (Syn. Diœc. Lib. 8. Cap. 9. n. 2.) , B. Ligorio (n. 736. 737.), et alios. Idem Summus Pontifex tamen dicit (ibid. n. 2.) inter eos *communiter convenire* , *veram Sacramenti rationem participare* (præter Sacerdotium) *etiam Episcopatum , et Diaconatum* ; et auctoritatem refert Vasquez , qui hoc probat cum Canone 6. ejusdem Concilii , quod excommunicat eos , qui negant , in *Ecclesia Catholica esse Hierarchiam divina ordinatione institutam , quæ constat ex Episcopis* ; *Presbyteris* , *et Ministris* , per quos Ministros ad minimum Diaconos intelligere oportet. Et probatur etiam ratione Theologica : nam tam in Episcopatu , quam Presbyteratu, et Diaconatu accipitur Spiritus Sanctus , quod indicat gratiæ sanctificantis infusionem.

347. Q. Quid dicendum de aliis Ordinibus ?

℟. Respondet idem Summus Pontifex, et dicit (n. 3.): *Quæstio valde admodum difficilis, et implexa est, an reliqui Ordines Diaconatu inferiores verum sint Sacramentum*; et rationem affert n. 6., *quia obscura, et incerta est Ordinum infra Diaconatum origo*; et n. 12. concludit, etiam se dubium hærere; nec ullam in hac difficillima controversia sententiam fert; et monet Episcopos, ne reos sacrilegii declarent eos, qui ad hos inferiores Ordines in statu gratiæ non accedunt; dummodò etiam non communicent, ut plerumque fit: *ne tali pacto, aut controversiam ignorare, aut illam videantur decidere.* Quamvis autem hi Ordines sint Sacramentum; non plura tamen, sed unum constituunt integrale, seu finale Sacramentum; cum omnes tendant ad Eucharistiam conficiendam. Videamus nunc, quæ sit Materia, Forma, Minister, Subjectum, Effectus, et alia, quæ Ordines respiciunt.

CAPUT I.

De Materia, Forma, et Ministro Ordinis.

348. Q. Quænam est Materia, et Forma Tonsuræ?

℟. Secundum Canonistas, qui volunt, Tonsuram esse Ordinem, *Materiam remotam* dicunt esse Superpelliceum; hujus autem impositionem esse *Materiam proximam*; et verba quæ profert Episcopus in impositione, esse *Formam*. Cum autem juxta Theologos Tonsura non sit Ordo, sed dispositio ad Ordines; stricte loquendo non habet nec Materiam, nec Formam. Sed Capilli, qui

tondentur, sunt quasi *Materia remota*; illorum detonsio *Materia proxima*, et verba, quæ tunc ab Episcopo, et Tonsurando proferuntur, sunt quasi *Forma*.

349. Q. Quænam est Materia, et Forma Ordinum?

℟. Cujuscumque Ordinis duplex est Materia, remota, et proxima. Materia *remota* Ostiariatus sunt *Claves*, quæcumque sint, dummodo aptæ sint ad aperiendum (S. R. C. 11. Mar. 1820.). Materia *remota* Lectoratus est *Liber* continens sacras Lectiones; ut sacra Biblia, Missale, Breviarium. Materia *remota* Exorcistatus est *Liber* continens Exorcismos; ut Rituale Romanum, Missale, Pontificale. Materia *remota* Acolythatus sunt *Urceolus vacuus*, et *Candelabrum cum cereo extincto*, Materia *remota* Subdiaconatus est *Calix vacuus cum Patena vacua*, *et Liber Epistolarum*. Horum Instrumentorum traditio est Materia *proxima*. Et verba, quæ ab Episcopo proferuntur in traditione Instrumentorum sunt *Forma*. Et hic nota, quod ob majorem securitatem hujusmodi Instrumenta physice, seu tactu reali tangenda sunt ab Ordinando; et ita in praxi est tenendum. Communis.

350. Q. Quænam est Materia, et Forma Diaconatus?

℟. Circa Materiam, et Formam tam Diaconatus, quam Presbyteratus magna est inter tot celeberrimos Doctores controversia, ut videre est apud Benedictum XIV. (Syn. Diœc. Lib. 8. Cap. 10.), qui etiam diversas sententias et examinat, et refert. At nihil decidit; et proinde valde præsumptuosus esset judicandus qui quod tantus Pontifex noluit decidere, ipse decidere auderet. In

praxi ergo dicendum est, duplicem esse Materiam *remotam* Diaconatus; *Manus* scilicet Episcopi, et *Liber Evangeliorum*. Impositio vero manus Episcopi super caput Ordinandi, et traditio Libri Evangeliorum est materia *proxima*. Verba autem, quæ ab Episcopo proferuntur tam in manus impositione, quam in Libri traditione, erit *Forma*.

351. Q. Quænam est Materia, et Forma Presbyteratus?

℞. Omissis quæstionibus, ut mox diximus, juxta praxim præsentem Ecclesiæ etiam Presbyteratus Materia duplex est. Materia *remota* sunt tam manus Episcopi, et Presbyterorum, quam *Calix cum vino, et Patena cum hostia*. Materia *proxima sunt Impositiones* manuum, et præsertim illa *Impositio*, quam Episcopus, ac Presbyteri faciunt manu extensa super Ordinandos; nec non traditio Calicis cum vino, et Patenæ cum hostia. *Forma* autem sunt verba illa, quæ Episcopus profert, tam quando tenet una cum Presbyteris manum super ordinandos, idest *Oremus fratres* etc., quam verba *Accipe Spiritum Sanctum* etc. circa finem Missæ; nec non verba, quæ Episcopus profert in traditione Calicis, et Patenæ: quæ tria, nempe Cuppa Calicis, Patena, et Hostia physice debent tangi ab ordinando. Hic autem nota, quod ultima manuum impositio cum verbis *Accipe Spiritum S.* etc., ut probat Togni (Cap. 3. §. 1.), non est de essentia.

352. Q. Quid dicendum, si in Ordinatione fuerit aliquid prætermissum?

℞. Si, quod fuit forte prætermissum in Ordinatione Diaconi, vel Presbyteri, respiciat valorem Sacramenti, idest, Materiam, et Formam,

dicit Gregorius IX. (in Cap. *Presbyter.* 3. de Sacr. non interand.) *Statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, caute supplendum quod per errorem fuerit prætermissum.* Imo, cum quidam Sacerdotio initiandus ad Calicem cum Patena tangendam forsan distractus non accessisset; re delata ad S. C. Concilii, ut refert idem Benedictus XIV. (ibid. n. 1. et 13.) rescriptum fuit, *totam Ordinationem sub conditione iterandam esse.* Dicit autem Gobat cum aliis universim apud B. Ligorio (n. 759.), quod si ob solum dubium sub conditione iteretur Ordo, vel supplenda sit aliqua cæremonia prætermissa, ex. gr. manuum unctio etc.; poterit iterari quovis die, et a quocumque Episcopo.

353. Q. Quis est Minister Ordinis?

℟. Minister Ordinarius est solus Episcopus. Sic ex Concilio Florentino, et Tridentino (Sess. 23. Cap. 4. et Can. 7.) docet Ecclesia Catholica. Ex commissione autem Papæ etiam simplex Sacerdos contulit Tonsuram, et Minores Ordines; et etiam Cardinales in propriis Ecclesiis, et suis subditis; et Abbates Regulares pariter suis subditis Regularibus possunt ex eodem Tridentino (ibid. Cap. 10. de Ref.) Tonsuram, et Minores Ordines conferre. Quamvis autem a quocumque Episcopo quis ordinetur, valide foret ordinatus: is autem, qui ab alieno Episcopo absque litteris dimissorialibus proprii Ordinarii, Ordines, et etiam solam Tonsuram susciperet; et graviter peccaret (B. Ligorio n. 769.); et remaneret *suspensus a susceptorum Ordinum executione*; *quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire*; *et Ordinans a collatione Ordinum foret per annum suspensus.* Sic statuitur in Tridentino (ibid. Cap. 8.).

354. Q. Quis censendus est *proprius* Episcopus?

℟. Quatuor modis Episcopus potest censeri proprius, ut ab eo possit quis Ordines suscipere: ratione originis, ratione domicilii, ratione Beneficii, (Bonifac. VIII. in Cap. *Cum nullus* 3. de Tempore Ordinat. in 6.); et ratione familiaritatis (Trident. ibid. Cap. 9.). Quomodo autem intelligendi sint isti quatuor modi, explicat Innocentius XII. in Constit. *Speculatores* die 4. Nov. 1694. Episcopus *Originis* (n. 9.) est ille, in cujus Diœcesi quis naturaliter natus est, et non jam ex *accidenti occasione, nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ* ejus patris in illo loco. Episcopus *domicilii* (n. 11.) is reputatur, in cujus Diœcesi aliquis ita commoratur, ut juret, se non habere animum in locum originis redeundi ad figendum domicilium; et vel per decennium ibi commoretur; vel majorem partem suorum bonorum transtulerit, et habitationem construxerit. Hinc patet, professores, studentes, artifices, et quemcumque alium, qui in aliquo loco commoratur cum animo discedendi, et in patriam, aut alio redeundi; non posse ab illius loci Episcopo ordinari.

355. Q. Quis censendus est Episcopus proprius *ratione Beneficii, et Familiaritatis?*

℟. *Ratione Beneficii* censetur ille, in cujus Diœcesi pacifice aliquis possidet Beneficium Ecclesiasticum, quod, detractis oneribus, sufficiat ad congruam sustentationem (n. 8.), juxta Taxam Diœcesanam, absque supplemento Patrimonii. An autem detrahenda sint onera etiam Missarum, S. C. Concilii 17. Jul. 1723., ut refert Lambertini (Inst. 26. n. 6.), relinquit arbitrio, et conscien-

tiæ Episcopi. Denique *ratione Familiaritatis* censetur Episcopus proprius ille, in cujus actuali servitio saltem per triennium fuerit quis commoratus sumptibus ipsius Episcopi, qui tamen intra mensem (n. 13.) ei conferre debet Beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, ut supra. Hic autem nota, quod in omnibus hisce occasionibus debet ordinandus litteras testimoniales exibere Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, vita, et moribus; ut statutum in dicta Const. *Speculatores*. A quo autem ordinandi sint Regulares, vide L. III. n. 220.

Caput II.

De Subjecto, Effectibus, et aliis, quæ Ordinem respiciunt.

356. Q. Quisnam est *Subjectum* Ordinis?

℟. Est ille, qui ad Ordines suscipiendos aspirat. Alia autem requiruntur, ut quis valide; alia, ut licite Ordines suscipiat. Ut valide Ordo, et etiam Tonsura conferatur, requiritur 1., ut vir, qui debet ordinari, sit babtizatus, *cum Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum*. Sic legitur in C. *Veniens* 3. de Presbyt. non baptiz. Hinc cum compertum fuisset, quemdam ordinatum esse Presbyterum, qui non erat baptizatus, jussit Innocentius III. (in cit. Cap. *Veniens*), baptizari, et iterum ordinari. Requiritur 2., quod ordinandus, si sit adultus, intentionem saltem habitualem habeat, Ordines recipiendi, ut dictum est n. 17. Dixi: *si sit adultus*; quia si quis Episcopus esset adeo temerarius, ut infantem ordinaret; illicite quidem, sed vali-

de Ordinem illum conferret ; ut eruitur ex Const. *Eo quamvis* Benedicti XIV. die 4. Maj. 1745. n. 20. intentionem supplente Christo, vel Ecclesia, ut dictum est n. 18.

357. Q. Quænam requiruntur ad licitam Ordinum susceptionem ?

℟. Quam necessaria sit Sanctitas vitæ, divina Vocatio, Scentia, Titulus Ordinationis, vidimus jam Lib. III. a n. 3. ad 32. Et ibi (a n. 22. ad 41.) locuti etiam sumus de obligatione castitatis, habitus, et tonsuræ, et a n. 42. ad 73. tetigimus quæ Clericos dedeceant; et ibi dicta recolantur. Videamus nunc, quæ alia requirantur ad licitam Ordinum susceptionem. Requiritur ergo 1.° *Status gratiæ* per Sacramentalem Confessionem recuperatus. Quamvis enim incertum sit, an omnes Ordines sint Sacramenta, ut diximus n. 346. et 347. ; adhuc tamen status gratiæ requiritur ob sacram Eucharistiam, quæ in Ordinatione solet suscipi. Requiritur 2.° *Intentio recta* ; ita ut aliquis hunc statum eligat *non sæcularis judicii fugiendi fraude*, ut Tridentinum (ib. Cap. 4. de Ref.) præscribit etiam pro simplicibus tonsurandis ; *sed ut Deo fidelem cultum præstet*. Hinc B. Ligorio (n. 785.) cum multis Doctoribus probabilius credit, graviter peccare eum, qui Tonsuram etc. suscipit animo effugiendi forum laicale, et postea redeundi ad sæculum : cum hanc pravam intentionem Concilium *Fraudem* appellet. Vide etiam quæ de hac Intentione diximus, loquendo de vocatione.

358. Q. Quid aliud requiritur ?

℟. Requiritur 3.° quod ordinandus immunis sit ab omni Censura, et Irregularitate. Communis ex C. *Sæpe contingit* de Temp. Ordin. in 6. Requiritur 4.° *Ætas legitima*, idest, ut statuitur in præ-

citata Const. (n. 356.) *Eo quamvis* n. 19. pro Tonsura de jure communi requiritur ætas septem annorum; pro Ordinibus minoribus a septimo ad decimum quartum annum; pro Subdiaconatu (Trident. ibid. Cap. 12. (annus vicesimus secundus; pro Diaconatu vicesimus tertius; pro Presbyteratu vicesimus quintus. Sufficit autem, ut annus a Concilio præscriptus sit inceptus etiam per unam horam. Sic communiter, et in praxi apud omnes receptum est. Et si quis absque legitima ætate (et idem dic, si extra trmpora statuta, aut sine Dimissoriis litteris) ad sacros Ordines recipiendos accedere præsumeret, *a suorum Ordinum executione ipso jure est suspensus*; *et si hujusmodi suspensione durante*, *in iisdem Ordinibus ministrare præsumpserit*; *eo ipso Irregularitatem incurrat*. Sic Pius II. Const. *Cum ex sacrorum* die 17. Nov. 1461. At si causa ejusdem Suspensionis, et Irregularitatis est occulta, ex Cap. 6. Trident. Sess. 24. posset Episcopus absolvere, et dispensare.

359. Q. Quare dixisti: *de Jure Communi?*

℟. Quia in hoc Regno Neapolitano juxta Concordatum 2. Junii 1741. confirmatum Art. 21. ab ultimo Concordato 16. Feb. 1818. nullus promoveri potest ad Tonsuram, nisi post completum Annum decimum suæ ætatis per triennium in aliquo Seminario, aut Convictu Ecclesiastico extiterit; aut de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inservierit; et proinde requiritur, ut tonsurandus compleverit jam annum decimum tertium: dummodo non sit arctatus ob aliquod Beneficium, vel Cappellaniam Ecclesiastica auctoritate erectam, quæ sit perpetua, et vacans, cujus nominatio juxta sacros Canones non amplius possit differri;

et Beneficium fundatum sit ante Concilium Tridentinum: quia hisce casibus etiam ante dictam ætatem, et absque dicto triennali Servitio posset quis ad Tonsuram promoveri. Sic statuitur Cap. 4. n. 3. et 5.

360. Q. Requiritur ne aliud?

℟. Requiritur 5., ut etiam ad recipiendam Tonsuram debeat quis esse confirmatus (Trid. ib. Cap. 4.). Requiritur 6. (Trident. ib. Cap. 11.), ut Ordines gradatim, et non per saltum recipiantur; idest, Tonsura, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus. Requiritur 7., ut Ordines diebus ab Ecclesia statutis conferantur; idest, ut habetur in Pontificali; vel Sabbatis quatuor Temporum, vel Sabbato *Sitientes* ante Dominicam Passionis, vel Sabbato Sancto. Ordines minores autem possunt etiam diebus Dominicis, vel Festivis de præcepto quamvis abrogatis, ut declaravit S. R. Congregatio 12. Nov. 1831. ad 16 et etiam extra Missam de mane conferri. Tonsura vero quocumque die, et hora. Requiritur 8.°; ut de uno Ordine ad alium Interstitia serventur; super quibus autem ex causa potest Episcopus dispensare. Requiritur denique ex eodem Tridentino (ibid.), ut Ordinandus exercuerit in Ecclesia Ordines antea susceptos.

361. Q. Quot sunt *Effectus* Sacramenti Ordinis?

℟. Tres sunt præcipui. Primus est *gratia secunda*, seu augmentum gratiæ, quam recipit ordinandus, si non sit in mortali. Et per accidens posset etiam *gratiam primam* (n. 2.) recipere; si bona fide credens esse in gratia, reapse non sit, ut explicatum est supra (n. 5.). Et, si quis

in mortali (quod absit) ad Ordinis Sacramentum accedit, non solum gratiam non recipit, sed gravissimo Sacrilegio se alligat. Cum autem hoc Sacramentum characterem imprimat; remoto obice per pœnitentiam, gratia reviviscit, ut supra (n. 7.) diximus cum S. Thoma. Hic autem nota, quod cum certum non sit, an omnes Ordines sint Sacramenta, ut dictum est n. 347., hinc nec certum est, an omnes, qui in mortali ordinantur, in Minoribus, aut in Subdiaconatu, rei sint sacrilegii: dummodo tamen non communicent. Secundus Effectus est *gratia Sacramentalis* (n. 2.), ob quam digne ordinatus jus acquirit ad consequendum a Deo illa auxilia, quæ necessaria sunt ad rite obeunda propria munera. Tertius Effectus est spiritualis potestas, quæ per impressionem characteris semper perdurat in ordinato.

362. Q. Quid præterea notandum circa hos Ordines.

℟. Notandum 1.° quod, si quis stans jam ad Altare pro ordine recipiendo, recordetur alicujus peccati mortalis non rite confessi; si posset absque infamia ab Altari recedere, et tempus suppetat; teneretur confiteri. Sin minus, ad perfectam contritionem se excitet, et accedat ad Ordinem, ad Communionem; et quamprius confiteatur. Notandum 2.° quod, cum qui Presbyter ordinatur, post Offertorium debeat legere Missam cum Episcopo, curet omnia verba eodem momento cum Episcopo proferri; et præsertim verba consecrationis, quæ incipiat, et absolvat cum Episcopo, nec ante, nec post: quia si ipse absolveret antequam absolvat Episcopus; Episcopus nihil consecraret, quod inconveniens videtur; et sic vice-

versa. Hinc Neopresbyter formet intentionem non consecrandi, si casu antequam Episcopus absolvat, ipse jam absolvisset.

363. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 3.° quod illæ tres Missæ, quas Episcopus injungit celebrandas de Spiritu Sancto, de B. Virgine, et pro defunctis; Neopresbyter tenetur celebrare primis diebus, quibus possunt Missæ Votivæ, et de *Requiem* legi; post quam primam Missam celebravit. Et quamvis, quæstio sit, an teneatur etiam applicare; ob majorem securitatem, et etiam ob quamdam gratitudinem applicet. Notandum 4.°, quod Nocturnum talis dici, quod Episcopus injungit ordinatis Diaconis, et Subdiaconis, est Nocturnum illius diei, quo ordinantur, nisi Episcopus aliter determinet. Notandum denique, quod Litteræ dimissoriales alicui concessæ, ut ordinetur apud alienum Episcopum; non expirant morte concedentis, nisi a Successore revocentur. Sic communiter Doctores apud B. Ligorio (n. 782.).

ARTICULUS VII.

De Matrimonio.

364. Q. Quid est Matrimonium?

℟. Matrimonium, ut hic sumitur, est *Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, quo vir, et mulier corporum suorum dominium legitime sibi tradunt, et acceptant, ad prolem generandam, pieque instituendam*; *et etiam*, ut innuit Apostolus (1. Cor. 7. 9.), *ad remedium concupiscentiæ.* At hic nota, quod traditio corporum effectiva, seu carnalis conjunctio non est

de essentia matrimonii : nam inter S. Josephum et Mariam Virginem verum fuit matrimonium, etiamsi carnalis conjunctio nunquam adfuisset. Cum autem Matrimonii celebrationem soleant præcedere Sponsalia, et Denunciationes; cumque aliqua adsint Impedimenta, quæ vel illicitum, vel invalidum reddant Matrimonium : hinc, ut debitus servetur ordo; in duas Sectiones hunc Articulum dividemus. In prima loquemur de Sponsalibus, Denunciationibus, et Impedimentis; in secunda de iis, quæ respiciunt Matrimonium ipsum.

SECTIO I.

De Sponsalibus, Denunciationibus, et Impedimentis.

365. Q. Quid sunt Sponsalia, et Denunciationes?

℟. Quamvis sub nomine Sponsalium veniant quandoque illa munera, quæ Sponsæ solent offerri; et intelligatur etiam Matrimonium ratum, et non consumatum, quo sensu B. V. Maria licet vere nupta S. Josepho, in Evangelio (Matth. 1. 18.) dicitur *desponsata Joseph*: stricte autem sumpta, Sponsalia aliud non sunt, quam illa *promissio*, *quam vir*, *et mulier sibi invicem faciunt*, *matrimonium contrahendi.* Denunciationes autem sunt illæ publicationes, quæ a Parochis in Ecclesia fiunt ante contrahendum Matrimonium. Quid autem requiratur, ut Sponsalia sint valida, et licita; an sint obligatoria; et an possint dissolvi; et pariter quæ, et quot Denunciationes debeant Matrimonium præcedere; et quis sit earum effectus, et quæ sint Matrimonii Impedimenta; sequentia Capita demostrabunt.

Caput I.

De requisitis, ut Sponsaiia sint validа, et licita.

366. Q. Quid requiritur, ut Sponsalia sint valida?

℟. Multa requiruntur 1.° ut illa promissio, quam vir, et mulier sibi faciunt, Matrimonium contrahendi, sit libera (ut ex Cap. *Gemma* 29. de Sponsal.); mutua, et acceptata ab utraque parte. Communis. Hinc, si vir promittat mulieri, et hæc acceptet, sed non repromittat; non sunt Sponsalia; nec vir ad Matrimonium teneretur vi Sponsalium, sed ad summum vi simplicis promissionis, si hæc fuisset absoluta, ac gratuita; quod in dubio non est præsumendum. Requiritur 2.°, ut hæc mutua promissio sit aliquo signo externo manifestata, ex. gr. verbis, scriptura, immissione anuli in digitum sponsæ, aut aliis modis juxta communem intelligentiam, et patriæ morem; et, si promissio foret mere interna, seu mente retenta; non obligaret: cum in contractibus, ut sunt Sponsalia, intentio retenta in mente nil operetur. Communis.

367. Q. Quid aliud requiritur?

℟. Requiritur 3.°, ut Sponsalia fiant inter personas habiles; idest, quod habeant saltem septem annos completos; quod sint sui compotes; non amentes; non furiosi; et quod non habeant ullum Impedimentum nec impediens, nec dirimens, juxta dicenda n. 390. etc. ad contrahendum matrimonium; dummodo pactum non interveniat petendi dispensationem, quæ soleat concedi; et adsit justa causa petendi: nam hoc casu Sponsalia

uxta multos essent valida. Vide B. Ligorio Lib. 6. n. 859. Requiritur 4.°, quod Sponsalia fiant ab illis, qui Matrimonium contrahere volunt, et non jam a parentibus; dummodo parentes Sponsalia non faciant, præsente, et consensiente filio, vel filia; et, si filius, aut filia non fuerit præsens; habita tamen notitia promissionis a parentibus suo nomine factæ, ipse, vel ipsa ratificaverit expresse, vel tacite; quia tunc ex Cap. *Si infantes* de Despons. impub. in 6. redduntur valida.

368. Q. Requiritur ne aliud?

℟. Requiritur 5., quod mutua promissio, quæ fit a viro, et muliere; sit *vera*, et non ficta. In Sponsalibus enim requiritur consensus internus contrahendi, et se obligandi. Communis ex Cap. *Ex Sponsalibus* de Sponsal. in 6. Hinc quamvis ficte promittens graviter peccaret, et ad damna resarcienda, si quæ allata fuerint, teneretur: attamen dubium est, an in foro conscientiæ hujusmodi Sponsalia sint valida, ut dicit Benedictus XIV. (Inst. Eccl. 46. *U.* 15.); et obligent. Dixi *in foro conscientiæ*: quia in foro fori, dummodo non probetur, promissionem fuisse fictam; præsumitur vere, et serio facta; et proinde ficte promittens deberet a judice ad servandam promissionem obligari: ne videatur, fraus, et dolus, sibi prodesse: quod ex Cap. *Sedes* 15. de Rescript. etc. nequam est.

369. Q. Datur ne aliqua exceptio?

℟. Excipitur, ut bene advertit A Goritia (Tab. 83.), quod si ficte promittens, copulam extorserit, præsertim a persona, quæ fictionem advertere non potuit; ut contingere solet inter personas æqualis, vel quasi æqualis conditionis; tunc etiam in foro conscientiæ teneretur vi con-

tractus innominati : *do*, *ut des* : *facio*, *ut facias.* Sicut ob eamdem rationem teneretur ; etiamsi mulier esset inæqualis, si vir juramento promissionem firmasset. Requiritur denique, ut promissio sit *deliberata*, et libera ab omni coactione, et gravi metu. Ut enim præscribit Alexander III. in Cap. *Cum locum* 14. de Sponsal : *Ubi metus*, *vel coactio intercedit*, *locum non habet consensus* : qui, ut diximus, est tam necessarius in Sponsalibus. Et hic nota, quod, quando Sponsalia non sunt valida, non inducunt Impedimentum publicæ honestatis, ut statuit Tridentinum (Sess. 24. Cap. 3. de Ref.).

370. Q. Quid requiritur, ut Sponsalia sint licita ?

℟. Requiritur, ut adsit consensus genitorum, aliorumve majorum, aut Tutorum, ad quos cura filii, vel filiæ spectat. Quamvis enim de jure communi Sponsalia valida sint etiam absque consensu dictorum majorum ; imo etiam ipsis insciis, atque contradicentibus, ut communiter docent Doctores cum Benedicto XIV. (ibid.) : nihilominus cum ex nuptiis absque parentum consensu factis ; et multo magis ipsis invitis, et contradicentibus, multa scandala, et inconvenientia soleant oriri ; atque etiam ob reverentiam, et obedientiam, quam filii debent in parentes, et non curant ; omnes conveniunt, hujusmodi Sponsalia illicita esse, et peccaminosa. An autem sint graviter, vel leviter peccaminosa, quæstio est inter Doctores, ut videre est apud B. Ligorio (n. 849.). Certum est autem, si fiant in parentum contemptum, graviter esse peccaminosa : sicut non peccaminosa, si contrahantur cum conditione, si parentes assentiantur.

Caput II.

De Obligationibus, quas pariunt Sponsalia.

371. Q. Quas obligationes pariunt Sponsalia?

℟. Varias. Prima obligatio est, quod, quando sponsalia sunt valida, quamvis occulta, obligant virum, ac mulierem ad contrahendum tempore præfixo Matrimonium. Et si nullum tempus fuit præfixum, contrahendum est quamprimum fieri potest, altera parte exigente; vel juxta consuetudinem patriæ: dummodo ad dilationem vel invicem, vel una tantum ex partibus expresse, vel tacite non consentiant; vel justa differendi causa non adsit. Promissio enim mutua, et utrimque onerosa in re gravi, ut est præsens, graviter obligat ex justitia. Et, si quis injuste velit resilire, post debitas monitiones etiam per Censuras potest ad instantiam partis compelli. Ceterum *cum coactiones difficiles solent exitus frequenter habere*, ut bene advertit Lucius III. (Cap. *Requisivit* 17. de Spons.); *et Matrimonia debeant esse libera*; pars resiliens *monenda est potius, quam cogenda*. Vide Jura apud Ferraris V. *Sponsalia* a n. 49. ad 61. Semper autem teneretur resarcire damna, si quæ pars innocens passa sit.

372. Q. Quid dicendum, si sponsa esset inferioris conditionis?

℟. Si hæc inferior conditio nota fuit sponso; generaliter loquendo pariter sub gravi teneretur sponsus eam ducere: quia volenti, et consentienti nulla fit injuria. Et sic viceversa; si sponsi conditio esset inferior conditione sponsæ. Dixi *generaliter loquendo*: quia si ex hujusmodi Ma-

trimonii celebratione mali timeantur exitus, rixæ, perturbationes, discordiæ inter propinquos, aut alia gravia inconvenientia, ut plerumque solet inter valde disparia Matrimonia; tunc Sponsalia utpote de re illicita non obligarent. Sic Layman, et alii apud B. Ligorio (n. 877.): qui tamen advertunt caute considerandas esse has minas, rixas etc.: sæpe enim minæ, et discordiarum pericula jactantur; vel si sunt vera, post contractum Matrimonium facile cessant, et animi conciliantur; præsertim, si sponsi non sint valde disparis conditionis. Si autem sponsa sic derelicta alium sponsum paris conditionis non inveniat; aut aliud damnum patiatur; teneretur sponsus resarcire, dotando, dotem augendo, aut aliis modis.

373. Q. Quænam est secunda obligatio Sponsalium?

℟. Est, quod, si vel sponsus, vel sponsa aliquo occulto defectu laboret, qui perniciosas redderet nuptias; ut infamia, morbus gallicus, lepra, aut alia contagiosa infirmitas; tunc, ut cum communi sentit idem Beatus (n. 864.), vel hunc defectum manifestare tenetur; vel abstinere a Sponsalibus, vel, si sint contracta, Matrimonium non contrahere; nisi, ut advertit Sporer cum aliis (ibid.), etiam altera pars eodem defectu laboret. Ratio: quia, sicut peccat contra justitiam qui vendit merces noxias pro bonis; ita a fortiori qui fingens se sanum, cum pernicioso defectu vult se jungere cum alia parte, quæ vere est sana. Dixi: si defectus *perniciosas redderet nuptias*: quia, si tales non redderet; pars defectuosa non teneretur suum defectum manifestare. Hinc mulier, quæ creditur virgo, sed est corrupta; quamvis non possit decipere sponsum, se virginem asse-

rendo ; non teneretur tamen suam infamiam manifestare ; dummodo non sit incincta ; sed potest etiam interrogata dissimulare æquivoce respondendo : tunc enim non fingit, sed occultum defectum occultat. Et sic de aliis defectibus occultis non perniciosis. Beatus ibid. n. 865.

374. Q. Ad quid aliud obligant Sponsalia ?

℟. Obligant sponsos ad se invicem sancto amore prosequendos ; et ad nihil faciendum, quod, si sponsalia contracta non essent, foret peccatum. Et idcirco occasiones fugiant peccandi ; conversationes non necessarias evitent. Et, si quandoque sponsus ob necessitatem, vel etiam ob solam convenientiam sponsam visere debeat ; nunquam solus cum sola, sed adsint semper parentes, vel alii majores. Fugiant etiam occasionem peccandi cum aliis. Et meminerint sponsi, quod peccantes cum aliis, præter peccatum contra Castitatem, etiam contra Justitiam peccarent ; et foret circumstantia mutans speciem in confessione explicandam : quia, ut probabilius sentit Henno cum aliis apud Ferraris V. *Luxuria* n. 9. sponsus, et sponsa post contracta Sponsalia, non sunt amplius personæ liberæ, et plene solutæ ; sed jam promissæ ; et idcirco peccans cum alia persona, injuriam facit comparti, præter alia inconvenientia, præsertim, si mulier cum alio peccaret.

375. Q. Sunt ne aliæ obligationes Sponsaliorum ?

℟. Si Sponsalia juxta dicta n. 366. etc. sint valida ; nec Sponsus, nec Sponsa posset alia Sponsalia inire ; et si iniret, juxta communiorem, et probabiliorem sententiam, secunda Sponsalia essent invalida, utpote de re illicita, et contra

fidem in primis Sponsalibus datam. Et quamvis secunda Sponsalia forent juramento firmata ; aut copula intercesserit cum muliere secunda ; semper forent invalida , et ad prima Sponsalia redeundum : quia quoad juramentum ; hoc non est vinculum iniquitatis ; et quoad copulam fornicariam , hæc non potest adimere jus a prima muliere in Sponsalibus acquisitum. Sic Layman , Sporer , et alii , quos citat , et sequitur B. Ligorio (n. 848.). Bene tamen dicti Doctores advertunt , quod si secunda mulier ob deflorationem grave passura esset detrimentum ; prima mulier , quamvis non teneretur ; ob impediendum tamen hoc gravissimum proximi detrimentum , et ob quamdam æquitatem , bene faceret juri suo cedendo.

Caput III.

De Dissolutione Sponsalium.

376. Q. Sponsalia possunt ne dissolvi ?

℟. Maxime ; et multis de causis. Primo Sponsalia , etsi jurata , dissolvuntur , seu potius suspenduntur per subsequens Matrimonium cum alia persona valide contractum (Cap. *Si inter* 31. de Spons.). Licet enim , cum Sponsalia fuerunt valida , illa persona , quæ Matrimonium contraxit , alia rationabiliter invita , graviter peccaverit contra Justitiam , violando fidem datam ; hujusmodi Matrimonium tamen non potest dissolvi , ut constat ex dicto Cap. *Si inter*. Dixi *seu potius suspenduntur*: quia etsi aliqui sentiant , priora Sponsalia penitus extingui per subsequens validum matrimonium ; sententia tamen opposita , quam communiorem , et veriorem credit B. Ligorio cum a-

liis, quos citat (n. 875.), dicit priora Sponsalia non extingui, sed suspendi : ita ut, si hujusmodi matrimonium per mortem, aut alias dissolvatur ; pars innocens, si velit, posset obligare aliam ad Matrimonium cum se contrahendum. Ratio : quia nullo jure probatur, Sponsalia per subsequens Matrimonium *prorsus* irritari.

377. Q. Quænam est secunda causa ?

℟. Si Sponsi sint puberes, idest, si vir quartum decimum suæ ætatis annum compleverit ; et mulier duodecimum ; Sponsalia, etiamsi jurata, ut legitur in Summario Cap. *Præterea* 2. de Sponsal. dissolvi possunt per volontarium, et liberum utriusque Sponsi consensum : cum uterque possit cedere juri suo. At si unus tantum vellet absque justa causa, ut infra, resilire ; etiamsi Sponsalia soluta non censeantur, liberum autem erit alteri parti sic irrisæ vel resilire, vel ad Matrimonium aliam partem obligare. Sic B. Ligorio (n. 855.) cum Communi.

378. Q. Quare dixisti : *si sint puberes* ?

℟. Quia, si ambo Sponsi sint impuberes, aut alter ipsorum ; tunc, ut statuit Alexander III. (Cap. *De illis* 7. de Desp.), etiamsi *postulent separari* ; *non sunt ullatenus audiendi* : et merito, ne ob inconstantiam, et levitatem ætatis nova semper ineant, et dissolvant Sponsalia. Cum autem ad pubertatis annos ambo pervenerint ; tunc ob eamdem rationem possunt se invicem liberare. Hic autem nota, quod, si unus tantum ex sponsis sit impubes ; iste solus factus pubes habet privilegium resiliendi : dummodo reclamet intra tres dies post habitam notitiam privilegii resiliendi ; ut apud Beatum (ibid.). At si copula carnalis intercesserit ; sicut habetur in Summario Cap. *A*

nobis 8. de Despons. impub., non haberet hic facultatem resiliendi.

379. Q. Quænam est tertia causa?

℟. Est, si post Sponsalia superveniat impedimentum dirimens, quod possit probari saltem ex fama, idest, a majore parte viciniæ; ut Doctores apud B. Ligorio (n. 857.); ex. gr.; si sponsus carnaliter cognoverit consanguineam in primo, vel secundo gradu suæ sponsæ; et e converso id faciat mulier cum consanguineo in eodem gradu sui sponsi; tunc ex parte innocentis remanent soluta Sponsalia; ita ut, non teneatur admittere dispensationem; et aliud posset matrimonium contrahere: etiamsi Sponsalia fuerint jurata. Sic Innocentius III. in C. *Quemadmodum* 25. de Jurer. Non remanent autem soluta ex parte nocentis, ut communius, et probabilius notant Doctores apud Beatum (ibid.): ne is *de malitia sua commodum reportare videatur*; sicut cavetur in C. *Intelleximus* 7. de Judiciis. Et proinde pars nocens ad petitionem alius partis teneretur propriis expensis dispensationem petere; præsertim, si sponsam defloraverit sub promissione matrimonii.

380. Q. Quid dicendum, si Impedimentum Sponsalibus superveniens sit tantum impediens?

℟. Si hujusmodi Impedimentum dispensatione indigeat ad matrimonium contrahendum; ut, si quis post Sponsalia simplex votum emisisset Castitatis; Religionis; non nubendi: quamvis ex parte voventis Sponsalia non sint absolute soluta; et si voti dispensationem is obtineat, ad promissionem in primis Sponsalibus datam teneatur; ut Doctores apud Beatum (n. 870.); ex parte tamen non voventis soluta remanent; quia vovens

suo juri cessisse censetur. Imo, si vovens spe matrimonii sponsam deflorasset; votum, utpote emissum in mulieris injuriam non teneret; ut commune est apud Doctores (B. Ligor. Lib. 3. n. 649.); et ad conjugium teneretur. Notanter autem dictum est: si *impedimentum Sponsalibus superveniat*: quia si prædicta duo Impedimenta Sponsalia præcedant; Sponsalia, ut de re illicita, essent nulla; et tamquam non facta. Vide Beatum Lib. 6. n. 873.

381. Q. Quænam est quarta causa?

℟. Est notabilis rerum mutatio; quæ, si a principio extitisset, vel cognita fuisset; Sponsalia non essent contracta; sive hæc mutatio contigerit in bonis animæ, vel corporis, vel fortunæ. Hinc, si graves inimicitiæ, aversiones inter sponsos, eorumque consanguineos ortæ fuissent; si quis ex Sponsis incidat in paralysim, lepram, aliumve gravem morbum contagiosum, incurabilem; si amittat oculum, manum, aut aliud membrum; si superveniat præsertim sponsæ notabilis deformitas: item si gravis bonorum jactura etiam inculpabiliter superveniat; si dotem promissam sponsa non habeat; his, et similibus causis Sponsalia, etiamsi jurata, ut colligitur ex citato Cap. *Quemadmodum*, possunt dissolvi. Et idem dicendum, si aliquis ex dictis defectibus extiterit ante Sponsalia, et fuerit malitiose occultatus. Ratio: quia ordinarie Sponsalia non contrahuntur, nisi sub hac tacita conditione: *si non emergat notabilis mutatio*.

382. Q. Quid ex dictis deducitur?

℟. Deducitur, quod si quis ex sponsis se alliget crimine hæresis, apostasiæ, schismatis, fornicationis, homicidii, grassationis; aut alio crimine, quod infamiam pariat, vel grave damnum

causet, ut si ebrietatibus, vel ludis se dederit; pars innocens, potest, si velit, a Sponsalibus resilire. Communis. Quæ enim notabilior mutatio dari potest, quam ob dicta crimina? Et hic nota, quod, si sponsa fuerit ab aliquo violenter oppressa; quamvis aliqui negent; communiter tamen, et veriùs S. Antoninus cumaliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 861.), dicunt, posse Sponsum eam dimittere: licet enim potuit hoc accidere sine culpa; Sponsa tamen semper deturpata censetur, et notabiliter mutata; eo magis quod Sponsus periculo se exponeret alienam prolem habendi pro sua. Item, ut sentit Layman cum aliis ap. Ferraris. V. *Sponsalia* n. 106. posset sponsus sponsam dimittere, si hæc voluntarie, et libere oscula, tactus, amplexus impudicos ab aliquo admitteret; et multo magis, si ipsa hæc exerceret: quia merito impudica, et vilior reputaretur.

383. Q. Quænam est quinta, et sexta causa?

℟. Si alter ex Sponsis, inscia, vel contradicente parte, alio proficiscitur, Alexander III. corrigens jus Civile, in Cap. *De illis* 5.° de Sponsal. statuit, liberum esse parti relictæ aliud contrahere matrimonium. Ad removenda tamen inconvenientia, Lambertini postea Benedictus XIV. (Institut. 46. n. 5.) variorum Doctorum sententiam referens, explicando dictum C. *De illis*, sapienter dicit, quod his casibus pars relicta ad Episcopum recurrat, qui parti absenti determinatum tempus assignet, quo redire debeat; quæ si non rediverit, liberum erit alteri parti quod libuerit, eligere. Sexto dissolvuntur Sponsalia, si intra tempus statutum Matrimonium non contrahatur; cum hac tamen differentia; quod, si

inter sponsos sit statutum, quod elapso tempore præfixo, nullà remaneat obligatio; tunc unusquisque e sponsis liber remanet. Si autem sit statutum, ut tempore præfixo Matrimonium sit contrahendum; tunc, si una ex partibus culpabiliter velit differre; etiamsi ipsa per hoc nequeat liberari; altera pars autem remanet libera, etiam in casu, quo Sponsalia fuerint jurata. Sic ex C. *Sicut* 22. de Sponsal. inferunt Doctores cum S. Thoma (ap. B. Ligor. n. 867.).

584. Q. Sunt ne aliæ causæ, ob quas Sponsalia dissolvi possunt?

℟. Dissolvuntur 7.° per ingressum in Religionem unius ex Sponsis, sed ex parte tantum remanentis in Sæculo; quæ ad sui libitum ad alia vota potest transire. Ex parte tamen ingredientis non solvuntur, nisi post professionem: ita ut, si non profiteatur, et ad Sæculum revertatur; ad petitionem alterius partis teneretur stare Sponsalibus. Sic communius sentit B. Ligorio cum aliis quos citat n. 870. Solvuntur 8.° si sponsus ordinetur Subdiaconus: quia hic invalide contraheret. Tandem possunt dissolvi post sententiam Episcopi, si ex tali Matrimonio, vel ob disparitatem sponsorum, vel quia parentes dissentiunt, minantur etc., gravia scandala timeantur, ut communiter sentiunt Doctores cum Beato (n. 877.). Vide tamen quæ diximus n. 372. Et hic nota, quod qui injuste a Sponsalibus resilit, tenetur compensare damna, si quæ alteri parti evenerunt; et perdit arrhas, seu munera, quæ alteri parti dedit; et restituere debet quæ ipse recepit. Communis.

CAPUT IV.

De Denunciationibus Matrimonii.

385. Q. Quid sunt Denunciationes Matrimonii?

℟. Sunt illæ proclamationes, seu banna, quibus publicatur desiderium, quod habent sponsus, et sponsa contrahendi Matrimonium. Hæ autem Denunciationes ex præcepto Tridentini (Sess. 24. de Ref. Matrim. Cap. 1.), *antequam contrahatur Matrimonium, ter a proprio contrahentium Parocho*, vel ab alio de Parochi licentia, *tribus continuis diebus Festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia*, (idest, ut explicant Doctores, in Missa Parochiali, vel Conventuali) publice sunt faciendæ. Et *si vir et mulier Parochiæ sint diversæ*, ex præscripto Ritualis Romani (de Sacr. Matrim.) *in utraque Parochia* fieri debent. Et in his Denunciationibus, quæ alta, et vulgari voce sunt faciendæ, ut ab omnibus intelligantur; exprimi debent nomen, cognomen, et patria contrahentium; et etiam nomen prioris conjugis, si aliquis contrahentium sit viduus; et item nomen patris, si sponsi ex legitimo nati sint matrimonio; et pariter exprimi debet, an sit prima, secunda, an tertia Denunciatio.

386. Q. Quid, si hæ Denunciationes omittantur?

℟. Quamvis ob solam Denunciationum omissionem Matrimonium foret validum, ut communiter sentiunt Doctores; nihilominus; generaliter loquendo, tam Parochus, quam contrahentes, et dolosi testes ob gravem Legis Ecclesiasticæ transgressionem graviter peccarent. Insuper Parochus incurreret Suspensionem per triennium ab Officio;

sed Suspensio est ferendæ sententiæ. Quoad contrahentes verò, condigna pœninentia sunt hi puniendi; idest, ut censuit S. C. Concilii, ab ingressu Ecclesiæ, a qua pœna nequeunt absolvi, nisi post publicam peractam pœnitentiam. Insuper, si sponsi cum Impedimento dirimenti contrahant, etiamsi ignoranter; spe dispensationis obtinendæ carent; et præterea proles procreatæ illegitimæ sunt censendæ. Hæc omnia constant tum ex Concilio Lateranensi IV. (Cap. *Cum inibitio* 3. de Cland. despons.); tum ex Tridentino (ibid.) Vide Ferraris V. *Denunciationes Matr.* n. 2. etc.

387. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. Quia, si periculum sit in mora, ex. gr. si moriturus ad legitimandam prolem velit ducere concubinam, vel aliam; nec tempus adsit proprium Ordinarium adeundi; dummodo Parochus certus sit, Virum, et Mulierem nullo canonico impedimento esse obstrictos; posset illos matrimonio conjungere absque præmissis Denunciationibus: quia, ut notant Bon., Silvius, Sanchez, et alii apud B. Ligorio (Lib. 6. n. 1003. d. 7. et n. 1007.), hoc casu Parochus per Epichejam posset declarare, præceptum Denunciationum non obligare. Dixi pariter: *generaliter loquendo*: quia ex dispensatione Ordinarii possunt Denunciationes omitti vel omnes, vel in parte. Notent autem qui dispensationem ab Ordinario exposcunt, quod quamvis Tridentinum (ib.) *prudentiæ et judicio* Ordinarii hujusmodi dispensationes relinquat; bene autem advertit Benedictus XIV. (Const. *Satis vobis* n. 5. die 17. Nov. 1741.), justam, et legitimam causam ad dispensandas Denunciationes requiri.

388. Q. Quare Denunciationes sunt faciendæ?

℟. Finis præcipuus Denunciationum est, ut facilius dignoscantur canonica Impedimenta, si quæ sint inter contrahentes; quæ si apponantur, Parochus ex se amplius non procedat; ut re bene examinata noscatur, an impedimentum subsistat nec ne. Et sicut, si post Denuncianiones multum temporis transierit; potest suspicari, aliquod novum impedimentum posse subesse, recte Rituale Romanum (ibid.) statuit, quod, *si infra duos menses post factas Denunciationes Matrimonium non contrahatur; Denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo* (sive alteri Ordinario) *videatur*. Quæ autem sint hæc canonica Impedimenta tam impedientia, quam dirimentia; videbitur in Capite sequenti. Alius finis, quem habuit Ecclesia in hujusmodi Denunciationibus præcipiendis, fuit, ut Populus de Matrimonio contrahendo præmonitus, divinam benedictionem, ex qua salus animarum, familiarum quies, Regni tranquillitas maxime pendet; suis precibus super sponsos attrahat. Et ad id Christianam plebem Parochi hortentur.

389. Q. Adest ne obligatio impedimenta revelandi Parocho, vel Ordinario?

℟. Maxime, et quidem sub gravi. Et, si Ordinarius imposuerit, etiam sub pœna Excommunicationis; etiamsi impedimentum sit occultum, et sciatur sub secreto naturali, et cum juramento non detegendi; dummodo non noscatur ex sola Sacramentali Confessione: quia tunc nullo modo detegi posset. Communis. Ad hanc autem revelationem omnes tenentur etiam amici, conjuncti, et multo magis ipsi contrahentes, qui si conscii sint, vel ambo, vel unus tantum, de aliquo Impedimento; in conscientia tenentur vel a Matri-

monio desistere, vel ante ipsum contrahendum dispensationem petere; etiamsi ex revelatione infamia sequatur: quia cum sit lethale contrahere cum impedimento;" et, si Impedimentum sit dirimens, invalide contrahatur; nemo non videt, quot inconvenientia sequerentur. Quando autem quis excusari possit a revelando; consulantur Auctores, et in casibus dubiis etiam Ordinarius.

Caput V.

De Impedimentis Matrimonii.

390. Q. Quænam sunt Impedimenta Matrimonii?

℞. Duplicis generis sunt hujusmodi Impedimenta. Alia sunt mere *impedientia*; et sunt illa, quæ impediunt Matrimonii celebrationem; sed si fiat, Matrimonium erit validum, quamvis graviter illicitum. Communis. Alia dicuntur *dirimentia*; et hæc non solum Matrimonium impediunt; sed, si fiat, erit invalidum, et nullum. Impedimenta autem *impedientia*, quæ nunc certo vigent, sunt quatuor isto versiculo comprehensa: *Ecclesiæ vetitum*, *Tempus*, *Sponsalia*, *Votum*. Primum Impedimentum, idest, *Ecclesiæ vetitum* est prohibitio facta ab Ordinario, vel Parocho ex justa causa, et ad certum tempus; ut ex. gr. aliqua scandala, inconvenientia evitentur; ut cognoscatur aliquod Impedimentum, quod dubitatur adesse inter contrahentes, et similia.

391. Q. Quænam sunt alia Impedimenta *impedientia*?

℞. Secundum impedimentum est *Tempus*; idest a Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam; et a die Cinerum usque ad Dominicam

in Albis inclusive. At hic nota, quod dicto tempore non vetatur celebratio Matrimonii, sed solemnitas nuptiarum, ut est benedictio nuptiarum, idest, illa Missa, quæ adest in Missali *pro Sponso et Sponsa*; traductio Sponsæ facta cum pompa ad domum Sponsi; solemnia convivia; tripudia etc. Notat autem B. Ligorio (n. 983.), quod si excessus tripudiorum etc. non sit magnus, peccatum non erit grave. Tertium Impedimentum sunt *Sponsalia*, dummodo sint valida, et non sint dissoluta, ut notatum est supra (Cap. III.). Quartum Impedimentum est *Votum*, per quod intelligitur *Votum simplex Castitatis*, vel ingrediendi Religionem; vel suscipiendi Ordinem Sacrum; vel non nubendi nisi a Papa, Pœnitentiaria vel ab alio facultatem habente sit dispensatum (Lambert. Istit. 87. n. 3.).

392. Q. Quænam sunt Impedimenta *dirimentia*? ℟. Sunt quindecim hisce Versiculis comprehensa:

Error, *Conditio*, *Votum*, *Cognatio*, *Crimen*, *Cultus Disparitas*, *Vis*, *Ordo*, *Ligamen*, *Honestas*.
Ætas, *Affinis*, *si Clandestinus*, *et Impos*.
Raptave sit mulier, *nec parti reddita tutæ*.

Hæc sunt illa Impedimenta, quæ, ut diximus, non solum impediunt fieri Matrimonium, sed si fieret, foret invalidum; et qui cum aliquo ex dictis Impedimentis scienter contrahere auderet; graviter peccaret. Communis. Quando autem verificentur dicta Impedimenta in sequentibus dicetur Paragraphis.

Paragraphus I.

De Impedimento Erroris, Conditionis, Voti, et Ordinis.

393. Q. Quando verificatur Impedimentum *Erroris?*

℟. Quando *Error* versatur circa substantiam personæ; ex. gr. si quis intendens ducere Bertam; per errorem, fraudem, vel dolum contrahit cum Caja, quam putat Bertam. Hic *Error* nullum reddit Matrimonium contractum cum Caja, et non solum jure Ecclesiastico (ex C. *Quod autem* Causa 29. q. 1., et ex C. *Tua nos* 26. de Sponsal.); sed etiam jure naturæ, et proinde non solum inter fideles, sed etiam inter infideles, et hoc, etiamsi vir ita fuisset dispositus, ut, cognito errore, adhuc cum Caja contraheret; sicut sentit Sanchez cum aliis apud B. Ligorio (n. 1010.). Cum enim solo consensu Matrimonium contrahatur (C. *Cum locum* 14. de Sponsal.); cumque consensus viri fuit cum Berta, et non cum Caja, patet, Matrimonium cum Caja contractum esse nullum.

394. Q. Quid dicendum, si *Error* cadat super qualitate personæ?

℟. *Error* qualitatis posset esse, si ex. gr. credat quis, Bertam esse nobilem, divitem, Virginem, formosam etc., et talis non sit. Hic *Error* generaliter loquendo Matrimonium non irritat: quia, ut legitur in cit. Cap. *Quod autem*, *Error fortunæ, et qualitatis non excludit consensum.* Dixi *generaliter loquendo*: quia si vir se expresserit, non contrahere cum Berta, nisi dictas habeat qualitates; tunc Matrimonium foret

nullum ex defectu consensus. Omnis enim contractus sub honesta conditione de præsenti initus, conditione non subsistente, nullus est. Ita S. Thomas (in 4. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 5.) cum aliis apud Ferrar. V. *Impedimenta Matrimonii* Art. 1. n. 14. Et proinde qui taliter contraxerit; aut resilire debet; aut, si velit Bertam, vel Cajam ducere, renovare debet contractum, ut Matrimonium validum reddatur.

395. Q. Quando *Conditio* irritat Matrimonium?

℟. Quando quis liber credens, mulierem, cum qua contrahit, esse pariter liberam; deprehendit postea, talem non esse, sed esse mancipium, seu veram servam; quæ potest a Domino vendi. Et idem dic de libera, quæ ignoranter duceret verum servum. Hujusmodi Matrimonia ob inæqualitatem conditionis Ecclesia (C. *Proposuit* 2. de Conjug. Serv.) irritat. Hic autem nota, quod, si persona libera cum serva scienter contrahat; Matrimonium ex C. *Si quis ingenuus* Causa 29. q. 2. erit validum; sicut erit validum, si servus cum serva contrahet. Et pariter nota, quod si persona libera, postquam deprehendit, aliam esse veram servam, seu mancipium; et nihilominus eam carnaliter cognoverit; tunc ex cit. Cap. *Proposuit* Matrimonium non est irritandum.

396. Q. Qualia *Vota, et Ordines* Matrimonium irritant?

℟. Est Votum solemne Castitatis, quod emittitur in professione Religionis approbatæ, et in susceptione Ordinis Sacri. Hinc valide ordinati in sacris, et Regulares valide professi, si Matrimonium contrahere auderent, invalide contraherent. Constat ex Tridentino (Sess. 24. de Matrim. Can. 9.), ubi sic legitur: *Si quis dixerit, Clericos*

in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse . . anathema sit. Et hoc Impedimentum nonnisi rarissime, et gravissimis ex causis fuit aliquoties ab Ecclesia dispensatum. Dixi *valide* : quia, si probetur, invalide esse aliquem ordinatum vel professum, posset hic valide, et licite Matrimonium contrahere.

397. Q. Quid dicendum, si post contractum Matrimonium quis profiteatur, aut ordinetur?

℟. Sicut certum est, Matrimonium ratum, at non consumatum dirimi per validam professionem Religiosam; liberumque esse alteri parti aliud contrahere Matrimonium, ut definivit Alexander III. (C. *Verum* 2. de Convers. conjug.); et statuitur in Tridentino (ibid. Can. 6.). Sic certum est, non dirimi per sacri Ordinis susceptionem, ut constat ex Extravaganti *Antiquæ* Tit. 6. Joannis XXII. Et qui sic ordinaretur, præter pœnas ibi præscriptas; si sponsa institerit, teneretur debitum reddere, etiamsi non posset petere. Dixi *non consummatum* : quia si Matrimonium fuerit consummatum; non dirimeretur per Professionem. Cum enim hi conjuges jam facti sint una caro; ex præcepto Christi (Matt. 19. 6.) non sunt separandi: dummodo de communi consensu nolint statum Religiosum amplecti.

Paragraphus II.

De Impedimento Cognationis.

398. Q. Quænam Cognatio dirimit Matrimonium?

℟. Triplex est *Cognatio*, que dirimere potest Matrimonium: Spiritualis, Legalis, et Naturalis. Cognatio *spiritualis* est illa, quæ oritur ex valida collatione Baptismi, et Confirmationis: quæ Cognatio licet jure antiquo multas afficeret personas; jure tamen Tridentini (Sess. 24. de Ref. Matrim. Cap. 2.) afficit primo veros Patrinos, et Matrinas, qui illicite, et invalide Matrimonium contraherent non solum cum illa persona, quam tenuerunt in Baptismate, et Confirmatione, sed etiam cum ejus patre, et matre. Et afficit etiam personas Laicas, quæ ob mortis periculum aliquem baptizant, ut ex Decreto S. C. Concilii 5. Martii 1678., quæ pariter invalide contraherent tam cum persona ab ipsis baptizata, quam cum ejus genitoribus.

399. Q. Quænam est Cognatio *legalis*?

℟. Est illa, quæ oritur ex adoptione, per quam aliqua persona extranea, idest, quæ non sit sub potestate adoptantis, assumitur in filium, vel filiam, nepotem, vel neptem. Et hic nota, quod, si persona adoptata transeat in potestatem adoptantis, dicitur adoptio *perfecta*, seu *adrogatio*. Si non transit in potestatem adoptantis, sed remanet in potestate alterius, dicitur adoptio *simplex*. Juxta autem probabiliorem sola adoptio *perfecta* inducit Impedimentum dirimens Matrimonium inter sequentes personas; idest, inter adoptantem, et personam adoptatam, hujusque descendentes usque ad quartum gradum. Et hoc Impedimentum durat; etiamsi adoptio dissolvatur.

400. Q. Quænam sunt aliæ personæ, inter quas ob adoptionem Matrimonium dirimitur?

℟. Dirimitur etiam inter adoptantem; et uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum, et u-

xorem adoptantis. Et etiam hæc cognatio semper durat, et Matrimonium dirimit, etiam adoptione soluta. Denique dirimitur inter personam adoptatam et filios, filiasque legitimas, non autem illegitimas adoptantis, tamquam fratres, et sorores legales. At hæc cognatio non durat semper; et expirat cessante adoptione, quocumque modo hæc cessat. Vide Jura apud Ferraris V. *Impedimenta Matrimonii* Art. I. a n. 61. ad 78. Pro hoc Regno Neapolitano: Vide Codicem Civilem a n. 266 ad 286.

401. Q. Quænam est Cognatio *naturalis*?

℟. Cognatio *naturalis*, quæ etiam *carnalis* et *Consanguinitas* vocatur; est illa, quæ oritur inter personas ab eodem stipite, seu persona per carnalem propagationem descendentes. Quod si una persona descendat ab altera; ut pater et filius, hujusque descendentes; pater, et avus, hujusque ascendentes; dicitur cognatio *in linea recta*. Et hæc Matrimonium dirimeret, in quocumque gradu ascendentes et descendentes reperirentur: ita ut, si Adam nunc viveret, nullam fœminam posset ducere; quia omnes homines ab Adamo descendunt. Communis (ap. Ferrar. ibid. n. 42.). Si autem una persona non descendat ab alia, etiamsi ab eodem stipite illæ personæ descendant, ut fratres, et sorores; consobrini, et consobrinæ; et sic de horum descendentibus; vocatur Cognatio *in linea collaterali*; seu *transversali*: et hæc ex jure novo Matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive; ita ut, si quintum gradum attingat, Matrimonium erit validum. Sic Innocentius III. in C. *Non debet* 8. de Consang.

402. Q. Quomodo hi gradus distinguuntur?

℟. In linea *recta* tot sunt gradus, quot sunt per-

sonæ, dempto stipite. Sed cum in linea recta non possit Matrimonium celebrari, ut diximus; sic de hac non loquimur. In linea autem *transversali æquali* sponsus, et sponsa, qui ab eodem stipite descendunt; jure canonico tot gradus distant inter se, quot gradibus distant a stipite, hoc dempto. Hinc frater et soror sunt in primo gradu; consobrinus et consobrina in secundo; horum filii, et filiæ in tertio et sic deinceps: quia hi omnes tot gradibus a stipite distant. Si autem sponsus et sponsa non iisdem gradibus a stipite distent, vocatur linea *transversalis inæqualis*; et quot gradibus persona remotior a stipite distat, tot gradibus sponsus et sponsa distant inter se. Et hic nota, quod si filii et filiæ nati sint ex eodem matrimonio; tunc pater et mater erunt unus et idem *stipes*. Si autem nati sint ex diverso matrimonio; tunc vel solus vir, vel sola uxor consideratur, ut *stipes*. Et hæc omnia clarius patebunt ex sequenti Schemate.

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS

ANICETUS *STIPES.*

A quo stipite *unus post alium nati sunt sequentes.*

1.° Britius	*Frater et soror*	1.° Berta
2.° Clara	*Consobrini primi*	2.° Curtius
3.° Didacus	*Consobrini secundi*	3.° Dalia
4.° Ernia	*Consobrini tertii*	4.° Ernestes
5.° Firmina	*Consobrini quarti*	5.° Firmius.

403. Q. Quid dignoscitur ex hoc Schemate?

℟. Clare dignoscitur, *Britium* esse in primo gradu cum *Berta*; *Curtium* in secundo gradu cum *Clara*; *Didacum* in tertio cum *Dalia*; *Ernestem* in quarto cum *Ernia*; *Firmium* in nullo gradu cum *Firmina*. Dignoscitur pariter, *Britium* cum *Dalia* esse in tertio gradu; *Claram* cum *Erneste* esse in quarto; *Claram* cum *Firmio* esse in quinto gradu, et propterea in nullo, et posse inter se Matrimonium inire. Et hic nota, quod si ex. gr. duo fratres cum duabus consobrinis contrahant; filii, et filiæ ex his duobus conjugiis nati, erunt in secundo gradu ex parte patrum, et in tertio ex parte matrum; et ut provenientes ex duplici stipite, ex duplici capite erunt consanguinei; et si petant dispensationem ad contrahendum Matrimonium; hoc duplex Impedimentum exponere debent. Et si stipes triplicaretur, triplex foret Consaguinitas, et Impedimentum.

404. Q. Circa mox dicta est ne aliud præterea notandum?

℟. Maxime. Quamvis enim ad cognoscendos gradus in linea *inæquali*, consideretur gradus remotior, ut diximus: in ordine autem ad obtinendam dispensationem a S. Sede, ex stylo Curiæ exprimendus est etiam gradus propinquior. Hinc in allato Schemate si *Curtius* vellet ducere *Erniam*, deberet exponere, conjunctos esse in secundo, et quarto gradu. Notandum insuper, quod in computandis gradibus semper eadem regula servatur, etiamsi aliquis filius sit illegitimus, aut proveniens ex solo patre, vel sola matre, Unde etiamsi *Erniæ* foret filia illegitima *Didaci*; semper dicetur conjunctam esse in quarto gradu cum *Erneste*. Notandum denique, quod hic ordo com-

putandi gradus in linea transversali est secumdum jus Canonicum: nam jure Civili duplicantur gradus, et quot sunt personæ, tot sunt gradus. Et proinde in dicto Schemate inter *Britium* et *Bertam* duo sunt gradus; inter *Curtium* et *Claram* quatuor, et sic de aliis.

Paragraphus III.

De Impedimento Criminis, *Cultus disparitatis*, *et Vis*.

405. Q. Quæ *Crimina* Matrimonium dirimunt?

℟. Præter *Raptum*, de quo infra, duo *Crimina* Matrimonium dirimunt; *homicidium* cum morte secuta, et *adulterium* formale cum copula perfecta. *Homicidium* dupliciter Impedimentum inducit: primo modo, si uterque sponsus, ex. gr. Cajus et Berta de communi consensu, aut unus cum consensu alterius in mortem conspiraut, vel Titii conjugis Bertæ, vel Dafrosæ uxoris Caji cum intentione Matrimonium incundi post mortem occisi. Secundo modo ob *homicidium* dirimitur Matrimonium; si ante homicidium inter sponsum et sponsam, ex. gr. inter Cajum et Bertam præcesserit verum adulterium, ut supra. Et hoc Impedimentum incurritur; etiamsi vel solus sponsus, vel sola sponsa cum prædicta intentione in conjugis mortem conspiraverit absque consensu, vel scientia alterius. Vide Jura ap. Ferrar. ibid. a n. 69. ad 83.

406. Q. Quando ob *adulterium* dirimitur Matrimonium?

℟. Duplici pariter modo. Primo si adulter et adultera scientes jam, se esse conjugatos; vel an-

te, vel post verum et consumatum adulterium; vivente adhuc altero conjuge, sibi invicem promittunt, et acceptant post mortem conjugis innocentis Matrimonium inituros. Si autem promissio Matrimonii fuerit revocata; vel fiat, non vivente, sed mortuo altero conjuge, Impedimentum non induceret. Altero modo per *adulterium* Matrimonium dirimitur, si quis, vivente legitima uxore, contrahit cum alia Matrimonium; vel si quæ vivente suo legitimo marito, cum alio contrahit; et hi adulterio polluantur sive ante, sive post attentatum Matrimonium. Hi nec post mortem respectivæ uxoris, vel mariti contrahere possunt. Possent autem contrahere, si mulier ignara esset de primo matrimonio adulteri. Vide Jura ap. Ferrar. ibid. n. 86. et 87.

407. Q. Quæ Matrimonia dirimuntur per *Cultus disparitatem*?

℟. Sunt illa Matrimonia, quæ contrahuntur a persona baptizata cum non baptizata. Communis. Quamvis enim primis Ecclesiæ sæculis hujusmodi Matrimonia permittebantur, uti factum, constat a S. Monica matre S. Augustini cum Patritio ethnico; a S. Anastasia cum Publio Idololatra; a S. Cæcilia cum Valeriano nondum baptizato; justis autem de causis jure Ecclesiastico sequentibus sæculis hoc Impedimentum fuit appositum. Matrimonia autem Catholicorum cum Hæreticis, quamvis Ecclesia fuerit semper detestata; si autem contracta fuerint, erunt valida, quamvis peccaminosa. Et, si gravissimis ex causis Apostolica Sedes hæc Matrimonia quandoque permiserit; non aliter concessit, nisi hac adjecta conditione, idest; *abjurata prius hæresi*. Quæ omnia videre licet in Const. *Magnæ nobis* Benedic. XIV. 29. Junii 1748.

408. Q. Quæ est *Vis*, quæ Matrimonium dirimit?

℟. *Vis*, seu *Violentia*, ut hic sumitur, est gravis metus injuste incussus ab aliquo ad extorquendum consensum. Et hic metus (ex Cap. *Consultationi* 28. de Sponsal. et Cap. *Veniens* 7. de eo, qui dux.) Matrimonium dirimit; etiamsi intervenerit juramentum: dummodo, ut bene notat Viva (ap. B. Ligor. Lib. 6. n. 1045.), juramentum non sit de ponendo consensu libero, quia tunc obligaret. Dixi *metus gravis*, sive absolutus, sive respectivus, ut explicatum est Lib. I. n. 10. 11. et 12.: quia si metus sit levis, non dirimit. Dixi *injuste incussus ab aliquo ad extorquendum consensum*; quia Matrimonium valeret, si metus fuerit juste incussus, ex. gr. si pater minaretur juveni, se apud Judicem accusaturum, nisi filiam violenter stupratam ducat; aut metus fuerit incussus non ad extorquendum consensum, sed ob alium finem: ut si stuprator metu mortis, aut alius pœnæ offerat se Judici ad stupratam ducendam: quia metus hic respicit pœnam comminatam.

409. Q. Quid dicendum, si post Matrimonium nulliter ex metu contractum sponsi convivant?

℟. Duobus casibus hujusmodi Matrimonium validari posset. Primo, si sponte, et affectu maritali copula habeatur cum animo vivendi conjugaliter, ut sentit S. Thomas (in 4. dist. 29. q. unic. a. 3.) cum aliis quos citat, et sequitur Collet (de Matrim. Cap. 7.). Dixi *sponte*: quia, si pars metum passa ex metu pariter copulæ consentiat, non videtur præstare consensum Matrimonio facto; et idcirco ambo contrahentes lethaliter peccarent: quia actum pure fornicarium exer-

cerent. Secundo casu Matrimonium hujusmodi validaretur; quando, etiamsi copula non intercesserit; pars metum passa, spontanee, et libere cum alia parte cohabitet: ita ut, si vellet, posset reclamare, fugere etc.; dummodo jam intellexerit, Matrimonium fuisse nulliter contractum; et perseveret consensus in alia parte, qui semper præsumitur, nisi aliter constet.

PARAGRAPHUS IV.

De Impedimento Ligaminis, Honestatis, et Ætatis.

410. Q. Quid importat Impedimentum *Ligaminis?*

℟. Importat, quod qui ligatus est Matrimonio valide contracto cum una; vivente priore conjuge, non solum illicite, sed etiam invalide secundum contraheret Matrimonium, et ad priorem conjugem redire teneretur; etiamsi secundum, et non primum fuerit consummatum. Sic ex C. *Licet* 3. et ex. C. *Tuas* 5. de Sponsa duor. Et clare eruitur ex Matth. 19. 9. Hinc qui valido Matrimonio juncti reperiuntur, non possunt ad alias nuptias transire, *nisi certum nuncium recipiant de morte* alterius conjugis; etiamsi per *septennium*; *et quantocumque annorum numero* conjux iste non comparuerit: ut Clemens III. respondit in C. *In præsentia* 19. de Sponsal. Et revera Joannes Maillard, ut refert Collet (ibid.), post quadraginta tres absentiæ annos ad suam redivit uxorem. Hæc autem moralis mortis certitudo tunc haberi censetur; quando adest attestatio legitima Parochi, vel alia publica, et authentica facta a Magistratu

Ecclesiastico, Politico, aut Militari, vel duorum saltem testium de visu; uti videre est in Instructione S. C. Inquisitionis.

411. Q. Est ne aliud præterea notandum circa Impedimentum *Ligaminis?*

℞. Notandum 1.° quod qui absque hac morali certitudine secundum Matrimonium contraheret; etiamsi valide posset contrahere, si reapse prior conjux jam obierit; semper tamen illicite contraheret: quia periculo se exponeret adulterandi, si reapse tempore Matrimonii prior conjux non obierit. Notandum 2.° quod, si post contractum bona fide secundum Matrimonium, sciatur, priorem conjugem adhuc esse viventem; tunc distinguendum. Vel certo hoc scitur; et tunc statim secundi conjuges sunt separandi; aliter adulterarent. Sic S. Bonaventura (in 4. D. 38. ap. B. Ligor. n. 903.). Si autem certo non sciatur, subdistinguendum. Si ex levi notitia id resciatur, deposita conscientia dubia, possunt partes petere, et reddere debitum. Si autem sciatur ex notitia probabili ab utroque conjuge, ante factam debitam diligentiam, non possunt nec petere, nec reddere. Sin vero ab uno tantum conjuge; quamvis hic non posset petere, posset tamen reddere. Sic Innoc. III. in C. *Inquisitioni* 44. de Sent. excom.

412. Q. Quando contrahitur Impedimentum *Honestatis?*

℞. Impedimentum *publicæ Honestatis* ex duplici capite oritur. Primo ex Sponsalibus. Hinc, qui Sponsalia contraxit ex. gr. cum Berta; dummodo valida sint (n. 366. etc.), et absoluta, seu sub conditione jam verificata; ex Tridentino (Sess. 24. Cap. 3. de Ref. Matrim.) non solum illicitum, sed invalidum redderet Matrimonium cum

consanguineis in primo gradu ipsius Bertæ, idest cum sorore, matre, aut filia; et hoc, etiamsi per mortem, aut aliis ex causis sponsalia sint (n. 376. etc.) dissoluta; ut constat ex declaratione S. C. Concilii approbata ab Alexandro VII. die 10. Jul. 1658. Et idem dic de muliere, quæ non posset ducere fratrem, filium, aut patrem illius, cum quo valida contraxit Sponsalia. Secundo oritur ex Matrimonio rato. Hinc qui jam Matrimonium contraxit, invalide contraheret cum consanguineis suæ uxoris; et mulier vicissim cum consanguineis sui mariti usque ad quartum gradum inclusive: et hoc, etiamsi Matrimonium fuerit nullum: dummodo non fuerit nullum ex defectu consensus; quia tunc Impedimentum non orietur, ut statuit Bonifacius VIII. in Cap. *Ex Sponsalibus* de Spons. et Matrim. in 6.

413. Q. Quid sequitur ex dictis?

℟. Sequitur, quod, si quis copulam habeat cum Berta, et postea Sponsalia contrahat cum Caja sorore Bertæ; hæc Sponsalia ob impedimentum contractæ affinitatis erunt nulla; et proinde cum non inducant Impedimentum *publicæ Honestatis*, posset ille ducere Bertam sororem. Sequitur pariter, quod si quis sponsalia contrahat cum Berta, et inde Matrimonium ineat cum Caja sorore; hoc Matrimonium ob Impedimentum prædictum erit nullum. Et, si non fuerit consummatum; cum ex præfato Cap. *Ex Sponsalibus* non debeat derogare prioribus Sponsalibus; poterit, imo debebit ducere Bertam. Dixi: *si non fuerit consummatum*: quia si Matrimonium factum cum Caja fuerit consummatum; tunc non posset convivere cum Caja ob nullitatem Matrimonii; nec posset ducere Bertam ob contractum Impedimentum Affinitatis, ut dicetur infra n. 416.

414. Quando ratione *Ætatis* Matrimonium dirimitur?

℟. Generaliter loquendo dirimitur, quando contrahentes sunt impuberes, idest, quando vir decimum quartum, et fœmina duodecimum ætatis annum non compleverint. Sic Urbanus III. in C. *Attestationes* 10. de Despons. impub.; et Benedict. XIV. in Const. *Magnæ nobis* 29. Jun. 1748. v. *At dicet.* Dixi: *generaliter loquendo*; quia, si malitia suppleat ætatem, et in contrahentibus discretio quædam, et judicium sufficiens agnoscatur ad intelligendam vim consensus conjugalis, quæ omnia judicio Episcopi, et Ordinarii locorum idem Summus Pontifex (ibid.) cognoscenda relinquit; tunc iidem Episcopi, cæterique Ordinarii licentiam impertiri valent ad Matrimonium contrahendum, etiamsi contrahentes statutam ætatem quatuordecim, et duodecim annorum non compleverint.

Paragraphus V.

De Impedimento Affinitatis.

415. Q. Quando ob *Affinitatem* dirimitur Matrimonium?

℟. Duobus in casibus *Affinitas* Matrimonium dirimit. Primo, si vir post mortem conjugis (et idem dic de muliere post mortem viri) velit ad alias nuptias transire. Hic non potest ducere fœminam, quæ sit consanguinea suæ uxoris in primo, secundo, tertio, vel quarto gradu. Si autem quintum gradum attingat, non adest amplius Impedimentum, ut dictum est supra (n. 401.). Sic constituit Innocentius III. in Cap. *Non debet* 8. de Consang. Hic autem nota, quod ad

hoc, ut hoc Impedimentum dirimens exurgat, necesse est, ut inter virum prædictum et mortuam uxorem interfuerit copula perfecta, seu consummata cum seminatione intra vas muliebre (Cap. *Lex divina* 18. Caus. 27. quæst. 2.); etiamsi per accidens generatio non fuerit secuta; vel quia mulier erat sterilis, ægra, senex, aut ex alia causa. Si enim Matrimonium fuerit tantum ratum, et non consummatum; etiamsi ex hoc Matrimonio oriatur impedimentum *publicæ Honestatis*, ut dictum est n. 412.; non oriretur tamen Impedimentum *Affinitatis*. Communis.

416. Q. Quinam est secundus casus?

℟. Secundus casus esset, si quis fornicatus fuisset cum aliqua muliere, ex. gr. cum Berta: hic vir ex Triden. (Sess. 24. de Ref. Matrim.) non posset ducere consanguineam Bertæ in primo, vel secundo gradu; etiamsi Berta prorsus invita, renitens, aut etiam dormiens, aut ebria cognita fuisset, ut colligitur ex Cap. *Discretionem tuam* 6., de eo, qui cognov. Dixi *in primo*, *vel secundo gradu*: quia si tertium gradum attigisset; impedimentum non exurgeret. Et idem dic de muliere, quæ fornicata esset. Hæc non posset ducere consanguineum in primo, vel secundo gradu illius viri, cum quo copulam perfectam habuit. Et hic nota, quod cum affinitas non pariat affinitatem, fratres, aut alii consanguinei mariti, vel fornicarii possunt ducere consanguineas uxoris, vel fornicariæ. Sicut e converso consanguineæ mariti, vel fornicarii possunt ducere consanguineas mariti, vel fornicarii. Sic eruitur ex Cap. *Quod super his* 5. de Consanguin. etc.

417. Q. Quid sequitur ex dictis?

℟. Sequitur, quod pater et filius possunt duce-

re duas sorores, vel matrem, et filiam. Duo fratres possunt ducere duas sorores, vel matrem, et filiam. Unus vir posset successive ducere duas fœminas, quæ erant uxores duorum fratrum. *Socer* non posset ducere *nurum*, seu uxorem sui filii; sed posset ducere consanguineas nurus; *Vitricus* vulgo *Patrigno*, seu maritus mulieris, quæ habuit alium virum, non posset ducere *Privignam*, vulgo *Figliastra*, idest filiam, quam habuit uxor ex hujusmodi primo viro; posset vero ducere illam, quæ fuit uxor *Privigni*, et etiam *Privignam* suæ uxoris, idest filiam, quam primus maritus suæ uxoris habuit cum alia muliere. Sic *Privignus* vulgo *Figliastro*, licet non posset ducere filiam, quam habuit *Vitricus* cum sua matre, utpote suam sororem uterinam; posset autem ducere filiam, quam habuit *Vitricus* cum prima uxore. Et quod dictum est de viris, intelligitur etiam de fœminis, idest de *Socru*, *Nuru*, *Noverca*, et *Privigna*.

418. Q. Quid dicendum, si post Matrimonium vir cognoscat consanguineam uxoris?

℟. Si post contractum Matrimonium, vir carnaliter cognoscat consanguineam suæ uxoris in primo, vel secundo gradu, ut declaravit Gregorius XIII. (ap. B. Ligor. n. 1070.); vel uxor consanguineos sui viri in eodem gradu; Matrimonium contractum non dirimitur; (et pars delinquens potest, et debet, reddere debitum conjugale: quia ut statuit Innocentius III. in C. *Tuæ fraternitatis* 10. De Eo, qui cognov. etc., *affinitas post Matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, qui iniquitatis particeps non existit*: At ipsa pars delinquens non potest absque gravi peccato illud petere; nisi prius obtineat di-

spensationem : quam , ut communissime docent plures Doctores cum eodem Beato (n. 1076.), ratione consuetudinis concedere possunt Episcopi etiam per specialiter delegatos.

419. Q. Datur ne aliqua exceptio ?

℞. Maxime. Si enim mulier fuerit violenter oppressa a consauguineo sui viri ; tunc , ut colligitur ex cit. Cap. *Discretionem*, non amittit jus petendi. An autem amittat , si consentiat ob metum mortis , vel alius gravis mali , disceptatur inter Doctores. Qui sentiunt , hoc jus eam amittere, hac ratione moventur , quia metus , licet minuat, non tollit tamen voluntarium , et peccatum ; et debebat illa potius mori , quam peccare. Communius tamen , et probabilius , ut dicit Beatus (n. 1071.), alii negant. Quamvis enim mulier non excusetur a peccato ; cum autem metus gravis excuset a Legis Ecclesiasticæ transgressione ; excusare etiam debet a pœna non petendi debitum , quam Ecclesia posuit. Excipitur 2.° quod , si conjux laboret ignorantia *juris*, et nesciat ex incestuoso congressu oriri affinitatem impedientem debiti petitionem ; vel si laboret ignorantia *facti* ; et nesciat , esse consanguineam consortis illam personam , cum qua adulteravit ; tunc , ut eruitur ex Cap. *Si quis* 1. de Eo , qui cognov. etc ; non amitteret jus petendi : quia ibi legitur : *Si scienter* fornicatus fuerit.

420. Q. Quomodo dignoscuntur gradus *Affinitatis* ?

℞. Eodem modo, quo dignoscuntur gradus Consanguinitatis. Hinc in Schemate proposito n. 402. Cum *Clara* , et *Curtius* sint consanguinei in secundo gradu ; in secundo gradu pariter *Clara* erit affinis cum fratre , filio , vel patre Curtii. Cum

Didacus et *Ernestes* ex dictis n. 403. sint consanguinei in quarto gradu; in eodem gradu erit *Didacus* affinis cum sorore, matre, vel filia *Ernestis*. Cum in quinto gradu, et propterea in nullo sint consanguinei *Ernia*, et *Firmius*, in nullo pariter erit *Ernia* affinis cum fratre etc. *Firmii*. Et sic de aliis. Ex his colliges, quod, si Affinitas proveniat ex copula licita, seu conjugali, *Ernia* poterit absque dispensatione Matrimonium inire cum fratre etc. *Firmii*. Et si copula foret peccaminosa, *Clara* non posset ducere fratrem *Curtii*, posset tamen ducere fratrem *Daliæ*.

Paragraphus VI.

De Impedimento Clandestinatis, Impotentiæ, ac Raptus.

421. Q. Quænam Matrimonia reputantur *clandestina*, et propterea nulla?

℟. Matrimonia *clandestina*, et invalida, de quibus hic loquimur; in illis locis, ubi viget Caput I. Tridentini (Sess. 24. de Ref.) sunt illa Matrimonia, quæ celebrantur absque præsentia duorum saltem testium, et Parochi illius loci, ubi Sponsus, vel Sponsa habent domicilium, vel quasi domicilium, idest, ut explicavit Benedict. XIV. (Const. *Paucis ab hinc* die 19. Martii 1758. V. *Post hæc*), quod in alio loco saltem per mensem sponsus, vel sponsa, vel utrique fuerint commorati. Sub nomine autem Parochi tam necessarii pro validitate Matrimonii intelligitur Papa pro toto Orbe; Episcopi, eorumque Vicarii Generales, sicut et Vicarii Capitulares, ceterique Ordinarii pro suis respectivis Diœcesanis; Parochi, eorum-

que Vicarii pro suis respectivis Parochianis ; aut alius Sacerdos de prædictorum licentia.

422. Q. Est ne aliud præterea notandum circa Parochum , et Testes ?

℟. Notandum , quod præsentia Parochi , et Testium debet esse contemporanea , et non solum corporea , sed etiam moralis ; ita ut probe audiant , et bene intelligant verba , signa etc. , quibus contrahentes suum præstant consensum ; et nihil obstat , quod fraude , vi , dolove sint adducti ; quod sint inviti , contradicentes , compulsi ; quod avertant oculos , aures claudant , et affectent non videre , non audire : dummodo , vel reapse viderint , et audierint ; aut audire , et videre commode possent. Ita definivit S. C. Concilii apud Fagnano relatum a Benedicto XIV. (Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 23. n. 1. et 10.) ; Nihil pariter obstat , quod testes sint masculi , vel fœminæ ; puberes , vel impuberes ; consanguinei , vel extranei etc. , dummodo usum habeant rationis. Quid autem dicendum de Matrimonio celebrato in iis locis , ubi dictum Caput I. Tridentini non vigeat ; qui sit Parochus militum , opificum , medicorum, educandarum , vagorum etc. , confer Auctores de his tractantes , et proprium Ordinarium.

423. Q. Quænam est *Impotentia* , quæ Matrimonium dirimit ?

℟. Est illa , per quam haberi non potest copula perfecta carnalis , ut explicatum est supra n. 415. Hæc autem *Impotentia* tunc tantum dirimit Matrimonium , quando antecedit Matrimonii celebrationem , et est perpetua , cognita ut talis , etiam per corporis inspectionem , ut accidit in illis viris , qui vel genitalia amiserunt ; vel utroque carent testiculo , aut utrumque habent attritum

(ex Const. Sixti V. *Cum frequenter* 22. Jun. 1587.); et ut accidit in illis fœminis, quæ absque vitæ periculo, nec opere Medicorum, nec ullo alio modo licito et honesto, absque miraculo possent ad dictam copulam habiles reddi. Horum Matrimonium ob perpetuam Impotentiam foret nullum; et post sententiam Ordinarii pars potens ad alias nuptias posset transire. Communis ex C. *Litteris*, et ex C. *Fraternitatis* 6. de Frigid. 8. quia *quamvis actus carnalis copulæ*, ut recte docet S. Thomas (in 4. dist. 34. a. 2.), *non sit de essentia Matrimonii; tamen potentia ad hoc est de essentia ejus.*

224. Q. Quid dicendum, si *Impotentia* non sit perpetua?

℟. Quando *Impotentia* non sit perpetua, aut dubitetur, an sit talis; ut plerumque dubitari potest, et debeat, dum agitur de *Impotentia* orta ex frigiditate, maleficio, arctitudine Mulieris etc.; cum hæc *Impotentia* possit tolli ope, et arte naturali licita, et honesta; et etiam per preces et exorcismos Ecclesiæ; tunc non dirimit Matrimonium; et ex C. *Laudabilem* 5. de Frigid. etc. conceditur triennium experientiæ, quod incipit a die attentatæ copulæ, ad noscendum, an possit haberi copula perfecta. Quod si transacto triennio, ambo Conjuges cum juramento asserant, se non potuisse; et id firmetur etiam juramento septem propinquorum, seu vicinorum tam ex parte Viri, quam ex parte Mulieris; qui credant, conjuges verum asserere: tunc ex C. *Ex Literis* 3. et ex C. *Litteræ* 7. de Frigid. etc. separentur, et pars potens post Sententiam Ordinarii poterit aliam ducere. Hic autem nota, quod, si pars impotens tractu temporis mediis naturalibus redda-

tur potens; altera pars, relicto secundo thoro, si forsan ad alias nuptias transiisset, ex citatis Juribus ad primum, vel primam conjugem redire deberet. Sic Benedictus XIV. clare dicit in Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 21. n. 5.

425. Q. Quid dicendum, si una pars asserat, et altera neget *Impotentiam*?

℟. Generaliter loquendo, credendum est parti, quæ hanc impotentiam negat; dummodo certa impotentiæ signa non appareant, sed solum ambigua, et dubia; et pronunciandum pro valore Matrimonii. Ratio: quia in dubio judicandum est in favorem Matrimonii; et *in pari causa* (ut dicitur in Regula 65. Juris in 6.), *potior est conditio possidentis*. Et præsertim id judicandum est, si vir post multos menses Matrimonii, et etiam post annum asserat perfectam copulam adfuisse, quia ex Cap. *Accepisti* 1, de Frigid. etc. vir est *caput mulieris*; et multo magis, si mulier non post unum mensem, aut duos, sed post annum, et amplius contra Impotentiam viri reclamasset. Si enim vere maritus erat impos, *cur tamdiu*, ut ibi legitur, *mulier tacuit*?

426. Q. Quid dicendum, si *Impotentia* superveniat post Matrimonium?

℟. Si certo noscatur; tunc Matrimonium, etsi non adhuc consummatum, utpote validum, non potest amplius dirimi; dummodo altera pars ante consummationem in Religione non profiteatur; quia tunc ex dictis n. 397. Matrimonium dirimeretur; et pars in sæculo relicta posset ad alias nuptias transire, nisi sit impos. Id clare eruitur ex C. *Hi*, *qui Matrimonium* 25. Caus. 32. q. 7. Hinc nequit dirimi Matrimonium eorum, qui post ipsum, aut genitalia, vel utrumque testiculum

amiserunt ; aut ob maleficium, vel ob quacumque aliam causam inhabiles redduntur ad dictam (n. 423.) copulam habendam. Si autem dubitetur, antea ne, an post Matrimonium evaserit quis impotens, consulatur Ordinarius, et Auctores. At hic nota, quod, quando *Impotentia* est certa ; copula absque gravi peccato nec potest attentari.

427. Q. Quando *Raptus* dirimit Matrimonium?

℟. Quando quis per se, vel per alium rapit mulierem repugnantem, et invitam ob contrahendum Matrimonium ; sive parentes consentiant, sive repugent. Ista mulier usquedum in potestate existit raptoris, etiamsi in Matrimonium postea consentiat ; ex Tridentino (Sess. 24. Cap. 6. de Ref. Matrim.) invalide contraheret. Si autem mulier a raptore separetur, et in loco tuto, ac libero constituatur ; et consenserit in Matrimonium ; ex Tridentino (ibid.) Matrimonium erit validum : sed *raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem præbentes sunt ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames.* Et hic nota, quod si mulier rapiatur non jam ad Matrimonium contrahendum, sed alia ex causa, puta ad explendam libidinem ; ex Decreto S. C. Concilii 23. Jan. 1586. quod refertur a Ferraris (V. *Impedimenta* Art. 2. n. 122.) plures Doctores (ibid.) probabilius sentiunt, Impedimentum non incurri : nam Concilium hoc impedimento non aliud intendit, quam favere libertati Matrimonii.

Caput VI.

De Impedimentorum Dispensatione.

428. Q. Prædicta Impedimenta possunt ne dispensari?

℟. Quoad Impedimenta, quæ a jure Ecclesiastico proveniunt; sicut Ecclesia potuit ea ponere, sic, justa interveniente causa, potest ea tollere; seu dispensare, ad hoc, ut valide, et licite possit Matrimonium contrahi. Dixi *justa interveniente causa*: quia quamvis absque causa apparente aliquoties Papa dispensaverit; ordinarie tamen non dispensat. Et, si causa, ob quam Dispensatio petitur, non verificetur *etiam*, pro illo tempore, quo ab Ordinario, seu alio Delegato Dispensatio exequitur, seu Decretum Dispensationis efformatur; Dispensatio erit nulla. Communis. Hinc Parochi suos parochianos instruant, ut petentes dispensationem, veras causas exponant, ne dispensatio inutilis reddatur.

429. Q. Quænam sunt istæ causæ?

℟. Variæ Dispensationis causæ ab Auctoribus referuntur, apud quos videre licet. Nos frequentiores referemus, quæ respiciunt Impedimentum *Cognationis* (n. 398. etc.), vel *Affinitatis* (n. 415. etc.). 1.° Ad tollendas Magnas lites, vel inimicitias. 2.° Conservatio facultatum in eadem cognatione. 3.° Defectus dotis competentis in muliere. 4.° Ætas mulieris annos vigintiquatuor excedentis. 5.° Ablatio scandali, quia copula inter sponsos intercessit; vel ob tractum familiarem exorta sit suspicio: qua de causa mulier diffamata remaneret, forsan innupta, cum timore scandalorum, aliorumque inconvenientium. 6.° Angu-

stia loci, seu oppidi, in quo Sponsi degunt, ob quam mulier difficulter alium virum paris conditionis, qui propinquus non sit, inibi inveniet. Pro Matrimoniis autem cum aliquo Impedimento contractis sufficiens causa potest esse, scandala exponere, aliaque inconvenientia, si putati conjuges separentur.

430. Q. Quis hujusmodi dispensationes concedere potest?

℟. Ordinarie loquendo, est solus Papa, qui, si Impedimentum sit publicum; dispensare solet per Cancellariam, ac Datariam; et pro gratia etiam per Pœnitentiariam. Dispensat autem per Pœnitentiariam, quando Impedimentum est occultum, idest, quod paucis sit notum, idest quatuor, vel quinque, et etiam octo personis, si sit in civitate: ut legitur Instit. 87. n. 44. et 45. Lambert. Excipe Impedimentum *Consanguinitatis*, vel *Affinitatis* proveniens ex copula licita; et Impedimentum *Cognationis spiritualis*: quæ Impedimenta licet sint occultissima; ex Const. Bened. XIV. *Pastor bonus* 13. Apr. 1744. n. 39. nunquam Pœnitentiaria dispensat ad contrahendum: licet aliquoties (ex ead. Const. n. 40.) dispenset in Matrimonio jam contracto. Instruant Parochi suos parochianos.

431. Q. Quare dixisti: *ordinarie loquendo?*

℟. Quia ex præsumpta Papæ licentia, ut inquit Benedictus XIV. citans multos Doctores (Syn. Diœc. Lib. 9. Cap. 2. n. 1. et 2.), etiam Episcopi possunt aliquando dispensare in Impedimentis dirimentibus, cum simul concurrant sex circumstantiæ. 1. Ut Matrimonium sit rite celebratum. 2. Ut contractum sit bona fide, idest, cum ignorantia Impedimenti saltem in una parte:

ex. gr. si sponsus nesciebat, illam, cui nupsit, esse consanguineam mulieris, cum qua fuit fornicatus; aut nesciebat, ex tali fornicatione oriri Impedimentum dirimens: et viceversa. 3. Ut Matrimonium sit consummatum. 4. Ut Impedimentum sit occultum. 5. Ut non possit facile adiri ad Papam ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas. 6. Ut separatio absque scandalo, aliisque inconvenientibus obtineri non possit. Cumque hæc dispensandi potestas in tali casu competat Episcopo non ratione personæ, sed ratione officii; sequitur, eamdem competere etiam Vicario Capitulari, et posse delegari. (B. Ligor. Lib. 6. n. 1125. Goritia Tab. 204.).

432. Q. Episcopi possunt ne aliquando dispensare ad matrimonium contrahendum?

℟. Possunt, si urgentisima occurrat causa; nec Papa possit adiri. Ut si quis in periculo mortis constitutus, contrahere teneatur ad legitimandam prolem; ad salutem animæ propriæ; ad reparandum fœminæ honorem. His in casibus dicunt communissime, et probabilissime Doctores (ap. B. Ligor. Lib. 6. n. 613.), posse Episcopum dispensare; etiamsi (dicit Pignatelli ap. eumdem Beatum) Impedimentum fuerit publicum: quia si in hoc casu tam urgenti Papa requisitus fuisset; certe non esset denegaturus.

433. Q. Adest ne alius casus?

℟. Posset pariter Episcopus ob eamdem rationem dispensare, si sponsi ad Ecclesiam accedant pro Matrimonio contrahendo; et alter eorum Confessario manifestet Impedimentum occultum, dum omnia sunt parata; et Matrimonium nequeat differri absque gravi scandalo, infamia, aliisque in-

convenientibus. Dixi *occultum*: quia, si Impedimentum sit publicum, cessat ratio scandali etc. Imo Pignatelli cum aliis (ap. Beatum ibid.) dicit, in absentia Episcopi etiam Parochum, aliumve Confessarium in hisce urgentissimis casibus posse ex præsumpta Papæ voluntate dispensare, seu potius declarare, quod reservatio tunc cesset. Notant tamen præfati Auctores, quod in hisce casibus ob majorem securitatem, et ob reverentiam, quæ Legibus Ecclesiasticis debetur, exponatur casus sacræ Pœnitentiariæ, et attendatur responsum.

434. Q. Quid notantum circa petitionem Dispensationis?

℟. In primis exprimi debet nomen, cognomen, et Diœcesis sponsorum. Hinc exponatur Impedimentum, de quo petitur Dispensatio, et causa vera (n. 428. 429.), ob quam petitur. Et si Impedimenta sint plura, ex. gr. Cognatio carnalis, Spiritualis, Crimen etc. (Vide n. 393. etc.); omnia in eadem supplicatione sunt exprimenda. Et, si plures sint veræ causæ, pariter possunt exponi. Insuper si sponsi sint consanguinei, vel affines ex diversis ramis, ex. gr. ex diversis stipitibus, aut in diverso gradu, ex. gr. tertio, et quarto etc. (n. 402.), omnia clare sunt exponenda. Et quamvis Dispensatio obtenta super gradu remotiori, ex. gr. quarto, tacito proximiori, ex. gr. tertio, sit valida (S. C. Concilii 28. Mar. 1722.); nihilominus ex stylo Curiæ necessario exprimendus est etiam gradus proximior, ex. gr. in *tertio*, *et quarto*, ut dictum est n. 403.

435. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum pariter, quod in petitione nihil omittatur eorum, quæ jus, et stylus Curiæ exigunt; nihilque reticeatur veri, ratione cujus difficulter

dispensaretur : aliter Dispensatio, utpote obreptitia, aut subreptitia; esset nulla: ut habetur in Cap. *Super litteris* 20. de Rescript. Hinc, si inter sponsos scientes, esse consanguineos, vel affines, intercesserit copula, vel ante, vel post obtentam Dispensationem; necessario est exponenda, at in Pœnitentiaria, omisso nomine proprio, si copula est occulta. Et si non fuit exposita, recurrendum pro *sanatoria*, aut *perinde valere* ad Pœnitentiariam, aut ad Episcopum, qui plerumque hanc obtinet facultatem. Vide Inst. Eccl. 87. Lambert. n. 22. Dixi: *scientes*, *esse consanguineos etc.*: quia, si copulam habentes, ignorabant, se esse consanguineos, vel affines; tunc, cùm incestus fuerit *materialis*, et non *formalis*, ut notat idem Lambertini (ibid. n. 23.); in petenda dispensatione, non esset necessarium copulam exponere.

436. Q. Quid dicendum, si sponsi copulam exponant, ut causam?

℟. Si sponsi consanguinei, aut affines ad obtinendam dispensationenem, pro causa exponant copulam; et ex parte etiam unius ex sponsis, ut ait Corradus Lib. 8. c. 1. habita sit ad facilius obtinendam Dispensationem; hæc prava intentio sub pœna nullitatis debet pariter exponi: ne quis ex fraude, et peccato commodum facile reportet. Et, si hæc prava intentio fuerit occultata in petenda Dispensatione; debet pariter recurri ad Pœnitentiariam ad obtinendam *sahatoriam*, aut *perinde valere*. Sic ex cit. (n. 430.) Const. *Pastor bonus* n. 41. et 42. Et hic nota, quod; si incestnosa copula repetatur ante, vel post executionem Dispensationis a Delegato factam; ex decreto S. C. apud Reiffenstuel, et ex Rescripto

S. Pœnitentiariæ die 21 Sept. 1752. Ap. B. Ligor. n. 1140. ; non est necessaria nova Dispensatio : dummodo , ut notat idem Beatus , referens auctoritatem Conradi , Dispensatio non sit *in forma pauperum.*

437. Q. Quid agendum , si Impedimentum dirimens detegatur post contractum Matrimonium ?

℟. Si tam vir , quam mulier certiores sint de hujusmodi Impedimento ; in primis separentur , ut occasio removeatur carnaliter peccandi. Hinc juxta dicta n. 430. et 434. petatur Dispensatio , exprimendo 1.° an partes , vel earum una contraxerint bona , vel mala fide , ut explicatum est n. 431. Si mala fide , exprimendum est. 2.° An contraxerint cum spe facilius obtinendæ Dispensationis. 3.° An Matrimonium fuit rite contractum cum debitis denunciationibus etc. an non. 4.° An Matrimonium consummatum sit , nec ne. 5.° Si ex separatione putatorum conjugum timeantur scandala , inconvenientia , infamia etc. Si autem una pars tantum certior est de Impedimento ; vel Confessarius ex confessione alicujus ex putatis conjugibus compererit , ob aliquod Impedimentum dirimens nulliter esse contractum Matrimonium. Vide n. 439. etc.

Caput VII.

De Revalidatione Matrimonii.

438. Q. Quomodo revalidatur Matrimonium nulliter contractum ?

℟. Obtineatur in primis Dispensatio , ut capite præcedenti dictum est. Hinc , si Impedimentum sit occultum , et periculum absit , ne evadat no-

torium ; quamvis ob majorem securitatem melius sit, ut revalidetur coram testibus, et Parocho, si absque gravi incommodo, aut infamia posset fieri : non est tamen necessarium ; et sufficit, ut inter conjuges secrete renovetur consensus. Sic declarasse S. Pium V. refert Navarrus (ap. Cunil. de Matrim. §. 30. n. 1.). Cum enim primum Matrimonium contractum sit coram Parocho, et testibus, ut supponitur ; jam constat de contracto Matrimonio, et de servata forma Concilii. Et hæc est praxis S. Pœnitentiariæ, quæ secretam consensus renovationem hoc casu injungit. Si autem Impedimentum sit notorium, aut notorium possit reddi ; tunc coram Parocho, et testibus est renovandus consensus, ut valor Matrimonii publice constet ; nec possit tentari Matrimonii dissolutio.

439. Q. Quid, si Confessarius ex confessione noscat, pœnitentem contraxisse cum Impedimento dirimente ?

℟. Diligenter examinet, an pœnitens bona, vel mala fide contraxerit, vel postea extiterit. Si *mala fide* : quia Impedimentum ex. gr. Cognationis, Criminis etc. erat jam notum et illi, et alteri conjugi ; tunc præter confessiones repetendas injungat ei separationem tori, et vivant cum altera parte, ut frater, et soror ; et interim Dispensationem obtineant ; et Matrimonium reconvalident juxta dicta n. 430., et n. 438. Et ob impedienda ulteriora peccata idipsum ei injungat, etiamsi alteri conjugi Impedimentum notum non sit : dummodo Impedimentum illud non sit infamans ; et absque sui dedecore pœnitens manifestare queat.

440. Q. Quid dicendum, si Impedimentum sit *infamans* ?

℟. Si Impedimentum sit *infamans*, ex. gr. quia

pœnitens copulam habuit cum persona consanguinea alterius conjugis; non statim præcipitandum est judicium. Potest enim dari, ut bene advertit Lambertini (Inst. 87. n. 23.), quod adfuerit copula, et non exurgat Impedimentum. Ut si copula non fuit perfecta, sicut explicatum est n. 415. At, si Confessarius compererit, Impedimentum esse contractum, quia copula fuit perfecta: tunc pœnitenti injungat, ut sub aliquo prætextu se arceat, aut aliud medium excogitet ad removenda peccata, (nam absque gravissimo peccato nec petere, nec reddere potest debitum); et interim Dispensationem procuret, ut possit Matrimonium reconvalidari, ut mox dicetur.

441. Q. Quid dicendum, si pœnitens sit *in bona fide?*

℟. Si Confessarius ex interrogationibus noverit, pœnitentem nullam dubitationem habuisse circa valorem contracti Matrimonii, et adhuc esse in bona fide: quia ex. gr. ignorabat, ex copula, ut supra, Impedimentum dirimens exoriri, magna cautio est adhibenda. Et ad removenda scandala, inconvenientia, et peccata, quæ certe nascerentur, si declaret nullitatem contracti Matrimonii; sileat Confessarius, ut sapienter monet Cuniliati (ibid. n. 10.); et pœnitentem relinquat in sua bona fide; et etiamsi credat expediens ei absolutionem tunc impartiri; obliget tamen, ut post quindecim dies, aut longius tempus, si credat necessarium; ad suum sacrum Tribunal revertatur.

442. Q. Et interim quid faciendum?

℟. Ob paternam charitatem, quam Confessarius habere debet erga suum pœnitentem, sub ficto nomine *Titii* ex. gr. *Bertæ* recurrat ad Episcopum, si habeat facultatem dispensandi; aut si pœnitens

ex dictis n. 431. possit ab ipso dispensari. Sin aliter recurrat ad sacram Pœnitentiariam, et sub forma infra (n. 445. etc.) tradenda : exponat casum cum suis circumstantiis, rogando Pœnitentiarium Majorem de opportuno remedio, et Dispensatione: qua obtenta; moneat pœnitentem ad suum Tribunal redeuntem de nullitate Matrimonii, de Dispensatione obtenta; et quomodo debeat Matrimonium reconvalidare, ut infra (n. 447. etc.) dicetur.

443. Q. Circa hactenus dicta est ne aliquid notandum ?

℟. Cum Pœnitentiaria injungat Confessario, qui dispensationem in confessione exequi debet, ut pœnitens *de nullitate prioris consensus aliam partem certioret, sed ita caute, ut pœnitentis delictum nunquam detegatur*: hinc antequam Confessarius ad Pœnitentiariam recurrat, in actu ejusdem Confessionis curet a pœnitente rescire, an maritus ex. gr. contentus sit de contracto Matrimonio; an sit astutus etc. et, si ex ejus responsis noscat Confessarius, maritum esse virum astutum, sagacem; aut se a marito esse male visam, exosam etc. tunc Confessarius prudenter timere debet, si maritus suæ pœnitentis sciat nullitatem Matrimonii; in suspicionem venire delicti, Matrimonium dissolvi, pœnitentem infamatam, et alia scandala, et inconvenientia exoriri.

444. Q. Quid ergo agendum ?

℟. Consulat Confessarius viros doctos, et præsertim Episcopum, etiam ad noscendum, quibus facultatibus sit ipse donatus. Et si alius modus non suppetat, quamvis aliqui sentiant (Vide Antoine de Matrim. Cap. 3. q. 6. circa finem, et B. Ligor. n. 1117.), hisce urgentibus circumstantiis posse sufficere consensum interne renovatum,

quando affectu maritali debitum reddit, etiamsi de nullitate Matrimonii alteram partem non moneat: attamen ob majorem securitatem recurrat Confessarius ad Pœnitentiarium Majorem, exponendo factum, difficultates, scandala etc., et roget eum ad faciendum verbum cum Papa, ut pro bono animarum dignetur hic impedimentum auferre in radice Matrimonii (ut quandoque facit), habendo pro valido consensum præstitum in Matrimonio contracto, qui ex lege naturali fuit validus.

445. Q. Quænam est forma petendæ Dispensationis a Sacra Pœnitentiaria?

℟. Idiomate latino, vel vulgari incipitur Supplicatio his verbis; *Eminentissime et Reverendissime Domine.* Hinc, si dispensatio petatur pro Matrimonio contrahendo potest dici: *Berta copulam carnalem habuit cum Sejo. Hinc ignara* (vel *conscia*) *impedimenti, publica Sponsalia contraxit cum Fabio fratre*, (vel alio consanguineo in primo, vel secundo gradu) *dicti. Seji. Cum autem copula sit occulta, et, si Matrimonium ad effectum non deducatur, scandala, aut alia inconvenientia verosimiliter sint oritura; supplicat Eminentiam Vestram pro necessaria dispensatione ad contrahendum promissum Matrimonium.* Si copulam habuit etiam cum Fabio Sponso, pariter debet exponi.

446. Q. Quomodo recurrendum pro Matrimonio jam contracto?

℟. Post Titulum, ut supra, scribatur: *Cajus conscius* (vel *ignarus*) *Impedimenti, rite Matrimonium contraxit cum muliere, cujus matrem*, (vel aliam consanguineam in 1. vel 2. gradu) *prius carnaliter cognoverat. Cum autem Impe-*

dimentum sit occultum, *et absque gravi scandalo fieri nequeat separatio*, *supplicat E. V. pro absolutionis*, *et Dispensationis remedio*. Et idipsum fiat, si Dispensatio petatur pro alio occulto Impedimento ex. gr. *Voti*, *Criminis etc.*; aut copulæ occultæ habitæ inter sponsos etc. Hinc pro quocumque casu, si responsum non sit tradendum alicui Romæ præsenti, indicetur in supplicatione, cui, et quo debeat responsum remitti, dicendo ex. gr. *Dignetur E. V. responsum remittere Neapolim Canonico Pœnitentiario Cathedralis*, vel alteri Confessario etc.

447. Q. Quid agendum a Confessario electo a pœnitente pro Dispensationis executione?

℟. Si Confessarius qualitates habeat a Litteris Pœnitentiariæ requisitas, Litteras ipsas aperiat, attente legat, et consideret clausulas, conditiones etc., et præsertim pœnitentem examinet, an vera sint, quæ in Litteris sunt exposita: quia, si aliquid non verificetur, aut Impedimentum non esset occultum; non posset dispensare; et denuo ad Pœnitentiariam esset recurrendum. Et, si agatur de Matrimonio jam contracto cum impedimento infamatorio, quia pœnitens copulam perfectam ante Matrimonium habuit cum persona consanguinea alterius conjugis; debet altera pars de nullitate Matrimonii certiorari, sed ita caute, ut pars ignara in cognitionem non veniat de delicto commisso, ut jam innuimus n. 443.

448. Q. Quomodo fieri potest hæc certioratio?

℟. Varii modi traduntur a Doctoribus, quos refert atiam Lambertini, postea Benedictus XIV. in Inst. 87., quibus consideratis, n. 78. dicit, æquitati consentaneum esse tertium modum quod n. 73. refert; idest, quod *Impedimenti conscius*

libere declaret, haud rite matrimonio contracto consensisse .... ideoque oportere consilio Confessarii, atque internæ tranquillitatis causa, ut ambo consensum renovent, seque id libenter facturum ostendat. Quod si alter conjux eamdem voluntatem patefaciat, id satis erit, ut novus consensus juxta præscriptam normam elicitus intelligatur. Et hoc modo conjux ignarus certioratur de nullitate matrimonii; delictum non detegitur; neque ullum interveniet mendacium. Nam primus consensus, utpote invalidus, non fuit verus consensus. Hunc ergo modum Confessarius indicet pœnitenti. Et si de aliquo timeat inconvenienti, recolat quæ dicta sunt n. 443. et 444.

449. Q. Quibus verbis utetur Confessarius ad dispensandum?

℟. Tradit idem Lambertini (ibid. n. 81. et 82.). Si agatur de Matrimonio contrahendo, post consueta verba absolutionis addat: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento, ut præfato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo manere licite possis, et valeas. In nomine Patris etc. Insuper eadem auctoritate Apostolica, prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio, et declaro. In nomine Patris etc.* Si autem agatur de Matrimonio jam inito, post verba absolutionis, hæc addat: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento, ut eo non obstante, Matrimonium consummare, et in eo remanere licite possis. In nomine Patris etc. Et pariter eadem auctoritate Apostolica, prolem,*

si quam suscepisti, et susceperis, legitimam fore decerno, et declaro. In nomine Patris etc. His peractis, si ita injungitur, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ lacerentur litteræ, aut comburantur. Posset tamen Confessarius pro sui instructione copiam sibi reservare.

Sectio II.

De Matrimonio secundum se.

450. Q. De quo agetur in hac secunda Sectione?
℟. Cum in prima locuti fuerimus de iis, quæ Matrimonii celebrationem præcedere solent; de Sponsalibus nempe, Denunciationibus, Impedimentis, eorumque Dispensatione: in hac secunda Sectione agetur de illis, quæ ipsam celebrationem concomitantur, et subsequuntur; et videbimus, quæ sit Matrimonii Natura, Proprietates, Minister, Materia, Forma: quid requiratur, ut valide, et licite Matrimonium contrahatur; an possit dissolvi; an inter conjuges fieri possit Divortium; ad quid inter se teneantur; et alia videbimus, quæ magis necessaria judicabuntur.

Caput I.

De Natura, et Proprietatibus Matrimonii.

451. Q. Quid, et quotuplex est Matrimonium?
℟. Matrimonium, seu Contractus Matrimonialis a Christo elevatus ad rationem Sacramenti, est, ut innuimus n. 364. *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum, quo vir, et mulier con-*

porum suorum dominium legitime sibi tradunt, et acceptant, ad prolem generandam, pieque instituendam; et etiam ad remedium concupiscentiæ. Dividitur autem in legitimum, ratum, et consummatum. Matrimonium *Legitimum* est illud, quod fit juxta Leges Civiles, ut adhuc fit inter Infideles: sed hoc non est Sacramentum. *Ratum* est illud, quod a baptizatis celebratur coram Parocho, et testibus. *Consummatum* est illud, quod per copulam carnalem completur, et perficitur. Communis.

452. Q. Quomodo probatur, Matrimonium esse Sacramentum?

℟. Quia Matrimonium, ut alia Sacramenta, habet institutionem Divinam, Materiam, Formam, Ministrum, et confert gratiam. Et qui dicebant, Matrimonium non esse Sacramentum, nec gratiam conferre; fuerunt anathematizati a Tridentino (Sess. 24. Can. 1.). Habet institutionem Divinam, et ut contractus; quando Deus, creatis nostris primis progenitoribus, *adduxit Evam ad Adam* (Genes. 2. 22.); et ut Sacramentum, quando Christus (Mat. 19. 6.) dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sic S. Antoninus cum aliis, quos citat Ferraris (V. *Matrimonium* Art. 1. n. 14.): quamvis alii dicant, Matrimonium fuisse elevatum in Sacramentum, quando Christus nuptiis interfuit Canæ Galileæ.

453. Q. Quænam est Materia, Forma, et Minister Matrimonii?

℟. Discrepant inter se Doctores. S. Antoninus cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 6. n. 880.), dicunt, *Materiam remotam* esse corpora contrahentium mutuo tradenda: *Materiam proximam* esse traditionem juris in corpo-

ra : *Formam* esse acceptationem verbis, aut aliis signis externis expressam sive per se, sive per procuratorem. Dixi *per se*, *sive per Procuratorem* : quia Matrimonium contrahi potest etiam per procuratorem specialiter delegatum, ut statuit Bonifacius VIII. (Cap. *Procurator* 9. de Procurator.) et quamvis non sit necessarium; multi Doctores ap. Bened. XIV. (Syn. Diœc. L. 13. C. 2. n. 9.) ob majorem cautelam suadent, ut qui per procuratorem contraxerunt, coram Parocho, et testibus ratum habeant quod per procuratorem fuit actum. *Minister* denique hujus Sacramenti juxta Bellarminum, et alios apud Beatum (n. 897.), sunt ipsi contrahentes, intentionem habentes contrahendi; et hanc sententiam Beatus Episcopus vocat communem, et moraliter certam.

454. Q. Matrimonium potest ne dissolvi ?

℟. Matrimonium *legitimum*, juxta interveniente causa, potest dissolvi. Et revera, si ex conjugibus infidelibus unus veniat ad Fidem, et alter remaneat infidelis, nec sine injuria Creatoris velit cohabitare; ex I. Cor. Cap. VII. n. 15. Ecclesia dispensat conjugem fidelem ad alias nuptias contrahendas (Cap. *Quanto* 7. de Divort.) Matrimonium *ratum*, at non consummatum duobus casibus potest dissolvi. 1.° Si alter conjugum infra bimestre post contractum Matrimonium Religionem ingrediatur, et postea profiteatur; Matrimonium dissolvitur; et conjux in sæculo remanens aliud potest inire Matrimonium (Trident. ibid. Can. 6.). Alius casus, si ob aliquam urgentissimam causam Papa dispensaret.

455. Q. Matrimonium *consummatum* potest ne dissolvi ?

℟. Si Matrimonium consummatum sit cum co-

pula perfecta (n. 415.); ex dictis verbis Christi : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; Ecclesia declaravit indissolubilia quoad vinculum hujusmodi Matrimonia (Trident. ibid. in init.); ita ut, vivente uno conjuge, Ecclesia nunquam dispensavit alterum conjugem ad alias contrahendas nuptias : Dixi *quoad vinculum* : quia quoad torum, et copulam carnalem, sicut et quoad habitationem variis ex causis, sive ad tempus, sive ad vitam possunt conjuges se separare, sive facere Divortium, quamvis ad alias nuptias non possint transire.

456. Q. Quænam sunt istæ causæ ?

℟. Prima causa est major vitæ perfectio, quam de communi consensu sibi proponunt conjuges; vel ambo intrando, et profitendo in Religione adprobata ; vel cum vir sacros suscipit Ordines, et uxor in Religione profitetur ; aut, si sit senex, in sæculo continentiam voveat (ex Cap. *Præterea* 1. *Cum vis* 4. *Conjugatus* 5. et *Sane* 6. de Convers. conjugator.); aut si ambo velint vivere continentes, vel emittant votum simplex Castitatis (quod tamen absque perfecta maturitate, et prudentum consilio non est incaute faciendum.). Secunda causa petendæ separationis est, si alter conjugum in crimen incidat hæresis: conjux fidelis potest se separare ; cum hac tamen differentia, quod, si separetur auctoritate Ecclesiæ, non tenetur redire ad conjugem, etiamsi hic resipiscat. Si autem separetur auctoritate propria ; tenetur (C. *De illa* 6. de divort.).

457. Q. Quænam sunt aliæ causæ separationis?

℟. Tertia causa petendæ separationis, seu divortii est, si tanta sit alterius sævitia, ut sine vitæ periculo alter nequeat cohabitare; præsertim si jam

tentaverit sibi vitam adimere (ex C. *Ex transmissa* 8. et *Litteras* 13. in fine de Restit. Spoliat.). Ob solas autem verberationes, nisi sint graves, et repetitæ, nequit fieri separatio. Vide B. Ligorio n. 972. 973. Quarta causa est, si conjux in gravi peccandi periculo se videat; quia non obstantibus tot correctionibus, alter conjux eam cogit ad illicitum concubitum, ut ad copulam extra vas naturale; ad furta etc. Colligitur ex C. *Idololatria* 5. Caus. 28. q. 1. Quinta, si ob morbum contagiosum periculum immineat infectionis: quia ordinata charitas concedit, ut prius consulatur incolumitati propriæ. Hoc autem ex Cap. *Pervenit* 1. de Conjug. lepros. non permittitur, nisi uterque conjux continentiam servet; salus enim animæ prævalere debet saluti corporali. Sexto potest fieri hæc separatio, si conjux evadat furiosus, maleficus, energumenus etc. Hic autem nota, quod, quando his causis fiat divortium, si emendatio sequatur, et morbus cesset; debent conjuges iterum conjungi, et in pace cohabitare.

458. Q. Est ne alia causa faciendi Divortium?

℟. Septimo potest peti Divortium, seu separatio, si alter conjugum frangat fidem conjugalem adulterando cum alia persona; vel reus evadat sodomiæ, bestialitatis, aut alius illiciti concubitus. Hisce casibus conjux innocens potest petere Divortium. Sic colligitur ex verbis Christi (Matt. 19. 9.), ex C. *Significasti* 4. de Divort. et ex dicto Cap. *Idololatria*. Excipe cum S. Thoma (suppl. q. 62. a. 1.), si mulier absque sua culpa fuisset violenter oppressa, aut ab ipso viro prostituta; aut si conjux innocens condonasset injuriam debitum petendo, vel sponte reddendo: hisce enim casibus fieri non posset Divortium; et multo magis fieri

nequiret, si etiam alter conjux simili crimine reus fuisset. Vide jura ap. Auctores, et præsertim ap. Ferr. ibid.

Caput II.

De Requisitis ad validam, et licitam Matrimonii celebrationem.

459. Q. Quid requiritur, ut Matrimonium valide contrahatur?

℟. Requiritur in primis, ut contrahentes sint habiles, nec ullum habeant ex Impedimentis, quæ supra (a n. 392. ad 427.) diximus, dirimere, et nullum reddere Matrimonium, si forte contrahatur. Secundo requiritur, ut contrahentes verbis, aut aliis signis exterioribus suum verum consensum manifestent *coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus*, ut præscripsit Tridentinum (Sess. 24. Cap. 1.). *Et qui aliter Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit.* Quid autem notandum circa præsentiam Parochi, et testium, vide supra n. 421. et 422.

460. Q. Est ne aliud notandum circa Parochum?

℟. Ad impediendas, quoad fieri potest, quæstiones super validitate et invaliditate Matrimonii, debent Parochi, ut statuit Benedictus XIV. in Const. *Nimiam licentiam* 18. Maj. 1743., antequam denunciationes in Ecclesia fiant, exquirere a sponsis seorsim, et caute; an sponte, et cum vero animi consensu contrahant, vel sint coacti

etc. Parochus pariter inquirere debet, an inter sponsos aliquod interveniat impedimentum, et quale, ne invalidum fiat Matrimonium; et cum Matrimonium contrahitur; ipsemet Parochus, nisi sit legitime impeditus, assistere tenetur. Et cum licentiam dat alteri Sacerdoti assistendi, in scriptis eam det Libris Parochialibus ligandam, aut saltem registret propria manu Matrimonium, et exprimat, Sacerdotem N. de sui licentia Matrimonio adstitisse.

461. Q. Quid notandum circa consensum contrahentium?

℞. Consensus ad Matrimonii valorem requisitus sequentes habere debet conditiones. 1.° Ut consensus sit reciprocus, et expressis verbis, quæ indicent tempus præsens, idest, ut sponsus ad interrogationem Sacerdotis, an velit accipere N.; respondeat: *Volo*; et idipsum sponsa dicat sponso juxta præscriptum Ritualis Romani, vel adhibeantur verba æquivalentia. Et si consensus verbis nequeat exprimi, quia mutus; exprimatur per nutus, scripto, vel alio signo externo. 2.° Ut hic reciprocus consensus non solum sit exterior, sed etiam interior, verus, et non fictus (C. *Tua nos* de Sponsal.). Et qui sic ficte contraxit, duo gravia peccata commisit, et contra Religionem Sacramentum simulando; et contra justitiam, compartem decipiendo.

462. Q. Ad quid tenetur, qui sic ficte contraxit?

℞. In primis, cum initum matrimonium ob defectum consensus interni sit invalidum; hic fictus deceptor nihil eorum potest facere, quæ solis conjugibus sunt permissa. Insuper tenetur injuriam resarcire, et damna compensare, si quæ comparti acciderunt. Imo tenetur deceptionem tollere consen-

tiendo, et iterum contrahendo: quia in contractu oneroso, si una pars bona fide dedit verum consensum; etiam altera ad idem tenetur. Excipe, si aliqua gravis causa non obstet, qualis esset magna conditionis inæqualitas; vel si gravia mala, dissidia, scandala etc. ex tali Matrimonio timeantur: quia hoc casu sufficeret pecuniaria compensatio. Vide Antoine de Matrim. Cap. 2. q. 3. n. 1.

463. Q. Quænam sunt aliæ conditiones?

℟. Ut consensus sit validus, requiritur 3.°, ut sit liber ab *Errore*, *Violentia*, et *Metu gravi*, ut dictum est n. 393. 408. et 409. Requiritur 4.° ut consensus sit absolutus, et non conditionatus. Verum quidem est, quod quando conditio sive de præterito, sive de futuro non repugnet substantiæ, seu bonis matrimonii, absolute loquendo Matrimonium esset validum, ut probat Benedictus XIV. Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 22.): sed ob plura inconvenientia, quæ solent oriri, sponsi abstineant ab his conditionibus; et Parochi cauti sint in his admittendis. Quando autem conditiones anuullent, vel non Matrimonium, vide laudatum Pontificem, aliosque Auctores, et præsertim B. Ligorio n. 890. etc. At nota, quod usquedum conditiones non verificentur, sponsis non licent quæ conjugibus permittuntur.

464. Q. Quid requiritur, ut Matrimonium contrahatur licite?

℟. Requiritur 1.°, ut sponsi in contrahendo, honestum sibi finem proponant, ut esset conjunctio animorum, propria Sanctificatio; generatio, ac bona educatio prolis; remedium concupiscentiæ. Et secundario possunt etiam respicere divitias, honestatem familiæ, bonum nomen, et similia. Requiritur 2.°, ut filii, et filiæ familias non contra-

hant parentibus sive inconsultis, sive invitis, ut dictum est supra (n. 370.) etiam de Sponsalibus; et ibi dicta recolantur. Quamvis enim hujusmodi Matrimonia sint valida, ut declaravit Tridentinum (Sess. 24. Cap. 1.): filii autem a culpa mortali non excusarentur; si parentes juste contradicant. Ut si tale Matrimonium redundaret in dedecus familiæ, vel si timeantur gravia scandala, dissensiones etc. Si autem parentes prudentum judicio injuste impediant; filius, vel filia non teneretur obedire. Sic tot Doctores apud B. Ligorio n. 449.

465. Q. Requiritur ne aliud?

℟. Requiritur 3. ut Sponsi instructi sint in Doctrina Christiana saltem in iis, quæ necessaria sunt necessitate medii, et præcepti (ut Lib. II. a n. 8. ad 13.). Et Innocentius XII. an. 1697. decrevit, non esse a Parochis Matrimonium in Ecclesia proclamandum; nisi sponsi sint in ea sufficienter instructi: cum, ut subjungit Rituale Romanum, debeant deinde suos filios illam edocere. Bene autem advertit Benedict. XIV. (Syn. diœc. L. 8. C. 14. n. 6.), eis, qui hebetis sunt ingenii, cum a Matrimonio non sint perpetuo arcendi; si post adhibitam omnem diligentiam, non possint mente retinere; non esse Matrimonium denegandum. Denique cum Matrimonium sit Sacramentum vivorum; requiritur status gratiæ: aliter non solum non consequerentur gratiam sanctificantem, et sacramentalem (n. 3. et 4.); sed insuper gravi sacrilegio se alligarent; etiamsi per procuratorem contraherent.

466. Q. Quid dicendum, si sponsi dubitent, aliquo impedimento dirimente esse se irretitos?

℟. Antequam diligentia adhibeatur ad veritatem assequendam; certum est, non licere cum tali du-

bio Matrimonium contrahere. Post vero adhibitam diligentiam, communiter docent multi Doctores apud B. Ligorio (Lib. 6. n. 901.), posse Matrimonium contrahi cum opinione probabili juris de carentia impedimenti ; modo opinio illa sit universe, vel certe ab Auctoribus recepta, ut probabilis. Ratio : quia, quando adest opinio probabilis de jure ; tunc Ecclesia ex antiquissima consuetudine præsumitur contractum matrimonium approbare ; ut communiter dicunt præfati Doctores. Et Cardenas (in Prop. 1. damn. ab Innoc. XI. diss. 2. n. 542.) fuse probat pluribus decisionibus sacræ Rotæ, et ex declaratione Urbani VIII. apud eumdem Beatum.

Caput III.

De Debito conjugali, et Usu conjugii.

467. Q. Quid importat Debitum conjugale?

℟. Importat, quod post contractum Matrimonium, transacto bimestri, quod ad deliberandum de Religionis ingressu Alexander III. (Cap. *Ex publico* 7. de Conver. conjug.) dedit contrahentibus, ut etiam innuimus n. 454., oritur in utroque conjuge jus petendi debitum, et ex alia parte obligatio gravis reddendi, idest se præstandi in illis actibus, qui ad generationem sunt necessarii; et hoc tum jure naturali ; cum finis primarius Matrimonii sit prolis generatio ; tum jure divino expresso illis Pauli verbis (1. Cor. 7. 3., et 5.) : *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro . . . . . Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus.* Ex quibus verbis inferunt communiter Doctores, quod conjux injuste negans debitum alteri conjugi serio, et instanter verbis, aut aliis signis petenti, graviter peccet contra justitiam.

468. Q. Quare dixisti : *serio*, *et instanter ?*

℟. Quia, si petens facile cedat, et ad dilationem consentiat; dummodo absit periculum pollutionis, aut alius peccati, communiter dicunt Layman cum aliis quos citat, et sequitur Ferraris (V. *Debitum conjugale* A. 1. n. 3. et 4.), non fore peccatum. At, si petens ægre ferat recusationem; irascatur; blasphemet; aut in alia verba indecentia prorumpat, aut alia peccata committat; tunc qui petitur, ex dictis sub gravi tenetur reddere : eo magis quod experientia teste, ex hujusmodi irrationali denegatione adulteria, dissidia, aliaque inconvenientia toties exoriantur. Dixi *irrationabili denegatione* : quia si cui petitur, justas habeat causas denegandi, tunc denegando non peccat.

469. Q. Quænam sunt justæ causæ, ob quas licite possit debitum denegari ?

℟. In primis sunt illæ causæ, quæ, ut supra (n. 456. 457. et 458.) diximus, permittunt divortium, præsertim crimina hæresis, adulterii, sodomiæ, bestialitatis. Si enim hæ causæ permittunt divortium; multo magis permittunt conjugi innocenti denegationem debiti cum exceptione ibi data. 2.° Si conjux laboret peste, morbo gallico, vel alio morbo contagioso, et communicabili; et ex judicio medici periti absque periculo infectionis debitum reddi nequeat; altera pars sana non tenetur reddere; dummodo, ut dictum est n. 457., absit periculum incontinentiæ : quia, ut bene notat S. Thomas (in 4. dist. 32. a. 1. in corp.) conjux tenetur reddere, *salva tamen prius personæ incolumitate* : Dixi : *absque periculo infectionis* : quia si hoc non adsit, tunc ex Alexandro III. (C. *Quoniam* 2. de Conjug. lepros.) te-

neretur. Vide Ferraris (ibid. num. 14. et 15.).

470. Q. Quænam sunt aliæ causæ?

℟. Ob rationem mox adductam ab Angelico, 3.° non tenetur extra periculum incontinentiæ uxor debitum reddere, si ex experientia, et medicorum judicio absque vitæ periculo nequeat parturire. 4.° Si reddere nequeat absque periculo abortus, vel mortis fœtus. 5.° Non tenetur, si petens sit furiosus, ebrius, aut alias tunc carens usu rationis. Communis. Teneretur tamen ex charitate, si ex denegatione conjux se pollueret, ad aliam accederet; aut alia scandala timerentur. 6.° Non tenetur, si conjux petatur nimis frequenter, vel ubi possit videri, vel audiri. 7.° Non tenetur, imo peccaret uxor, si sodomitice, vel aliis modis generationem impeditivis requiratur. Hic autem nota, quod, si solus vir generationem impediat, malitiose seminando extra vas; et uxor non possit eum a tanto crimine avertere; tunc juxta Sanchez, et alios, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 947.), potest reddere: quia non cooperatur ad viri paccatum, sed ad copulam inceptam sibi licitam:

471. Q. Usus conjugii semper ne est licitus?

℟. Minime. Si enim conjuges post contractum Matrimonium comperiant contraxisse cum impedimento dirimenti, deberent se separare, ut dictum est n. 437. Si autem dubitent de valore Matrimonii contracti sive cum bona, sive cum mala fide; donec dubium prudenter deponant; non possunt nec petere, nec reddere. Si vero unus tantum ex conjugibus dubitet ex. gr. de morte prioris conjugis; quamvis possit reddere, non potest autem petere, usquedum dubium, ut supra, deponat. Sic respondit Lucius III. (C. *Dominus* 2.

de Sec. nupt.). Quod si hic conjux non dubitet, sed certus sit, Matrimonium contraxisse cum impedimento dirimente, vide quæ diximus supra n. 439., et seqq.

472. Q. Est ne aliud præterea addendum?

℟. Maxime. Si quis enim post contractum matrimonium copulam perfectam (n. 415.) habeat cum persona, quam sciebat esse consanguineam alterius conjugis in primo, vel secundo gradu; huic ob tantum crimen interdictus est usus conjugii quoad petitionem, idest non potest petere, ut dicutm est supra n. 418. usquedum a Pœnitentiaria, vel ab Episcopo dispensationem obtineat, cum exceptionibus datis n. 419: potest tamen, et tenetur reddere, ut ibi dictum est. Sic, si quis conjugum post Matrimonium contractum votum emittat castitatis sine consensu alterius, quamvis non possit petere, nisi prius voti dispensationem obtineat; tenetur reddere. Sic respondit Alexander III. (Cap. *Quidam* 3. de Convers. conjug.). Et idem dic, si hujusmodi votum simplex emiserit ante Matrimonium. Quamvis enim peccarit contrahendo, nec ante dispensationem posset petere; tenetur tamen reddere, sed post bimestre: quia intra bimestre altera pars non habet jus petendi, ut diximus n. 467.

473. Q. Est ne aliud insuper addendum?

℟. Etiamsi Ecclesia optaret, ut diebus jejunii, et in Festis solemnibus conjuges ab usu conjugii abstinerent (in Missa pro Sponso, et Sponsa); hoc tamen consilium est, non præceptum, ut communiter sentiunt Doctores. Sic pariter, cum maxime deceat, ut cum corporis munditie accedatur ad sacram Communionem; et venialiter peccet qui ob solam voluptatem petit: conjux autem, quæ

reddit, nisi ab usu conjugii possit compartem removere; non peccat reddendo. Vide quæ diximus n. 113. et 114. Cætera autem, quæ circa hanc lubricam materiam scitu sunt necessaria; et quid liceat, et non liceat conjugibus, Confessarius inquirat apud Auctores. Sed cum magna cautela, recta intentione, et mente ad Deum elevando hujusmodi materias percurrat: ne corpus, et animam suam aliqua inquinet fœditate.

LIBER V.

De Censuris, Irregularitatibus etc.

Si omnes in suo se continerent officio, ut Sancta Mater Ecclesia summopere exoptaret; opus certe non esset, ut in suos filios, quos tanto amore ipsa prosequitur, pœnas statueret, ac punitiones. Sed quia summo cum suo dolore multos ex illis inobedientes conspicit, divinisque, ac humanis Legibus reluctantes: hinc *ut quos Dei timor a malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat severitas disciplinæ*, ut apposite se expressit Alexander III. (C. *Cum in cunctis* 7. de elect.); præter pœnas temporales, alias spirituales constituit pœnas, quæ appellantur Censuræ, de quibus in hoc V. et ultimo Libro nostri Compendii agemus. Et quia, Depositio, Degradatio, Cessatio a divinis, et Irregularitas affinitatem quamdam habent cum Censuris, quamvis tales non sint; etiam de his in hoc Libro dissere tur. Sit igitur

TRACTATUS I.

De Censuris.

1. Q. Quid sub nomine *Censuræ* intelligitur?

℞. Quamvis sub nomine *Censuræ* olim intelligebatur sententia illa, et correctio, quam infligebant Judices Romani, qui *Censores* appellabantur: nos autem in hoc loco sub nomine *Censuræ* illas pœnas spirituales intelligimus, quas Ecclesia in filios inobedientes et contumaces infligit. Cum autem Censuræ possint considerari in se, et in ge-

nere ; et possint quidem considerari in specie : hinc in duos Articulos hunc Tractatum dividemus. In primo loquemur de Censuris in genere ; in altero de Censuris in specie.

ARTICULUS I.

De Censuris in genere.

2. Q. Quid, et quotuplex est Censura ?

℟. Juxta definitionem Suarez approbatam a Benedicto XIV. (Syn. Diœc. L. 10. Cap. 1. n. 1.) *est pœna spiritualis, et medicinalis, qua homini baptizato delinquenti, ac contumaci quorumdam spiritualium bonorum usus aufertur, donec a contumacia recedat.* Dividitur 1. in Excommunicationem, Suspensionem, et Interdictum. Sed de his in Articulo II. agetur. Dividitur 2. in Censuram *a jure*, et in Censuram *ab homine.* Censura *a jure* est illa, quæ fertur per Canonem, Constitutiones Pontificias, vel Synodales ; et hæc Censura est perpetua, nisi revocetur. Censura *ab homine* est illa, quæ fertur a Superiore Ecclesiastico per præceptum transitorium, vel per sententiam judiciariam ; quæ Censura, si non sit jam contracta ; expirat morte, vel amotione Superioris. Communis.

3. Q. Datur ne alia divisio Censuræ ?

℟. Dividitur 3.° in Censuram latæ, et ferendæ sententiæ. Censura *latæ sententiæ* est illa, quam quis contra legem faciens, statim incurrit absque alia declaratione : ut si Superior utatur his verbis : *ipso facto, ipso jure, ex tunc, mox, illico, statim etc.* ; vel si dicat : *Excommunicamus, su-*

spenduntur , *volumus esse excommunicatum* , *subjaceat Excommunicationi*, *noverit se suspensum* , *sit excommunicatus*, et similia. Censura autem *ferendæ sententiæ* , seu *Comminatoria* est illa , quæ non contrahitur , nisi post Judicis sententiam ; ut si diceret : *excommunicetur* , *decernimus suspendendum* , sub *interminatione anathematis* , *sub pœna excommunicationis* (dummodo additum non sit *latæ sententiæ*) , et similia. In dubio censenda est *ferendæ sententiæ* : quia , ut legitur in Reg. 49. juris in 6. , *in pœnis benignior est interpretatio facienda*. De quo autem in hoc Articulo sit agendum , dicent sequentia Capita.

Caput I.

De Latore , *Subjecto* , *et Causa Censuræ.*

4. Q. Quis potest ferre Censuras ?

℟. Sunt omnes illi , qui habent jurisdictionem in foro exteriori , aut alius ab his delegatus , qui saltem debet esse Clericus. Hinc Papa , et Concilia generalia æcumenica possunt ferre Censuras in Christifideles totius mundi. Episcopi , cæterique Ordinarii , eorumque Synodales Constitutiones ; sicut et eorum Vicarii Generales , Vicarii Capitulares , Sede Vacante ; sed tantum in proprios subditos , et etiam in illos exteros , qui delinquunt in eorum Diœcesibus. Abbates Regulares , cæterique Superiores Regularium saltem Generales , et Provinciales in suos respective subditos. Vide Jura ap. Ferraris V. *Censura* n. 8. B. Ligorio Lib. 7. n. 12. etc. , et 26.

5. Q. Quid requiritur , ut possit quis Censuris ligari ?

℟. Requiritur 1.°, ut sit baptizatus: qui enim non sunt baptizati, non sunt Ecclesiæ subditi. 2.° ut homo sit sui compos, et perfectum habeat rationis usum: quia qui peccare non potest, nec potest puniri. Hinc infantes, amentes, furiosi, si in eo statu actionem faciant sub Censura vetitam; eam non incurrunt. Impuberes vero doli capaces, licet ligari possint Censuris; advertit tamen Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur idem Beatus (n. 14.), quod Censuræ generaliter latæ non incurruntur ab impuberibus, nisi hoc sit expressum; ut reapse expressit Tridentinum (Sess. 25. Cap. 5. de Reg.), ubi excommunicantur ipso facto quicumque Monialium Monasteria ingrediuntur, *cujuscumque. . . . Sexus, vel ætatis fuerint*: dummodo non sint infantes ante usum rationis, qui incapaces sunt incurrendi Censuras, ut mox diximus. Incurreret autem censuras violatæ Clausuræ qui introduceret, vel admitteret infantes (S. C. Ep. 7. Apr. 1579.).

6. Q. Requiritur ne aliud?

℟. Requiritur 3.° contumacia in censurato; idest, quod, quamvis quis sciat, actionem aliquam, ex. gr. furtum sacrilegum vetitum esse sub Censura; nihilominus sciens, et volens illud committit. Et sic de aliis. Quoad Censuras autem per sententiam particularem latas ab homine, præsertim excommunicationis; Requiritur 4.°, ut ante fulminationem Censuræ præcedat trina monitio in scriptis facienda cum expressione illius, qui fert; illius, contra quem fertur; et causæ ob quam fertur Censura: ut criminosus resipiscat, atque emendetur, sicut sapienter monet Devoti (Tom. 4. Tit. 18. n. 14.). In casu autem urgenti etiam una monitio pro tribus potest sufficere. Dixi *presertim ex-*

communicationis : quia Censuræ Suspensionis, et Interdicti aliquando non ut veræ Censuræ, sed ut pœnæ vindicativæ, seu punitivæ alicujus delicti imponi possunt. etiam absque ulla præcedente monitione Vide Jura ap. Ferraris (ibid. a n. 20. ad 25.).

7. Q. Ob quas causas potest infligi Censura ?

℟. Cum Censura sit pœna, qua majorem nullam habeat Ecclesia ; patet gravem culpam generaliter loquendo requiri ad Censuram infligendam : pœna enim culpæ debet respondere. Dixi : *generaliter loquendo* ; 1.° quia, si culpa levis ratione scandali, periculi, finis intenti, aut ob aliam circumstantiam evadat gravis, etiam huic culpæ posset infligi Censura. Et revera in Jure statuta est Excommunicatio major etiam ob levem Clerici percussionem ob reverentiam, quæ statui Clericali debetur. Dixi : 2.° *Generaliter loquendo* : quia Excommunicatio minor, cum non sit pœna tam gravis, imponitur etiam pro levibus culpis, sicut in Jure imponitur illi, qui communicat cum excommunicato vitando, ut infra dicetur n. 25 ; et etiam Suspensio per unam, vel alteram diem, vel hebdomadam, potest pro levi culpa imponi ; ut notat Pirhing. (ap. Monac. Tom. 2. Prælud. §. 8. n. 99.) et Salmaticenses (ap. Ligor. n. 321.).

8. Q. Quid notandum circa culpam, cui adnexa est Censura ?

℟. Notandum. 1.° quod talis culpa admissa sit in territorio ferentis Censuram. Hinc, si quis Marsicanus blasphemiam hæreticalem proferret extra Diœcesim ; nisi etiam in illa tanto crimini adnexa sit Censura ; in Censuram non incurreret : etiamsi in Diœcesim rediens, non posset absolvi a Confessario simplici ; quia Blasphemia hæreticalis est

Casus reservatus. Notandum. 2.° quod, sicut Ecclesia peccatis mere internis non soleat infligere Censuras; requiritur insuper, quod culpa sit externa. Hinc quamvis contra simoniacos ex. gr., et Clerici percussores inflicta sit Excommunicatio major; qui solum intendit pecuniam dare pro Beneficio, vel Clericum percutere; quamvis graviter peccaret; Censuram tamen non incurreret.

9. Q. Est ne aliud præterea addendum?

℟. Addendum, quod peccatum, cui inflicta est Censura, debet esse completum, consummatum; nisi aliud in Lege exprimatur. Hinc Excommunicatione non innodatur ille, qui projicit lapidem in Clericum, si lapis Clericum non tetigerit: etiamsi ob pravum animum graviter peccarit. Similiter qui graviter hominem vulneravit cum animo occidendi; licet gravissima culpa sit reus; non incurrit Excommunicationem contra homicidas latam, nisi mors sequatur; et posset absolvi etiam a Confessario simplici. Sed si deinde mors ex tali vulnere eveniat, Censuram incurreret, et absolutionem petere deberet. Dixi: *nisi aliter in lege exprimatur*; quia si in Lege exprimatur, Censuram incurri, etiam effectu non secuto, ut ex Constit. *Detestabilem* Benedicti XIV. accidit in duellantibus, patrinis, assistentibus etc. tunc Censura incurreretur, etiamsi mors, imo nec duellum fuerit secutum.

Caput II.

De Causis excusantibus ab incurrendis Censuris.

10. Q. Sunt ne Causæ, quæ excusent ab incurrenda Censura?

℟. Maxime. 1.° Quando qui eam fert, non habet jurisdictionem, ut explicatum est n. 4., aut si illam habeat interdictam, aut suspensam per appellationem tempore debito factam. 2.° Non incurritur Censura, si culpa, ob quam fertur, nec in se, nec ex circumstantiis sit gravis, ut n. 7. dictum est. 3.° Si ante fulminationem Censuræ per sententiam particularem, ut n. 6., non præcesserint debitæ monitiones: quia si reus non foret monitus, non posset dici contumax. Dixi *per sententiam particularem*: quia, quando Censuræ sive a *jure*, sive *ab homine* infliguntur per legem generalem; ex. gr. si aliquid præceptum, aut vetitum sit sub pœna Excommunicationis, cum Lex semper moneat, alia monitione opus non est.

11. Q. Quid dicendum, si censuratus immunis sit a culpa sibi imputata?

℟. Potest dari casus, ut juxta allegata, et probata aliquis sit declaratus concurrisse ex. gr. in abortum, arborem fructiferam recidisse etc. et proinde declaratus excommunicatus. Etiamsi ante Deum hujusmodi vir sit innocens; et privatim, vel coram iis, qui innocentiam ejus perspectam habent, et secluso scandalo, possit tamquam non censuratum se gerere: in publico autem ob multa inconvenientia, quæ sequerentur, et etiam ne Ecclesiæ auctoritatem videatur vilipendere; debet se gerere tamquam Censura innodatum. Colligitur ex Cap. *Inquisitioni* 44. de Sentent. Excom.; ubi in casu consimili Innocentius III. dicit, innocentem *debere humiliter Excommunicationis sententiam sustinere*. Id autem non vetat, ut hujusmodi innocens ad Superiorem appellet, vel aliter suam innocentiam patefacere curet, aut absolutionem petat. Et hic nota, quod, si innocenter censuratus

aliquem Ordinem exerceret; Irregularitatem non incurret: quæ incurritur ob violationem Censuræ veræ, et non apparentis.

12. Q. Quid dicendum in dubio, an incurrerit?

℟. Ante sententiam judicis, nemo tenetur se gerere, ut censuratum; sive dubium sit *juris*; ut si quis dubitaret, an Censura lata sit contra tale crimen; vel an Censura sit latæ, an ferendæ sententiæ; ut dictum est n. 3.: sive dubium sit *facti*; ut si dubitetur, an percussio Clerico facta fuerit graviter injuriosa nec ne: quia in dubio nemo est expoliandus jure suo. Si autem quis dubitet, an causa, ob quam fuit censuratus, sit justa, necne; debet se gerere ut censuratum: quia in isto dubio possidet potestas judicis. Vide B. Ligorio n. 67. et 68. Pariter si dubitetur, an mors hominis secuta sit ex vulnere, vel alia ex causa; si vulnus fuit grave, et homo mortuus sit intra quadraginta dies, censendum est mortuum esse ex vulnere, et feritorem incurrisse in Excommunicationem. Si autem vulnus fuit leve; aut si grave, homo mortuus fuerit post quadraginta dies; in dubio censendum est ex alia causa obiisse; et proinde feritorem in censuram non incurrisse.

13. Q. Quænam aliæ Causæ excusant ab incurrendis Censuris?

℟. Excusat 4.° Ignorantia tam juris, quam facti, præsertim in sententiis Ordinariorum; dummodo ignorantia non sit *supina*, aut *crassa*; ut declaravit Bonifacius VIII. in Cap. *Ut animarum* 2. de Constit. in 6.; et multo magis, nisi ignorantia fuerit *affectata*. Quæ autem sit ignorantia *supina*, et *affectata*, vide supra Lib. I. n. 19. Hinc qui nesciret, Censuram latam esse a jure contra percussores Clericorum; vel illum, quem

percutit, esse Clericum; licet graviter peccet percutiendo; Censuram non incurret: quia talis non est censendus contumax contra Legem Ecclesiæ, nec Censuræ contemptorem. Ita Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio n. 43. Imo, si Censura lata sit contra eos, qui *scienter*, *consulto*, *temerario ausu*, *præsumpserint etc.* aliquid facere, vel omittere; excusaret etiam ignorantia *crassa*, et *supina*. Communis. Non excusaret autem ignorantia *affectata*; quia hæc æquiparatur scientiæ, et culpam auget, ut diximus Lib. 1. n. 19.

14. Q. Sunt ne aliæ Causæ excusantes?

℟. Excusat 5.° ab incurrenda Censura metus gravis, ut explicatum est Lib. I. n. 10. 11. et 12. Hinc qui metu mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, et similium homicidium, aut aliud patraret Censura vetitum, peccaret quidem contra legem divinam, et naturalem; non peccaret tamen contra legem Ecclesiæ, et proinde Censuram non incurreret; quia Leges Ecclesiasticæ cum tanto periculo non obligant; nec occisio censetur conjuncta cum contumacia. Ita Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Beatus n. 46. Excipe, si metus incutiatur in contemptum Religionis, aut Censurarum: quia tunc etiam cum periculo mortis non posset occidere; et occidendo non excusaretur a Censura. Communis. Denique excusat a Censura quidquid a peccato gravi excusaret, ut materiæ parvitas, defectus advertentiæ, et deliberationis; impotentia Legem adimplendi, et similia.

Caput III.

De Absolutione a Censuris.

15. Q. Quis absolvere potest a Censuris?

℟. Si censura lata sit contra aliquam personam determinatam per sententiam particularem; regulariter loquendo ille potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus Superior, vel Successor, vel Delegatus. Et idipsum dic, quando Censura quocumque modo sit reservata. Si autem Censura lata est a jure, vel etiam ab homine per sententiam generalem contra quoscumque; nisi sit reservata; potest ab ea absolvere non solum Episcopus, sed quicumque Confessarius adprobatus. Sic statuit Innocentius III. in Cap. *Nuper* 29. de Sent. Excom.; et ita sentiunt S. Thomas (Suppl q. 24. a. 1.), et communiter alii Doctores apud B. Ligorio n. 70. et 72.: quamvis alii Doctores dicant, a solo Episcopo posse absolvi. Dixi: *regulariter loquendo*: quia in aliquibus circumstantiis etiam inferiores absolvere possunt a quibuscumque Censuris.

16. Q. Quænam sunt hæ circumstantiæ?

℟. Si quis constitutus sit in articulo, vel periculo mortis; omnis Confessarius, et in defectu etiam simplex Sacerdos absolvere potest non solum ab omnibus peccatis, sed etiam ab omnibus Censuris quantumvis reservatis, et etiam ab Hæresi formali, ut diximus Lib. III. n. 158. et 159.; cum conditionibus, et obligationibus ibi expositis. 2. Si delictum, ob quod quis censuratus reperitur, sit occultum; idest, quod a nemine sciatur, vel a quinque, vel sex personis in aliquo oppido, vel a septem, aut octo in civitate, ut inquiunt The-

saurus, et Navarrus relati a Lambertini (Instit. 87. n. 45.); ex Cap. *Liceat* 6. de Ref. Tridentini Sess. 24., hujusmodi Censuræ possunt absolvi ab Episcopo, cæterisque Ordinariis, sive per se, sive per specialiter deputatum, etiamsi reservatæ sint Pontifici: excepta tamen Hæresi, ut dictum est Lib. IV. n. 324., et Casibus in Bulla Cœnæ reservatis, ubi hæc viget; qui absque speciali concessione nequeunt absolvi extra mortis articulum, ut legitur in Bulla.

17. Q. Quænam sunt aliæ circumstantiæ?

℟. 3.° Si qui incurrit in Censuram Papæ reservatam, impeditus sit personaliter adire Pontificem; tunc Episcopus proprius, cæterique Ordinarii, sive per se, sive per alium possunt eum absolvere; etiamsi Censura sit publica; et etiam ab Hæresi, cæterisque Censuris in Bulla Cœnæ contentis, cum obligatione tamen satisfaciendi parti lesæ, si adsit. Sed hic notandum, quod si impedimentum sit perpetuum, vel ad longum tempus, censuratus absolvitur absque onere comparendi. Si autem impedimentum sit ad tempus; tunc potest quidem absolvi, sed cum onere, quod cessante impedimento; vel per se, vel per procuratorem Pontificem adeat, ut ejus mandato obtemperet: alias non comparendo, cessato impedimento, reincideret in aliam similem Censuram. Vide Canones apud B. Ligorio (a n. 79. ad 84.), ap. Ferraris V. *Absolutio* Art. I. n. 6. etc.

18. Q. Quinam intelliguntur impediti Pontificem adire?

℟. Sunt 1. filii familias; 2. Regulares; 3. senes saltem sexagenarii; 4. servi; 5. pauperes, qui ob inopiam nequeunt Romam petere; 6. carceribus, vel triremibus ad longum tempus damna-

ti, et similes. 7. qui habent obligationem alendi familiam, aut habent aliquam administrationem, quam absque publico detrimento relinquere non possent; 8. mulieres; 9. impuberes; 10. illi, qui simul vitam ducunt, ut sunt milites; illi, qui vivunt in Seminariis, Collegiis etc.; 11. infirmi gravi, et longa ægritudine laborantes; 12. qui ob debilitatem, vel delicatam vitam itineris labores ferre non valent: sed pro his, nisi periculum sit in mora, consulendus est Pontifex; 13. denique qui absque gravi damno spirituali, vel temporali suo, vel suorum iter arripere nequeant. Hi autem tunc perpetuo impediti dicuntur, quando per decennium, et etiam per quinquennium juxta Tamburinum impedimento laborant. Vide jura ap. B. Ligorio n. 85. etc.

19. Q. Sunt ne alii, qui absolvere valeant a Censuris Papæ reservatis?

℞. Maxime; et hi sunt Confessarii Regulares, qui ex privilegio Pauli III. Const. *Cum inter cunctas* 3. Junii 1545. possunt absolvere ab omnibus Censuris Papæ reservatis, exceptis illis, quæ continentur in Bulla Cœnæ, et aliis ex Censuris intra Italiam, et extra Romam quæ ex mandato Clementis VIII. absque speciali concessione absolvi nequeunt. Hæc omnia noverint Parochi, cæterique Confessarii, ut in casu sciant, ad quos remittere possint suos pœnitentes hujusmodi Censuris irretitos. Quid autem possint Confessarii circa tales Censuras tempore Jubilei, vel vigore Bullæ S. Cruciatæ; considerentur attente verba Bullarum. Quæ vero sint Censuræ Pontifici reservatæ, vide n. 44. etc 55.

20. Q. Circa absolutionem a Censuris est ne aliud præterea notandum?

℟. Si quis censuratus sit ob scandalum, vel injustitiam, seu damnum tertio causatum in honore, vel bonis fortunæ; non potest absolvi, nisi remoto scandalo, et parte læsa satisfacta; et, si statim non posset satisfacere, deberet cautionem præbere (Cap. *Odoardus* 3. de Solut.), aut saltem juramentum de satisfaciendo, ut constituit Benedictus XIV. (Constit. *Convocatis* 25. Nov. 1749. n. 27.). Et, si Confessarius absque his conditionibus advertenter absolveret; graviter contra justitiam peccaret, et ad compensanda damna teneretur. Ita Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 127.). Si autem pars læsa satisfactionem remittat, vel renuat; tunc censuratus posset licite absolvi. Et hic nota, quod si censuratus partem læsam non curet satisfacere, cum posset; ex Cap. *Eos*, *qui* 22. de Sentent. Excom. in 6. in eamdem reincideret Censuram.

21. Q. Quibus verbis absolvi debet censuratus?

℟. Si Superior formam præscripserit; hæc adhibeatur. Sin aliter, tam in foro externo, quam in foro interno forma adhibeatur in Rituali Romano (de Sacram. Pœnit.) præscripta pro absolutione tam Excommunicationis, quam Suspensionis, et Interdicti; et ibi reperies etiam Ritum absolvendi excommunicatum jam mortuum. Notet tamen absolvens, quod idem Rituale advertit, nempe: *Si crimen*, *ob quod in Excommunicationem* quis *incidit*, *sit grave*; præter satisfactionem partis læsæ, ut supra; *juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ*, *quæ illi fient pro tali causa*: *ac præcipue*, *ne deinceps delinquat contra illum Canonem*, *vel decretum*, *contra quod faciendo Censuram incurrit*.

ARTICULUS II.

De Censuris in specie; Depositione, Degradatione, et Cessatione a divinis.

22. Q. Quot sunt Censuræ?

℟. Sunt tres, ut jam innuimus n. 2. *Excommunicatio* scilicet, *Suspensio*, et *Interdictum*. Cum ergo in præcedenti Articulo locuti fuimus de Censuris in genere; agemus in hoc de Censuris in specie; et videbimus, quæ sunt amplius scitu necessaria tam de Excommunicatione, quam de Suspensione, et Interdicto.

Caput I.

De Excommunicatione.

23. Q. Quid, et quotuplex est Excommunicatio?

℟. Excommunicatio, quæ quando solemniter publicatur, etiam *Anathema* dicitur, est Censura Ecclesiastica, qua Christianus aliquibus bonis spiritualibus privatur. Multipliciter autem dividitur. Primo in Majorem, et Minorem. Excommunicatio *major* est illa, qua innodatus, non solum a Sacramentorum perceptione, sed etiam a communione fidelium separatur. Ita Gregorius IX. in C. *Si quem* 59. de Sent. Excomm. Et quando simpliciter *Excommunicatio* nominatur, ex eodem Capite semper de *Majori* intelligitur. Infligitur autem vel *a jure*, vel *ab homine*; et est *latæ*, vel *ferendæ sententiæ*, ut supra innuimus n. 2. et 3.

24. Q. Quænam est Excommunicatio *minor*?

℟. Est illa, quæ ex citato Cap. *Si quem* privat hominem Sacramentorum perceptione; et ex alio Cap. *Si celebrat* 10. de Cler. Excom. privat etiam licita eorum administratione, et passiva electione ad Beneficia: ita ut, si quis *minori* Excommunicatione innodatus ante recipiendam absolutionem (quæ dari potest ab omni Confessario) celebret, graviter peccet; sicuti peccaret, si absque necessitate alia Sacramenta administraret; et, si scienter aliquod Beneficium obtineret, ejus electio deberet irritari.

25. Q. Quando incurritur hæc *minor* Excommunicatio?

℟. Incurritur ob culpabilem communicationem etiam in civilibus cum excommunicato vitando (nisi adsit legitima causa, ut infra n. 33. 34.). Sic legitur in Cap. *Statuimus* 3. de Sent. Excom. in 6. Imo, si contra Superioris prohibitionem cum ipso vellet pertinaciter communicare; aut si communicet in crimine criminoso, idest in illo crimine, per quod fuit quis excommunicatus; ex cit. Cap. *Si celebrat*, et ex Cap. *Nuper* 29. de Sent. Excom. incurreret Excommunicationem *majorem*. Et insuper incurritur Excommunicatio minor, si laicus in Ecclesia alium laicum injuriose alapa percutiat S. C. Immun. 26. Jun. 1628. (ap. Monacel. Formul. Tit. 5. Form. 8. n. 21.).

26. Q. Datur ne alia divisio Excommunicationis?

℟. Maxime. Dividitur insuper in Excommunicationem toleratam, et non toleratam. Excommunicatio *tolerata* est illa, qua qui est annodatus, dicitur excommunicatus *toleratus*, quia Ecclesia tolerat, ut fideles possint cum ipso communicare: is autem non requisitus, non potest se in communicando ingerere: Excommunicatio autem *non*

tolerata est illa, qua qui est ligatus, dicitur excommunicatus *non toleratus*, seu *vitandus*; et hic nec requisitus, potest cum aliis communicare; nec alii cum eo. Qui autem sint excomunicati *tolerati*, et *qui vitandi*; quæ sint causæ, ob quas cum ipsis possit communicari; qui sint effectus utriusque hujus Excommunicationis: quæ sint pœnæ contra violantes hanc Censuram; videbimus in Paragraphis sequentibus.

Paragraphus I.

De Excommunicatis vitandis, et toleratis.

27. Q. Qui reputantur excommunicati *vitandi*, et qui *tolerati*?

℟. Quamvis antiquitus omnes excommunicati essent vitandi; post Constitutionem vero Concilii Costantiensis: *Ad evitanda*, confirmatam a Martino V. ut innuit etiam Bened. XIV. (Syn. Diœc. Lib. 12. Cap. 5. n. 4.), decernuntur vitanda duo genera excommunicatorum; idest, publici, ac notorii Clericorum, vel Monacorum percussores; et illi, qui publice excommunicati, et nominatim denunciati sunt. Et isti solum reputantur *vitandi*: ita ut nec ipsi cum fidelibus communicare queant, nec fideles cum ipsis. Cæteri autem excommunicati reputantur *tolerati*; nec vetitum est cum istis communicare, ut numero præcedenti innuimus.

28. Q. Quando percussores Clericorum, aut Monachorum censendi sunt excommunicati *vitandi*?

℟. In primis requiritur, ut percussor reapse in Excommunicationem inciderit juxta dicta Lib. III. n. 74. 75. et 76. Secundo requiritur, ut percus-

sio facta sit in publico, et notoria evaserit; et insuper ut *factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari*; ut legitur in cit. Const. *Ad evidanda*. Hinc licet percussio sit publice facta, et reddita etiam notoria; si percussor posset se excusare, et dicere, se fuisse ebrium; aut in sui defensionem fecisse; vel ex motu primo primo; vel ignorasse illum esse Clericum, vel Monachum; aut percussori adnexam esse Excommunicationem; tunc, ut percussor foret *vitandus*, præter notorietatem *facti*, requireretur etiam notorietas *juris*; seu quod per sententiam Judicis Ecclesiastici constet, illam percussionem nulla tergiversatione posse excusari; et percussorem reapse in Excommunicationem incidisse, et esse vitandum.

29. Q. Quando publice excommunicati censendi sunt *vitandi*?

℟. Quando quis non solum sit publice excommunicatus; sed insuper, ut per auctoritatem Ecclesiasticam sit publice, ut talis denuntiatus, vel inter Missarum solemnia; vel per cedulonum in locis publicis affixionem, juxta locorum consuetudinem; vel alias. Hinc, quamvis publice constet, Hæreticos ex. gr. esse publice excommunicatos Excommunicatione majori Papæ reservata; nisi autem constet, vel per famam publicam, vel per testimonium duorum fide dignorum, et etiam unius gravis personæ, aliquem ex illis esse, ut supra, denuntiatum, veluti excommunicatum; hujusmodi Hæretici non essent *vitandi*: quia ex dicta Const. *Ad evitanda* requiritur, ut sententia sit a Judice publicata, et specialiter denuntiata. Vide B. Ligorio n. 135. et seqq. ac n. 207.

30. Q. In quibus hujusmodi excommunicati *vitandi* debeant evitari?

℟. Casus, in quibus sub pœna Excommunicationis minoris, ut explicatum est n. 25., vetitum est communicare cum excommunicatis vitandis, comprehenduntur sequenti versiculo: *Os*, *Orare*, *Vale*, *Communio*, *Mensa negatur*; ut eruitur ex Cap. *Excommunicatos* 17. Caus. 11. q. 3. Per ly *Os* intelligitur vetitum cum excommunicato vitando quodcumque colloquium etiam privatum, vel per nutus, per litteras, per internuncium; et quodvis signum benevolentiæ, ut missio, vel acceptatio munerum, et similia, quæ inter amicos exerceri solent, ut sentiunt Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 189.).

31. Q. Quid intelligitur per ly *Orare?*

℟. Intelligitur, quod fidelibus vetitum est Missæ interesse cum excommunicato vitando; aut cum ipso assistere processionibus, divinis Officiis, Orationibus, aliisve sacris Functionibus; aut Missam coram ipso celebrare. Et si hujusmodi excommunicatus Missam auditurus Ecclesiam intraret; et monitus a Celebrante, nollet exire; jam ipse in aliam Excommunicationem Papæ reservatam incideret, ut statuitur in Clem. *Gravis* 2. de Sent. Excom., et insuper si ipse nolit exire, aut nequeat expelli; Divina Officia etc. essent interrumpenda; astantes aufugere deberent, et ipse Sacerdos, si nondum Canonem incepit, Missam abrumpere teneretur; et si inceperit, cum solo Ministro potest Missam prosequi usque ad sumptionem sacri Sanguinis, et reliqua perficere in Sacristia, vel omittere, si hæc non adsit. Communis.

32. Q. Quid intelligitur per ly *Vale*, *Communio*, *et Mensa?*

℟. Per ly *Vale* intelligitur prohibita omnis honorifica, aut amica salutatio verbis, nutibus, ge-

stibus, aut aliis signis. Per ly *Communio* intelligitur vetita cum excommunicatis vitandis quæcumque societas in habitatione, contractibus, judiciis, operibus, itinere, aliisque exercitiis. Per ly *Mensa* denique intelligitur interdicta cum ipsis quæcumque communicatio in cibo, potu, conviviis, mensa etc: dummodo casu quis non reperiatur cum *vitando* in eodem diversorio, et etiam mensa; ubi unusquisque sibi intendit. Ita Suarez, et alii, quos citat; et sequitur B. Ligorio (n. 195.). Et hic nota, quod quamvis in civilibus venialiter peccet, qui communicat cum vitando; dummodo absit contemptus: communicare autem in divinis (nisi excuset parvitas materiæ), aut in crimine criminoso (n. 25.); erit grave (ibid. n. 196.).

33. Q. Nunquam ne licet communicare cum excommunicato *vitando*?

R. In quinque casibus hoc versiculo contentis *Utile*, *Lex*, *Humile*, *Res ignorata*, *Necesse*; permittit Gregorius VII. (C. *Quoniam multas* 113. Caus. 11. q. 3.), extra divina Officia communicare cum excommunicato vitando. Primus casus est *Utilitas* notabilis, tam ipsius excommunicati, quam communicantis: ut scilicet possit quis suis consiliis, et hortationibus excommunicatum ad resipiscentiam, conversionem, et ad absolutionem obtinendam inducere; ut habetur in C. *Cum voluntate* 54. de Sent. Excom. Item propter utilitatem communicantis (Cap. *Si vere* 34. eod. Tit. et C. *Intelleximus* 7. de Judiciis) licet ab excommunicato exigere debitum; eum in judicio convenire; eum ut Advocatum, Medicum, Chirurgum etc. consulere; si alius non sit, a quo æque utiliter subsidium haberi possit.

34. Q. Quinam sunt alii casus?

℟. Secundus est *Lex*, scilicet connubii, vi cujus conjuges mutua sibi officia præstare debent. Tertius est *Humile*, vi cujus filii cum parentibus; servi, et villici cum propriis dominis; Religiosi cum suis Prælatis; Clerici cum Episcopo; milites, ceterique inferiores cum suis Superioribus licet excommunicatis vitandis possunt communicare. Quartus casus est *Res ignorata*, vi cujus a culpa et pœna excusatur qui ignorat, illum, cum quo communicat esse excommunicatum. Vide tamen quæ supra diximus n. 13. Quintus denique est *Necesse*, quando scilicet gravem necessitatem sive spiritualem, sive temporalem quis habeat petendi ab excommunicato consilium, victum, vestitum, eleemosynam etc., aut excommunicatus in similibus circumstantiis reperiatur. Item si communicetur ob metum gravem, ut dictum est n. 14.

Paragraphus II.

De Effectibus Excommunicationis majoris.

35. Q. Quot sunt Effectus Excommunicationis majoris?

℟. Effectus Excommunicationis majoris; seu bona, quibus privat hæc Excommunicatio, sunt novem. Primus est privatio usus passivi, seu susceptionis Sacramentorum. Hinc excommunicatus, etiamsi toleratus; absque gravi peccato nullum Sacramentum potest recipere, nisi prius a Censura absolvatur. Colligitur ex C. *Si quem* 59. de Sent. Excom., si non excuset ignorantia invincibilis; inadvertentia, metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum etc., ut communiter docent Sal-

maticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 158.): quia Censura non obligat cum tanto rigore. Excepto tamen Sacramento Pœnitentiæ, quod mala fide suscipiens, invalide reciperet ob defectum dispositionis; alia vero Sacramenta valide reciperet, sed illicite; quia valor Sacramentorum cum pendeat a voluntate Christi, per Ecclesiasticam Legem nequit impediri.

36. Q. Quisnam est secundus Effectus?

℟. Est privatio usus activi, sive administrationis Sacramentorum, ut colligitur ex C. *Si celebrat* 10. de Cler. Excomm. Hinc excommunicatus Sacramenta ministrans, regulariter loquendo, et graviter peccaret, et Irregularitatem incurreret. Vide n. 85. Dixi *regulariter loquendo*: quia si sit contritus, in duobus casibus posset licite ministrare: 1.° in periculo, vel articulo mortis, in quo alius desit, qui possit Sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ ministrare; et juxta Suarez, et alios, etiam Viatici, et extremæ Unctionis, si moribundus alia Sacramenta recipere nequeat. 2.° quando adest gravis necessitas, vel utilitas proximi; dummodo ille excommunicatus sit requisitus, et sit toleratus. Vide B. Ligorio n. 139. et 169.

37. Q. Sacramenta ab excommunicato ministrata, erunt ne valida?

℟. Cum valor Sacramentorum dependeat a potestate Ordinis, quæ per Censuram nequit auferri; patet, quod excommunicatus quamvis illicite, valide tamen Sacramenta ministraret, posita materia, et forma cum debita intentione Ministri, juxta Christi institutionem. Excipe Sacramentum Pœnitentiæ, quod administratum extra periculum, vel articulum mortis ab excommunicato *vitando*, invalidum est: quia ad hoc Sacramentum non suf-

ficit potestas Ordinis; sed requiritur etiam *jurisdictio*, quam hujusmodi excommunicatus amittit. Ita communiter Doctores apud B. Ligorio n. 167. Hic autem nota, quod, si adsit error communis cum titulo colorato, confessiones bona fide illi factæ erunt validæ, ut dictum est Lib. III. n. 160.

38. Q. Quisnam est tertius, et quartus Effectus?

℟. Tertius Effectus est, quod excommunicatus vitandus absque gravi culpa nequit Missæ, cæterisque divinis Officiis interesse, ut explicatum n. 31.; et statuit Bonifacius VIII. in C. *Alma mater* 24. de Sent. Excom. in 6. Hoc tamen non prohibet, quominus possit in Ecclesiis privatim orare, concionem audire extra tempus divinorum Officiorum (C. *Responso* 43. de Sent. Excom.). Et si obligatus sit ad Horas Canonicas; tenetur privatim eas recitare. Quartus est, quod excommunicatus vitandus non solum divinis Officiis interesse nequit; sed insuper privatur omni fructu Sacrificiorum, precum, Indulgentiarum etc., qui ex communi Ecclesiæ thesauro fidelibus applicatur (C. *A nobis* 28. eod. Tit.): cum sit extra communionem Ecclesiæ. Et quamvis sit emendatus; nisi prius absolvatur; non licet pro eo offerri Sacrificia, aliasque publicas preces. Pro ejus tamen conversione licet privatim preces fieri, et etiam a Sacerdote, ut persona privata in Missa potest pro eo mentaliter orari in *Memento*.

39. Q. Quisnam est quintus Effectus?

℟. Quintus Effectus est, quod excommunicati vitandi, nisi ante mortem Ecclesiæ sint reconciliati; sepeliri nequeant in loco sacro. Rationem dat Innocentius III. (C. *Sacris* 12. de Sepult.): *Ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis*. Et, si sepeliantur; jubet

Pontifex, exhumari eorum cadavera, si discerni queant. Et qui publice excommunicatos scienter in loco sacro sepelire præsumpserit, Clemens V. (Cap. *Eos*, *qui* I. Clement. de Sepult.) jubet, ut ipso facto excommunicatus existat ad arbitrium Episcopi. Et non solum graviter peccaret qui sepeliret, sed etiam comitantes ad sepulturam, et Clerici canentes (B. Ligor. n. 186.). Et hic nota, quod excommunicati tolerati, si cum signis pœnitentiæ moriantur, licite sepeliuntur in loco sacro (ibid. n. 187.).

40. Q. Quisnam est sextus, et septimus Effectus?

℟. Sextus Effectus est, quod excommunicatus privatur omni usu et exercitio jurisdictionis spiritualis, ac Ecclesiasticæ, ut colligitur ex C. *Audivimus* 24. q. 1.; et reddit incapacem ad obtinenda Beneficia, Dignitates, et alia Ecclesiastica Officia, et Distributiones quotidianas. Item reddit incapacem ad obtinendas gratias a Sede Apostolica; nisi in ipsa concessione ad effectum gratiæ obtinendæ absolutus censeatur. Septimus Effectus, quod, si excommunicatus per annum in Excommunicatione insordescat; suspectus de Hæresi evadit, et contra ipsum tamquam de Hæresi suspectum possit procedi, ut statuit Tridentinum (Sess. 25. Cap. 3. de Ref. in fine). Vide alia jura ap. Ferraris V. *Excommunicatio* Art. 6. n. 13. et seqq.

41. Q. Sunt ne alii Effectus Excommunicationis?

℟. Octavus Effectus est privatio communicationis forensis. Unde excommunicatus non potest esse judex, advocatus, tabellio, testis, actor, tutor, executor testamentarius etc. Vide jura, et

exceptiones apud B. Ligorio n. 183. et alibi. Nonus Effectus est, quod extra causas a jure concessas, et supra relatas (n. 33. et 34.), excommunicatus privatur communicatione civili, ac politica cum fidelibus in omnibus casibus expositis n. 30. 31. et 32. Si tamen excommunicatus sit toleratus, et requisitus; potest in civilibus, et politicis communicare cum fidelibus, ut n. 26. innuimus. Qui autem sint Effectus Excommunicationis minoris; et quibus bonis hac Excommunicatione innodati priventur, vide n. 24.

42. Q. Quid ex hactenus dictis est deducendum?

℟. Cum Excommunicatio major a communione, et consortio fidelium infelicem excommunicatum ejiciat; et tamquam putridum membrum ab Ecclesia abscindat; eumque privet communibus Ecclesiæ suffragiis; perceptione, et ministratione Sacramentorum; atque tot aliis spiritualibus ac temporalibus bonis, ut jam diximus; cumque ipsi fideles in angustiis, conscientiæque anxietatibus debeant versari, possint nec ne cum vitandis communicare; deducitur, quam parci esse debeant Ecclesiarum Antistites in exerendo illo gladio, quem Christus non ad destructionem, sed ad ædificationem illis dedit. Et, *cum Excommunicatio sit pœna, qua nulla major est in Ecclesia*, ut legitur in Concilio Coloniensi relato a Benedicto XIV. (Syn. Diœc. L. 10. C. 1. n. 2.); sequitur, nonnisi per graviores culpas esse illam infligendam; et quando, ut concludit idem Concilium, criminosi *aliter corrigi non possunt.*

43. Q. Quis ab Excommunicatione potest absolvere?

℟. Capite III. a n. 15. ad 21. loquendo de Cen-

suris in genere jam diximus, quis, et quando possit ab eis tam reservatis, quam non reservatis absolvere. Quod dictum est de Censuris in genere, intelligitur etiam de censura Excommunicationis in specie; et ibi dicta recolantur. Remanet nunc, ut videamus, quæ sint Excommunicationes tam reservatæ, quam non reservatæ; ut Confessarius noscat, a quibus, et quando possit, vel non possit absolvere. Nos autem non omnes, sed magis obvias ex citatis locis exceptas referemus.

Paragraphus III.

44. *Excommunicationes latæ sententiæ Papæ reservatæ in Bulla Cœnæ.*

1. Hæretici cujuscumque sectæ, eorumdem receptatores, fautores, defensores; eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes scienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes; et Schismatici.

2. Appellantes ab ordinationibus Summi Pontificis ad futurum Concilium.

3. Piratæ, et illorum fautores, receptatores, et defensores.

4. Subripientes naufragantium bona etiam in littoribus inventa.

5. Imponentes, vel augentes pedagia, præterquam in casibus a jure permissis.

6. Falsificantes literas Apostolicas, aut falso fabricantes.

7. Deferentes arma Turcis, aliisque Christiani nominis inimicis.

8. Impedientes eos, qui victualia, et alia necessaria Romam convehunt.

9. Lædentes eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, vel ab ea recedunt.

10. Male tractantes Peregrinos, qui Romam petunt, vel ab ea recedunt, fautores etc.

11. Offendentes Cardinales, aliosque Ecclesiæ Prælatos, nec non mandantes, et rata habentes.

12. Offendentes eos, qui recurrunt pro suis negotiis ad Romanam Curiam; aut eorumdem Procuratores etc.

13. Appellantes a gravamine literarum Apostolicarum ad laicam potestatem.

14. Executionem literarum Apostolicarum impedientes.

15. Judices Sæculares, qui Ecclesiasticas personas ad sua tribunalia trahunt.

16. Impedientes jursdictionem Ecclesiæ Prælatorum, eorumque judicia eludentes.

17. Usurpantes jurisdictiones, et proventus ad Sedem Apostolicam, et ad quascumque Ecclesiasticas personas pertinentes.

18. Imponentes onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, aut earum fructibus.

19. Judices, et quilibet Ministri de Clericorum criminibus cognoscentes.

20. Occupantes, aut retinentes bona Sedis Apostolicæ.

Vide dictorum Casuum explanationem in Auctoribus.

PARAGRAPHUS IV.

45. *Excommunicationes latæ Sententiæ dictæ Clementinæ Papæ reservatæ non ubique, sed intra Italiam tantum, et extra Romam.*

1. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Const. *Cum alios* Gregori XIV.
2. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem.
3. Provocatio, et pugna in duello.
4. Injicientes manus violentas in Clericos juxta Canonem : *Si quis suadente diabolo.*
5. Simonia realis scienter contracta.
6. Confidentia Beneficiatis.

PARAGRAPHUS V.

46. *Aliæ Excommunicationes latæ sententiæ Papæ reservatæ.*

1. In Clericos quiescenter, et sponte participantes cum excommunicatis a Papa, et ipsos in Officiis recipientes. Cap. *Significavit* 18. de Sent. Excom.
2. In monialem exeuntem a monasterio, et in comitantes, aut recipientes eam, et in concedentes ei licentiam exeundi extra casus a jure exceptos. Const. *Decori* S. Pii V. 1. Febr. 1570.
3. In Religiosos, qui sine privilegio, aut speciali Parochi licentia ministrant extra casum necessitatis Viaticum, extremam Unctionem, aut Matrimonia solemnizant. Clement. *Religiosi* 1. de Privileg.
4. In Clericos sive Sæculares, sive Regulares,

qui aliquem inducunt ad vovendum, aut jurandum de eligenda sepoltura in eorum Ecclesiis; aut de electa non immutanda. Clement. *Cupientes* 3. §. *Sane* de Pœnis.

5. In absolventes sub prætextu Privilegiorum a casibus in Bulla Cœnæ, vel Ordinario reservatis. S. C. Episc. approb. Clemente VIII. Anno 1601. ap. B. Ligorio n. 219.

6. In Sacerdotes sacramentaliter absolventes complicem in peccato turpi extra mortis Articulum: et etiam in ipso Articulo, si adsit alius Sacerdos etiam non Confessarius, qui absque infamia possit infirmum in mortis articulo absolvere Bened. XIV. Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* 1. Jun. 1741.

7. In prædicantes falsas Prophetias, revelationes, falsa miracula, dogmata, vaticinia contra sensum sacræ Scripturæ approbatum a Patribus, et Doctoribus. Leo X. Const. *Supernæ* 19. Dec. 1516.

8. In eos; qui per se, vel per alios vi, aut timore incusso, bona Ecclesiastica usurpare præsumpserint; seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur. Trid. Sess. 22. Cap. 11. de ref.

9. Inviolenter confrigentes, atque spoliantes Ecclesias Cap. *Conquesti* XXII. de Sent. Ecomm.

10. In præsumentes petere, et exigere aliquid ex pactione ob ingressum in Religionem; et in eos, qui ob hunc finem dant dummodo non detur sponte, ex plena liberalitate, exclusa omni pactione. Urbanus IV. Extrav. *Sane* 1. de Simon.

11. In Simoniacos tam dantes, quam recipientes aliquid pro Beneficio. Et hæc Excommunicatio complectitur etiam mediatores, et procurantes.

Paulus II. Extrav. *Cum detestabile* 2. de Simon.

12. In absolutos ab Excommunicatione Papæ reservata, vel in articulo mortis, vel ob aliud legitimum impedimentum a non habente facultatem; si cessato periculo, vel impedimento, quam cito commode poterunt, contempserint se præsentare ad Papam, vel ad alium habentem facultatem. Bonifacius VIII. Cap. *Eos, qui* 22. de Sent. Excom. in 6.

13. In duellantes, sicut et invitantes ad duellum, aut provocantes, aut auxilium, consilium, vel favorem dantes; illive ex composito, seu de industria adstantes, interessentes; et quomodolibet participantes, etiam pugna non secuta. Et hæc Excommunicatio afficit etiam Dominos, qui in locis sibi subjectis illud fieri permittunt. Clemens VIII. Const. *Illius vices* 17. Aug. 1591. Et Benedic. XIV. Const. *Detestabilem* 10. Nov. 1752.

14. In mulieres intrantes in Monasteria Religiosorum sive cum prætextu, sive absque prætextu licentiarum. Gregorius XIII. Const. *Ubi gratiæ* 13. Jun. 1575., et S. Pius V. apud. B. Ligorio Lib. 7. n. 230.

15. In dominos temporales, qui in locis sibi subjectis Ecclesiastico Interdicto suppositis præsumunt, vel ad divina celebranda aliquem cogere, vel ad dicta officia alios præsertim Excommunicatos, et Interdictos advocare; vel si prohibeant publice Excommunicatos, et Interdictos tempore Missæ ab Ecclesia exire, licet a celebrante sint moniti. Clemens V. Clement. *Gravis* 2. de Sent. Excommunicationis.

16. In publice Excommunicatos, et Interdictos, qui tempore Missæ moniti a Celebrante, ut exeant, remanere præsumpserint Clemens V. ibid.

17. In eos, qui suadente diabolo, in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerint. Cap. *Si quis* 17. q. IV. Intellige de percussione enormi: quia si sit levis, Excommunicatio reservata est Episcopis.

18. In eos, qui defuncti Corpus ex quodam impietatis affectu truculenter extenterant, ac illud membratim, vel in frusta immuniter concidentes, ea subsequenter aquis immersa exponunt, igni dequoquenda; et tandem (ab ossibus tegumento carnis excusso) eadem ad alia loca mittunt, seu deferunt tumulanda. Bonifacius VIII. Extrav. *Detestantæ* 1. *de Sepultur.*

19. In eos, qui per se, vel per alios præsumpserint usurpare bona, census, jura, fructus etc. alicujus Ecclesiæ, Beneficii, aliorumve Piorum locorum, vel impedire, ne ab iis, ad quos jure spectant, percipiantur. Trident. Sess. XXII. Cap. 11. de refor.

20. In accipientes, et retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii possessionem non solventibus dulciaria, seu aliam summam. S. Pius V. Const. *Durum nimis* 1. Jul. 1570.

21. In Regulares, qui non denunciant, aut non obligant ad denunciandum alium Regularem, qui sit, hæreticus, aut suspectus, licet leviter, de hæresi. S. C. Inquisitionis habita 8. Jul. 1660. approbante Alexandro VII. in Const. *Licet alias.*

22. In non denunciantes intra triginta dies post habitam scientiam delicti hæreticos, aut de hæresi suspectos. Vide Lib. II. n. 32. et 33.

23. In incendiarios post sententiam Episcopi. Clemens III. Cap. *Tua nos* 19. de Sent. Excom.

24. In extraentes a Bibliothecis Carmelitarum libros, aut manuscripta. Clemens VIII. Const.

Quæ ad tuenda 29. Maj. 1593. Hæc Excommunicatio etiam in aliis Regularium Bibliothecis plerumque imposita est.

25. In mittentes literas, aut alia Scripta in Conclave Cardinalium. Pius IV. Const. *In eligendis* 9. Octobr. 1562. n. 20.

26. In Laicos, qui stipendium pro missis celebrandis exigentes, retenta sibi parte, minori stipendio celebrare faciunt. Si autem hi detentores sint Clerici, suspensionem ipso facto incurrunt pariter Papæ reservatam. Benedict. XIV. Constit. *Quanta cura* 30. Jun. 1741.

27. In Judices, aliosque laicos officiales, qui personas Ecclesiasticas ad forum laicale trahunt. Martinus V. Const. *ad reprimendas* 1. Febr. 1428.

28. In falsificantes Literas Apostolicas. Innocentius III. Cap. *Dura* 4. de Crimine falso.

29. In communicantes cum excommunicatis a Papa in crimine criminoso. Innocentius III. Cap. *Nuper* 29. de Sent. Excommunicationis.

30. In eos, qui offendunt libertatem Ecclesiasticam, vel violant Interdictum a Papa impositum; vel sunt rei criminis hæresis; vel conspirant in personam, aut statutum Papæ; vel quocumque modo eum offendunt, et rebellantur; vel offendunt personaliter Episcopum, aut alium Prælatum; vel qui Præsbyterum occidunt. Paulus II. Extrav. *Etsi dominici* 3. de Pœnitent. Absolutio autem ab hac Excommunicatione indiget speciali concessione.

31. In simoniacos tam in Ordine, quam in Beneficio. Paulus II. Extrav. *Cum detestabile* 2. de Simonia; et etiam Eugenius IV. Const. *Cum detestabile* 18. Maji. 1434.

32. In diripientes in statu Ecclesiastico animalia, aut alia bona; et in ementes, commutantes, recipientes, vel retinentes illa. Gregorius XIII. Const. *Non sine gravi* 7. Dec. 1584. Facta autem, aut mandata restitutione, hujusmdi personæ ab omnibus Confessariis possunt absolvi.

33. In docentes, et asserentes ut licitas Propositiones a S. Sede damnatas. Ex pluribus Decretis S. C. S. Officii 24. Sept. 1665. 18. Mar. 1666. 2. Mar. 1679. et 24. Aug. 1690.

PARAGRAPHUS VI.

47. *Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ.*

1. In Sacerdotes, et alios Clericos, qui habent Beneficium, aut Personatum; sicut et in Regulares, qui audiunt lectionem Legis, aut Medicinæ Cap. *Super specula* 10. Ne Clerici vel Monachi.

2. In præsumentes alienare, et recipere bona Ecclesiarum, aliorumve locorum Piorum, aut illa locare ultra triennium (intellige *fructiferum*). Paulus II. Extrav. *Ambitiosæ* de rebus Eccles. non alien.

3. In præsumentes usurpare, aut occupare bona Ecclesiarum, aliorumve Piorum locorum vacantium; et in procurantes hoc fieri. Gregor. X. Cap. *Generali* 13. de Electione in 6.

4. In præsumentes sepelire hæreticos, eorumque defensores: qui remanent excommunicati, usquedum idoneam dederint satisfactionem. Alexander IV. Cap. *Quicumque* de hæreticis in 6.

5. In præsumentes sepelire in Ecclesiis publice

Excommunicatos, aut nominatim Interdictos, aut manifestos usurarios, aut tempore Interdicti quodcumque cadaver in casibus a jure non permissis. Clement. *Eos*, *qui* 1. de Sepultur.

6. In cogentes mulierem invitam ad ingrediendum Monasterium, præterquam in casibus a jure expressis, aut ad vestiendum habitum Religiosum, aut ad emittendam professionem; et in quoscumque ad dicta cooperantes. Trident. Sess. XXV. Cap. 18. de Regular.

7. In eos, qui sine justa causa impediunt mulierem ad intrandum in monasterium ob vestiendum habitum religiosum, vel profitendum. Trident. ibid.

8. In illos, qui rapiunt aliquam mulierem ad contrahendum Matrimonium; et in omnes, qui ad hoc cooperantur. Trident. Sess. XXIV. Cap. 6. de Refor. Matrim.

9. In eos, qui cogunt suos subditos, aut alios ad contrahendum aliquod Matrimonium. Trident. ibid. Cap. 9.

10. In præsumentes docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, ad recipiendam sacram Eucharistiam ab iis, qui sunt in peccato mortali, non esse necessariam sacramentalem Confessionem; etiamsi habeant copiam Confessarii; sed sufficere contritionem. Trident. Sess. XIII. Can. XI.

11. In præsumentes imprimere, aut imprimi facere libros, vel alias scripturas absque Superioris permissu. Leo X. Const. *Inter sollicitudines* 4. Maji. 1515.

12. In eos, qui in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis a jure prohibitis Matrimonium scienter contrahere audent; aut illud attentare cum Moniali professa: sicut et in Clericos in sacris

constitutos, vel regulares professos, qui Matrimonium attentare non erubescerent. Clement. *Eos qui* de Consanguinit.

13. In eos, qui falso affirmant, Matrimonia filiorum familias sine consensu parentum contracta esse irrita, aut parentes ea posse irritare. Trident. Sess. XXIV. Cap. I. de Refor. Matrim.

14. In præsumentes vexare Ecclesiasticos, quia non elegerint ad aliquod Officium eum, pro quo rogati fuerunt. Cap. *Sciant* 12. de Elect. in 6.

15. In Sacerdotes celebrantes absque stola Cap. *Ecclesiastica* 9. dist. 23.

Paragraphus VII.

48. *Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis in jure reservatæ.*

1. Prrcussio graviter peccaminosa Clerici, vel Monachi (Vide Lib. 3. n. 74. 75. 76.), quæ sit non enormis, sed levis; idest, facta pugno, palma, Lapide etc. vestigium non relinquente, etiamsi fuerit publica. Ex C. *Pervenit* 17. de Sent. Excom.

2. Abortus fœtus Animati, effectu secuto. Sed ex Const. *Sedes Apostolica* Gregorii XIV. 31. Maj. 1591. hæc censura potest absolvi etiam per quemcumque Confessarium ab Ordinario specialiter deputatum.

Caput II.

De Suspensione.

49. Q. Quid, et quotuplex est *Suspensio?*

℟. Suspensio est censura, per quam persona Ec-

clesiastica ob suam culpam privatur exercitio vel Ordinis, vel Officii, vel Beneficii; vel in totum, vel in partem; vel ad tempus, vel in perpetuum. Ex qua definitione colligitur, Suspensionem aliam esse totalem; aliam partialem; aliam ad tempus, aliam perpetuam. *Totalis* est Suspensio ab Officio (quod complectitur Ordinem, et Jurisdictionem), et a Beneficio, ut colligitur ex C. *Tuarum* 11. de Privil. et Clem. *Religiosi* 1. de Decim. *Partialis* est illa, quæ ab Officio tantum, aut ab ejus parte, ex. gr. ab Ordine (quæ æquivalet Suspensioni a divinis); vel a certo Ordine tantum; vel a certa functione; ex. gr. ab audiendis confessionibus; vel a jurisdictione tantum; ex. gr. a collatione Beneficii etc., vel a Beneficio, et ejus fructibus. Communis.

50. Q. Quænam est Suspensio pærpetua, et qualis ad tempus?

℟. Suspensio *perpetua* est illa, quæ datur ad vitam personæ Ecclesiasticæ, vel usquedum de ea obtineatur absolutio. Suspensio *ad tempus* est illa, quæ fertur per determinatum tempus; et hæc, elapso tempore, cessat absque absolutione. Quælibet autem ex predictis Suspensionibus vel lata est *a jure*, vel ab *homine*, et alia est *latæ*, alia *ferendæ sententiæ*, ut explicatum est n. 3. Et hic nota, quod quando quis absolute, et absque ulla limitatione suspensus declaratur; si ex adjunctis aliter colligi nequeat; intelligitur *totaliter* suspensus et ab Officio, et a Beneficio; ut patet ex C. *Bonæ* 3. de Ætate etc.: quia propositio indefinita æquivalet universali.

51. Q. Quis suspendere, et suspendi potest, et quibus formalitatibus?

℟. Is potest suspendere, quem supra (n. 4.)

diximus, posse ferre alias censuras; et regulariter pro gravi culpa. Vide supra n. 7. Cum autem Suspensio privet exercitio Ordinis, Beneficii etc., patet, solas personas Ecclesiasticas posse suspendi. Hæc censura cum precedenti monitione, et in scriptis, quando ab homine fertur, est regulariter ferenda, ut diximus n. 6. Et si Prælatus dicat Sacerdoti: *Suspendo te a celebratione*; videtur esse non censura, sed simplex prohibitio: nam Suspensio potest considerari, ut simplex pœna punitiva alicujus delicti, ut ibi innuimus. Et hic nota, quod quando Suspensio fertur in pœnam criminis probati; etiam ut censura, potest absque monitione infligi; ut ex C. *Pervenit* de Exces. Præl. docet Graff. (ap. Monacelli Tom. 2. Tit. 2. Formol. 8. n. 21.).

52. Q. Ob occultum crimen potest ne quis suspendi?

℟. Si Episcopus ex informata conscientia noscat, aliquem Clericum reum esse crimine occulto etiam extrajudicialiter cognito, non solum posset huic interdicere ascensum ad superiores Ordines, ut legitur in Tridentino (Sess. 14. Cap. 1. de Ref.); sed etiam suspendere ab exercitio Ordinis suscepti. Illa enim verba Tridentini *ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extra judicialiter* intelligenda sunt etiam de Suspensione ab Ordinibus susceptis, ut declaravit S. C. Concili 24. Nov. 1657. (ap. Syn. Diœc. Lib. 12. Cap. 8. n. 3.). Nec tenetur *causam Suspensionis, seu crimen reo manifestare, sed tantum Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit.* S. C. 21. Mar. 1643. Et sicut quidam Parochus a suo Episcopo ex causis sibi notis ab Exercitio Curæ suspensus, præcepto Episcopi con-

tempto, celebravit, et Curam exercuit; S. C. 21. Jun. 1625. utpote violatorem Censuræ declaravit illum irregularem.

53. Q. Quinam sunt effectus Suspensionis?

℟. Effectus principalis est, quod si suspensus, durante suspensione, aliquem actum, a quo est suspensus, solemniter exerceat; puta, si Subdiaconus cum Manipulo cantet Epistolam; et graviter peccat; et Irregularitatem ipso facto incurrit: ut patet ex Clem. *Cum Medicinalis* 1. de Sent. Excom.: etiamsi dictum actum exerceat extra territorium suspendentis: quia censura afficit immediate personam, ubicumque hæc reperiatur. Et hic nota, quod actus Ordinis a jurisdictione non pendentes, quamvis sint illiciti, sunt tamen validi. Hinc suspensus ab Ordine, valide celebraret, sed invalide absolveret. Et sic de aliis. Secundus effectus est, quod suspensus ab Officio, et Beneficio, non potest eligere, et incapax est Beneficii Ecclesiastici; et provisio ei facta esset nulla, ut colligitur ex C. *Cum dilectus* 8. de Cons.

54. Q. Qui sunt alii effectus?

℟. Tertius effectus est, quod suspensus a Beneficio, omnibus suorum Beneficiorum fructibus privatur, sub quibus etiam distributiones quodianæ continentur; nisi aliter ex decreto Suspensionis colligatur. Et, si eos perceperit, ante judicis sententiam restituere teneretur; ut sentit Antoine (Tract. de Censur. C. 4. q. 2.): nemo enim retinere potest quod suum non est; cum hac tamen differentia, quod distributiones ex decreto S. C. Concilii 5. Jun. 1706. cedendæ sint interessentibus in Choro, fructus vero Beneficii juxta regulam generalem restituendi Ecclesiæ, vel pauperibus. Et hic nota, quod si Suspensio lata sit in

pœnam delicti omnino præteriti; suspensus a Beneficio, si vere sit pauper; potest sibi retinere fructus. At si lata sit ob contumaciam, non potest. Ita Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio n. 316. quia non debet ab Ecclesia subveniri qui voluntarie Ecclesiæ disciplinam vilipendit. Qui autem possit a Suspensione absolvere, vide supra a n. 15. ad 21.

55. Q. Quænam sunt Suspensiones a jure inflictæ?

℟. Multæ sunt, partim perpetuæ, quæ non relaxantur, nisi per absolutionem, et partim ad tempus ex. gr. *ad Mensem ad triennium* etc. Et hæ Suspensiones, elapso tempore, cessant ex se; sed interim non possunt absolvi, nisi ab eo, qui Suspensionem imposuit, vel ab ejus Superiore, Successore, vel Delegato. Nos magis obvias referemus ex fontibus ibi citatis attinctas; et sunt sequentes.

Suspensiones ipso facto incurrendæ.

1. Parochi, aut alii Sacerdotes, qui audient Matrimonio jungere, aut benedicere sponsos non sibi subditos sine illorum Parochi licentia, remanent suspensi, quamdiu ab Ordinario proprii Parochi absolvantur. Trident. Sess. XXIV. Cap. 1. de Refor. Matrim.

2. Qui absque legitima licentia ad aliquem sacrum Ordinem se fecerit promoveri, vel extra tempora, vel ante requisitam ætatem, vel absque Dimissoriis literis proprii Ordinarii, hic ab exercitio Ordinis sic suscepti remanet suspensus; et si ministrare præsumpserit, evadet irregularis. Pius II. Const. *Cum ex sacrorum* 17. Nov. 1461.

3. Clerici in fornicationem prolapsi, si eorum

delictum evadat notorium, vel per sententiam Judicis, vel per confessionem factam in judicio, vel per evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione celari possit. Cap. *Quæsitum* 10. de Cohabit. Clericor.

4. Qui convictus fuerit Ordinem simoniace recepisse, per decem annos remanet suspensus. S. Pius V. Const. *Cum primum* 1. Apr. 1566. n. 8.; et Paulus II., qui in Const. *Cum detestabile* inter Extrav. de Simon. non solum Suspensionis, sed etiam Excommunicationis, et Interdicti pœnis fulminat omnes simoniacos.

5. Clerici cooperantes ad raptum mulierum. Trident. Sess. XXIV. Cap. 6. de Refor. Matrim.

6. Tradentes Ecclesiasticæ sepulturæ manifestos usurarios. Alexander III. Cap. *Quia in omnibus* 3. de Usur.

Caput III.

De Interdicto.

56. Q. Quid, et quotuplex est Inderdictum?

℟. Interdictum est censura Ecclesiastica per quam homo privatur participatione aliquorum Sacramentorum, omnium divinorum Officiorum, et Ecclesiastica sepultura. Dividitur autem in personale, locale, et mixtum. Interdictum *personale* afficit immediate personam, quæ ubicumque reperiatur, supradicta participatione privatur. *Locale* est illud, quod directe afficit locum, ne supradicta in eo exerceantur. *Mixtum* denique hoc idem interdicit tam loco, quam personis ibi commorantibus. Hinc interdicto loco, non comprehenduntur personæ illius loci, quæ alibi divinis Officiis possent interesse etc. Et vicissim interdictis personis,

ex. gr. Clericis unius Ecclesiæ, non intelligitur interdicta Ecclesia; in qua Clerici aliis Ecclesiis addicti possent celebrare etc. Communis.

57. Q. Est ne aliud notandum?

R. Notandum 1.° quod interdicto populo unius Diœcesis, Civitatis, Oppidi etc., non comprehenditur Clerus, et e converso; nisi exprimatur (C. *Si sententia* 16. de Sent. Excom. in 6.). Nec comprehenduntur innocentes, si alibi domicilium figant. Pariter interdicto Clero, non comprehenduntur Regulares; quia in materia odiosa hi non veniunt nomine Cleri, ni exprimantur. Incurrerent autem, si Interdictum feratur in personas Ecclesiasticas. Notandum 2.° quod interdicta Civitate, interdicta censentur etiam suburbia, aliaque ædificia adjacentia, vel contigua; ut ex C. *Si civitas* 17. de Sent. Excom. in 6., atque etiam Ecclesiæ Regularium; quamvis Interdictum promulgatum sit ab Ordinariis. Ita Tridentinum (Sess. 25. Cap. 12. de Regul.). Notandum denique, quod quamvis Superiores Regulares possint suos subditos interdicere; Interdictum tamen locale non possunt ferre, nisi in aliquo Oppido, ubi haberent jurisdictionem quasi Episcopalem S. C. Episc. 21. Jun. 1697. (ap. Monac. Tom. I. Tit. 6. Formul. 20. n. 34.).

58. Q. Quinam sunt effectus Interdicti?

R. Sunt tres, privatio aliquorum Sacramentorum, omnium divinorum Officiorum, et sepulturæ Ecclesiasticæ; ut expresse habetur in C. *Alma mater* 24. de Sent. Excom. in 6.; et jam innuimus in definitione. Dixi *aliquorum Sacramentorum*: quia Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, et Matrimonium (*non autem* solemnis benedictio nuptiarum) etiam tempore Interdicti, ex cit. C.

Alma mater possunt administrari, et suscipi; exceptis, extra mortis articulum, excommunicatis; et illis, *propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia Interdicti*; vel qui causam dederunt Interdicto; qui nec ad Sacramentum Pœnitentiæ admitti possunt, nisi delicto satisfecerint; vel saltem cautionem idoneam, aut juratoriam de satisfaciendo præstiterint. Imo in periculo, vel articulo mortis ex C. *Permittimus* 57. de Sent. Exc. etiam sacrum Viaticum potest illis ministrari more solito.

59. Q. Quid notandum circa secundum effectum?

℟. Notandum 1.° quod divina Officia, quæ tempore Interdicti vetantur, sunt publica Missæ celebratio; publica Horarum canonicarum in Choro recitatio; Exequiæ funerales; publicæ Processiones; aliæque Sacræ Fonctiones, quæ publice fiunt in Ecclesia. At obligati ad Horas, tenentur illas privatim recitare. Cumque Concio non veniat sub nomine divinorum Officiorum; ex Cap. *Responso* 44. de Sent. Exc., ut criminosi ad resipiscentiam inducantur, possunt illam audire. Notandum 2.° quod sicut, interdicto populo, non est interdictus Clerus, ut n. 57.; Sic Clerici tam Sæculares, quam Regulares possunt, et debent ex cit. Cap. *Alma mater*, sicut prius, celebrare Missas, Officia etc. in propriis Ecclesiis, quæ non sint interdictæ, *sed januis clausis, non pulsatis campanis, submissa voce, excommunicatis* (vitandis) *ac interdictis exclusis.*

60. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Notandum 3.°, quod in solemnitatibus Natalis, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. V. Mariæ, ut ex eodem C. *Alma mater*, quibus

a Martino V., et Eugenio IV. addita fuit solemnitas Corporis Christi cum tota Octava, et a Leone X. festum Conceptionis B. V. M. pariter cum tota Octava; his diebus, incipiendo a I. Vesperis, in Ecclesiis non interdictis, possunt a Clericis, qui non fuerunt culpabiles, et causa Interdicti, Missæ, et divina Officia solemniter celebrari cum sonitu Campanarum, januis apertis, admisso etiam populo interdicto; *sic tamen, quod illi, propter quorum excessum hujusmodi Interdictum est prolatum, Altari nullatenus appropinquent*; esclusis semper excommunicatis vitandis.

61. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Addendum 4.° quod in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus Eucharistia asservatur; potest semel in hebdomada Missa celebrari ad renovandam Eucharistiam pro Viatico infirmorum, sed *campanis non pulsatis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis, et interdictis exclusis*, ut expresse habetur in C. *Permittimus* 57. de Sent. Exc. Addendum 5.°, quod, quamvis interdicti nequeant divinis Officiis assistere, possunt tamen extra id tempus in Ecclesiis etiam interdictis preces privatim fundere. Notandum denique, quod Superior ferens Interdictum potest pro sua voluntate statuere illos effectus, quos prudenter credit; pro tempore sibi bene viso; et excipere quos credit. Sic Sayr. et Guazzin. relati a Monacelli Tom. 2. in Prelud. n. 125. et 129.

62. Q. Quid notandum circa Sepulturam?

℟. Notandum 1.° quod si Interdictum sit personale, quilibet, ubique, et semper prohibetur sepeliri in loco sacro, etiam si pœnitens obierit; nisi ab Interdicto fuerit absolutus. Ita statuitur in C. *Episcoporum* 8. de Privil. in 6. Si autem In-

terdictum est locale, ex. gr. si sit interdictum regnum, provincia, oppidum; tunc nullus laicus quamvis innocens, infans, amens etc. durante Interdicto, potest in loco sacro interdicto sepeliri, ut habetur in C. *Quod in te* 11. de Pœnit.

63. Q. Quare dixisti: *Laicus* et *durante Interdicto?*

℟. Dixi *Laicus*: quia quoad Clericos, si nominatim non sint interdicti, nec Interdicto causam dederunt, et illud servaverunt; in eodem Cap. *Quod in te* permittitur ex gratia, quod hi possint in loco sacro interdicto sepeliri, sed *sine Campanarum pulsatione*, *cessantibus omnibus solemnitatibus*, *omnibus cum silentio*. Ita etiam dicit Pirhing. ap. Ferraris V. *Interdictum* Art. 6. n. 20. Illi autem, sive laici, sive clerici, qui non sint nominatim interdicti, possunt in alio loco sacro non interdicto solemniter sepeliri, ut colligitur ex C. *Si sententia* 16. de Sent. Exc. in 6.° Dixi *durante Interdicto*; quia hoc cessato, innocentes e loco non sacro, ubi fuerunt tumulati, ad locum sacrum transferri possunt, si id commode fieri possit. Ferraris (ibid. n. 22.).

64. Q. Est ne alia species Interdicti?

℟. Adest alia species Interdicti, quæ privat hominem et vivum, et mortuum a solo ingressu in Ecclesiam; et hos duos præstat effectus; privationem scilicet ingressus in Ecclesiam ad exercendos Ordines, ad celebrandum, ad Sacramenta recipienda, vel ministranda, aliasque sacras functiones peragendas, vel audiendas; et contra agens, ex C. *Is*, *cui* 20. de Sent. Excomm. in 6. irregularis evaderet, et graviter peccaret. Alius effectus est, quod taliter interdictus ex eodem C. *Is*, *qui* non potest in loco sacro sepeliri; dummodo

cum signis pœnitentiæ non decesserit: ibi enim legitur *nisi pœnituerit*, quamvis nondum a censura absolutus.

65. Q. In quam culpam, et pœnam incurrunt violantes Interdictum?

℟. Quoad laicos, si ipsi non sint interdicti, sed audiunt divina Officia etc., ut explicatum est n. 59., in loco interdicto; peccant saltem venialiter. Si autem laicus sit interdictus, vel nominatim, vel tamquam unus de Populo interdicto; peccat graviter, si recipiat aliquod Sacramentum sibi non permissum (vide n. 58.); vel si extra dies permissos (vide n. 60.) divinis Officiis scienter assistat: quia grave præceptum violat: ut colligitur ex C. *Si sententia* 16. de Sent. Exc. in 6. Si autem laici (ut quandoque aliqui præpotentes facere ausi sunt), vel cogant Officia divina celebrari in loco interdicto; vel interdictos, aut excommunicatos invitent, ut illis intersint; aut prohibeant, ne ipsi interdicti, aut excommunicati vitandi, quamvis moniti, de Ecclesia exeant; aut ipsi interdicti post monitionem exire recusent; et gravissime peccarent; et ex Clem. *Gravis* 2. de Sent. Exc. ipso facto inciderent in Excommunicationem Papæ reservatam.

66. Q. Quid dicendum de Clericis?

℟. Quo ad Clericos sive Sæculares, sive Regulares, violantes Interdictum tam personale, quam locale; idest, sive ipsi sint interdicti, sive in Ecclesia interdicta celebrent, aut alium actum sacri Ordinis exerceant; divinis assistant; aut Sacramenta non permissa ministrent, aut recipiant; si a materiæ parvitate non excusentur, peccant graviter. Communis: quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem agunt. Et præter culpam mor-

talem ex C. *Is*, *qui* 18. de Sent. Exc. in 6. incurrunt Irregularitatem; non possent sepeliri in loco sacro (vide n. 63.); et, si interdictos etc. præsumpserint sepelire in loco sacro; ex Clem. *eos*, *qui* 1. de Sepult. Excommunicationem latæ sententiæ ad arbitrium Episcopi duraturam ad instar laici pariter incurrent, præter alias pœnas, quas videre licet apud Ferraris (ibid. Art. 7. n. 7. etc.).

67. Q. A quibus tolli potest Interdictum?

℟. Quando Interdictum latum est, velut censura contra aliquam particularem personam, potest tolli per absolutionem in sacramentali Confessione, ut supra (a n. 15. ad 21.) explicatum est. Sed cum Interdictum possit ferri non solum contra aliquam particularem personam, sed possit etiam interdici totus populus unius regni, provinciæ, civitatis, oppidi, tota communitas, collegium etc.; imo cum possit interdici locus, ex. gr. una, vel plures Ecclesiæ; hujusmodi Interdicta, nisi sint Papæ reservata; relaxari possunt solum ab Episcopis, aliisque Ordinariis jurisdictionem in foro externo habentibus, ut colligitur ex C. *Nuper* 29. de Sent. Exc., non vero a Confessariis quantumvis privilegiatis, qui nullam habent in foro externo jurisdictionem. Si autem Interdictum latum sit ad certum tempus, vel sub aliqua conditione; elapso tempore, vel impleta conditione, cessat per se. Sic eruitur ex Glossa in Clem. *Religiosi* 1. de Decim. §. *Donec*.

68. Q. Quænam sunt Interdicta a Jure lata?

℟. Sunt varia: sed magis obvia nos recensemus; et sunt sequentia.

1. Contra Superiores Ecclesiasticos, qui onera perpetua missarum celebrandarum suscipiunt abs-

que Episcopi consensu : Hi ab Ecclesiæ ingressu interdicuntur. Innoc. XII. Const. *Nuper a Congregatione* 23. Dec. 1697. n. 7.

2. In Civitatem, seu Terram, quæ deliquit Episcopum injuriose percutiendo, capiendo, banniendo; seu consulendo, mandando hæc fieri, aut ratihabendo. Clement. *Si quis* 1. de Pœnis.

3. Contra Clericos in sacris constitutos, qui in crimine fornicationis jacent. Gregor. VII. C. *Si qui* 15. Dist. 81.

4. Contra præsumentes Excommunicationis sententiam ferre contra formam a jure (vide n. 6. huj. Lib.) præscriptam : quibus per mensem interdicitur Ecclesiæ ingressus. Innoc. III. C. *Sacro* 48. de Sent. Excom.

5. Contra eos, qui publice excommunicatos, aut interdictos ad divina Officia, Sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam admittere præsumunt. Bonif. VIII. C. *Episcoporum* 8. de Privileg. Vide supra n. 58. 62. et 63.

6. Contra eos, qui in locis interdictis scienter celebrant, aut celebrare faciunt, nisi habeant privilegium. Bonifac. VIII. ibid.

7. Contra Clericos tam Sæculares, quam Regulares, qui aliquem inducunt ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia. Si reapse præsumpserint sepelire; ipsa Ecclesia remanet interdicta, usquedum facta sit restitutio cadaveris (si repetatur), et omnium proventuum. Bonif. VIII. C. *Animarum* 1. de Sepult.

8. Contra Medicos, qui non curant, confessionem fieri ab infirmo. Hi ab ingressu Ecclesiæ arceantur, donec pro hujusmodi transgressione competenter satisfecerint. Innoc. III. *Cum infirmitas* 13. de Pœnitent.

Caput IV.

De Depositione, Degradatione, et Cessatione a Divinis.

69. Q. Quid est *Depositio?*

℟. Depositio est pœna Ecclesiastica, qua Clericus legitime convictus homicidii, furti, perjurii, seu alterius gravis criminis, ut statuitur C. *Cum non ab homine* 10. de Judiciis, perpetuo removetur, vel a suscepti Ordinis exercitio; vel ab Officio, et Ecclesiasticæ jurisdictionis usu; vel a Beneficio; aut denique ab Ordine simul, Officio, et Beneficio. Hic tamen non spoliatur privilegio Canonis, et Fori; ut ex cit. C. *Cum non ab homine*, et ex Cap. *At si Clerici* 4. eod. Tit. inferunt Abbas, Suarez et alii (ap. Bened. XIV. Syn. Diœc. Lib. 9. Cap. 6. n. 3.). Cum adultero tamen, aut minoribus criminibus reo, post peractam pœnitentiam potest Episcopus dispensare, ut Alexander III. concessit in cit. C. *At si Clerici*. Et sicut Depositio non est censura, Clericus, qui eam violaret, licet graviter peccaret; Irregularitatem autem non incurreret.

70. Q. Quid est *Degradatio?*

℟. Est pœna Ecclesiastica, quæ non solum Ecclesiastico Ministerio, Officio, et Beneficio Clericum in perpetuum privat absque spe restitutionis; sed privat etiam privilegio Canonis, et Fori; et obnoxium eum facit laicæ potestati: ut laicorum more pœnas sustineat, quæ a jure sunt ejus sceleri constitutæ. Duplicem autem Degradationem distinguit Bonifacius VIII. in C. *Degradatio* 2. de Pœnis in 6.: in *verbalem*, quæ etiam *Depositio* dicitur; et in *realem*, seu *actualem*, quæ proprie

Degradatio appellatur. *Verbalis* est ipsa sententiæ prolatio, per quam Judex Ecclesiasticus Clericum ejicit a suo gradu, et foro laico addicit. *Realis* autem est funesta illa cæremonia, qua Episcopus Clericum sacris expoliat insignibus, eumque tradit Curiæ Sæculari. Et sicut Degradatio non potest tollere potestatem Ordinis, et Characterem; sequitur, Clericum degradatum, si erat in sacris, teneri ad votum Castitatis, et ad Horas; si hæ compatibiles sint cum pœna, ad quam damnatur.

71. Q. Per quæ crimina potest quis degradari?

℟. Hujusmodi crimina adnotantur in Jure communi, et Pontificiis Constitutionibus; ut videre licet apud Bened. XIV. (Lib. 9. Cap. 6.), et apud Devoti (Inst. Can. T. 2. Sect. 4. n. 23.); et Hæc sunt 1.° Hæresis, et Apostasia cum pertinacia. 2.° Falsificatio litterarum Apostolicarum. 3.° Assassinium 4.° Nefandum crimen contra naturam, in quod plus semel quis sit lapsus. 5.° Sollicitatio ad turpia in Sacramentali Confessione. 6.° Celebratio Missæ, aut exceptio Confessionis ab eo, qui non est Sacerdos. 7.° Fabricatio, tonsio, aut adulteratio monetæ aureæ, vel argenteæ, ejusque erogatio per Italiam. 8.° Sagrilegum, et execrabile furtum SS. Eucharistiæ sive cum sacra Pixide, sive absque illa, apud se eam retinendo; sive alio transferre præsumendo.

72. Q. Sunt ne alia crimina, per quæ Degradationis pœna sit quis plectendus?

℟. Præter præmissa crimina speciatim expressa, posset certe per alia æquegravia, aut graviora crimina Clericus degradari. Sed quid requirit Cælestinus III. in cit. Cap. *Cum ab homine*? Ut prius coerceatur criminosus Clericus per Depositio-

nis, et Excommunicationis pœnas, ad hoc, ut resipiscat. Quod si Clericus ille sit incorrigibilis, inemendabilis; et *in profundum malorum veniens*, Ecclesiæ monita *contemnat*; tunc quippe, ut textus loquitur, *cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat*; *ne possit esse ultra perditio plurimorum*, *per sæcularem comprimendus est potestatem*; idest, ad Degradationem procedatur; ut sapienter monent Benedictus XIV. (ibid. n. 9.).

73. Q. Quid est *Cessatio a divinis*?

℟. Est species Interdicti, per quam Clerici prohibentur divina Officia peragere, Sacramenta ministrare, et cadavera sepelire in aliqua Ecclesia, ut constat ex C. *Non est vobis* 11. de Sponsal.; ubi Alexander III. excipit *Baptismum parvulorum*, *et pœnitentias morientium*. Qui potest ferre censuras, potest etiam imponere Cessationem; sed nonnisi ob gravem, manifestam, et notoriam injuriam Deo, et sacro loco illatam; ut salutaris terror, et criminis horror in populo incutiatur. Varia sunt crimina, per quæ *Cessatio a divinis* potest imponi; et in jure imposita est, si Ecclesia aliquo modo polluatur, ut explicatum fuit Lib. IV. n. 153., et 154.

74. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Maxime. Et 1.° cum *Cessatio a divinis* non sit censura; eam violans celebrando, ministrando Sacramenta etc., etiamsi graviter peccet, Irregularitatem tamen non incurrit. Regulares autem eam violando, ex Clem. *Ex frequentibus* 1. de Sent. Excom. excommunicantur ipso facto: dummodo Cessatio non sit unius Ecclesiæ, sed generalis omnium loci Ecclesiarum, et observetur ab Ecclesia Matrice. Notandum 2.° quod qui Cessationem imponit; is, aut ejus Superior, aut Suc-

cessor, aut Delegatus potest eam tollere. Et sicut in jure communi (ex cit. Cap. *Non est vobis*) Cessationis effectus exprimuntur; Episcopus, aliusve Ordinarius eam imponens, nequit effectus illos diminuere, efficiendo ex. gr. ut sola divina Officia sint in illo loco prohibita.

TRACTATUS II.

De Irregularitate.

75. Q. Quid est Irregularitas?

℟. Est impedimentum Canonicum, quo quis inhabilis redditur ad Tonsuræ, et Ordinum susceptionem, et ad susceptos exercendum. Hoc impedimentum, quod ex quadam decentia, et ad tuendam, servandamque Religionis Majestatem ab Ecclesia est inductum, in solis casibus in Jure expressis, ut colligitur ex Cap. *Is*, *qui* 18. de Sent. Exc. in 6., incurritur; nec potest ab Episcopis, et a quocumque alio Papæ inferiori induci. Et excepto Ordine, Irregularis licite recipit alia Sacramenta; potest divinis Officiis interesse, ut privatus; cum aliis communicare; in loco sacro sepeliri; et alia, quæ in Jure expresse non sint prohibita.

76. Q. Quotuplex est Irregularitas?

℟. Irregularitas dividitur 1.° in totalem et partialem. *Totalis* est illa, quæ Ordine suscipiendo, et suscepti omni exercitio privat; ut illa proveniens ex homicidio, bigamia etc. *Partialis* est illa, quæ solum privat aliquo Ordinum exercitio; vel solum ascensu ad Ordines superiores; ut Presbyter, qui pollicem amisit; licet irregularis

sit quoad Missæ celebrationem ; ex C. *Presbyterum* 2. de Clerico ægrot. non prohibetur tamen *cæteris Officiis Sacerdotalibus fungi*. Dividitur 2.° in Irregularitatem ex delicto, et in eam, quæ est defectu. Quæ autem sint hæ Irregularitates *ex delicto*; quænam *ex defectu*; quinam sint Effectus Irregularitatis; quomodo possit tolli etc.; sequentia Capita dilucidabunt.

Caput I.

De Irregularitate ex delicto.

77. Q. Quænam sunt, et quando incurruntur Irregularitates *ex delicto ?*

℟. Ad septem reducuntur delicta, ob quæ juxta sacros Canones Irregularitas incurritur. 1.° ob Hæresim, et Apostasiam. 2.° ob malam susceptionem Baptismi: 3.° ob illicitam Ordinum susceptionem: 4.° ob vetitum Ordinum exercitium: 5.° ob homicidium: 6.° ob mutilationem: 7.° ob delicta enormia. Hic autem nota, quod prædicta delicta tunc inducunt Irregularitatem; quando sunt externa, consummata; et commissa cum cognitione Legis Ecclesiasticæ illa vetantis, ut tenet S. Antoninus cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib 7. n. 349. et 350.); et sint graviter peccaminosa: ita ut, si quis ob invincibilem ignorantiam, inadvertentiam, aut ex alia circumstantia excusetur a mortali; Irregularitatem non incurret. Quando autem præfata delicta inducant Irregularitatem, vel non; in sequentibus Paragraphis explanabitur.

Paragraphus I.

De Irregularitate ob Hæresim, Apostasiam, et malam Baptismi susceptionem.

78. Q. Qui ob Hæresim censendus est irregularis?

℟. In primis sunt ipsi Hæretici formales, etiamsi unam Fidei veritatem pertinaciter negent; ut colligitur ex C. *Saluberrimum* 21. Causa 1. q. 7. Secundo fautores, et defensores Hæreticorum, ut talium (ex C. *Quicumque* 2. de Hæret. in 6.). Tertio filii, et eorum descendentes usque ad secundam generationem, si sint ex linea paterna; ad primam generationem, si sint ex linea materna (C. *Statutum* 15. eod. Tit. in 6.). Excipiuntur ex eodem Capite illi filii, quorum parentes ante mortem conversi sint, et Ecclesiæ incorporati. Sicut excipiuntur illi filii, vel nepotes nati ante lapsum parentum in Hæresim: in hoc enim casu non Hæreticorum, sed Catholicorum essent filii, vel nepotes, et proinde non irregulares.

79. Q. Quis ob Apostasiam evadit irregularis?

℟. Quamvis triplex sit Apostasia; a fide scilicet, a Religione professa, et a sacro Ordine suscepto; solus autem Apostata a Fide, idest, qui externe, sive ex animo, sive ficte, sive ex metu gravi, Fidei Christianæ renuntiat; ex C. *Presbyteros* 32. Dist. 50. Irregularitatem incurrit. Et sicut Apostatæ sunt etiam Hæretici: hinc etiam fautores, et alii, de quibus numero præcedenti locuti sumus; evadunt irregulares. Apostatæ autem a Religione professa, quamvis Excommunicationem ipso facto incurrant, si Habitum temere dimittant, ut Bonifacius VIII. in C. *Ut pericu-*

losa 2. Ne Cler. etc. statuit; Irregularitatem tamen non incurrent, nisi in his duobus casibus; nempe, si in Apostasia aliquem sacrum Ordinem suscipiant (C. *Consultationi* 6. de Apost.); aut cum Excommunicatione celebrent, vel sacrum Ordinem exerceant.

80. Q. Quando ob malam Baptismi susceptionem Irregularitas incurritur?

℟. Tribus in casibus 1.° Quando adultus absque ulla necessitate ab hæretico scienter Baptismum recipit (C. *Ventum* 18. Caus. 1. q. 1.). 2.° Quando adultus Baptismi susceptionem differt ad tempus ægritudinis ob mortis metum. Hic si non moritur, et vivat; ex Cap. *Si quis* 1. Dist. 57. erit irregularis. Hic autem nota, quod si postea bonæ vitæ apparuerit; ex eodem Capite posset promoveri. 3.° Quando adultus jam valide baptizatus, scienter præsumit denuo recipere Baptismum. Etiam hic (in Cap. *Confirmandum* 65. Dist. 50.) declaratur irregularis ad reprimendam Donatistarum hæresim, qui rebaptizabant. Imo in C. *Ex litterarum* 2. de Apost. Alexander III. declaravit irregularem Clericum (si factum fuit publicum), qui licet in minori ætate, ministerium suum scienter præstitit Sacerdoti rebaptizanti ejus fratrem infirmum, qui credidit aliquibus Mulieribus sagis, quod per iterationem Baptismi citius ab infirmitate se liberasset.

81. Q. Quid dicendum de rebaptizante?

℟. Si quis jam valide baptizatum ab obstetrice, vel ab alio, iterum audeat scienter baptizare; præter grave sacrilegium, quo se alligat; etiam hic irregularis evaderet; quamvis sub conditione eum rebaptizaret. Ita ex præfato Cap. *Ex litterarum* deducit Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. 7.

Cap. 6. n. 3., et Instit. 84. n. 5. etc.); Catechismus Romanus (de Bapt. n. 57.); aliique Doctores. Quod si Parochus, re diligenter examinata cum obstetrice, cum astantibus etc., dubius sit, an ille fuerit valide baptizatus; tunc absque ulla culpa, et pœna potest, imo debet sub conditione eum iterum baptizare; et multo magis esset absolute baptizandus, si certo appareat, ex defectu materiæ, vel formæ, vel intentionis non esse valide baptizatum. Vide quæ de valore Sacramentorum diximus in Lib. IV. a n. 9. ad 18.

Paragraphus II.

De Irregularitate ob illicitam Ordinum susceptionem, et vetitum eorum exercitium.

82. Q. Quando ob illicitam Ordinum susceptionem Irregularitas incurritur?

℟. Incurritur 1.°, quando quis furtive suscipit Ordines; hoc est, quando non examinatus; vel non admissus; vel alio pro se ad subeundum examen submisso etc.; dolose se ingerit inter ordinandos. 2.° Quando quis, vel aliquem Ordinem minorem cum Ordine Sacro; vel duos Ordines sacros eadem die suscipit. Ita Alexander III. in Capitib. *Veniens* 1. *Cum lator* 2. et *Innotuit* 3. de Eo, qui furtive etc. 3.° Quando quis post contractum Matrimonium licet non consummatum, invita uxore, Subdiaconus ordinatur. (Extrav. *Antiquæ* de Voto). 4.° Quando quis Excommunicatione majori ligatus (non autem Suspensione, vel Interdicto, ut censet Benedictus XIV. Syn. Diœc. Lib. 12. Cap. 5. n. 6. et 7. citans multos

Doctores), aliquem sacrum Ordinem suscipit (C. *Cum illorum* 32. de Sent. Excom.).

83. Q. Quando Irregularitas incurritur propter vetitum Ordinum exercitium ?

℟. 1.° Quando quis absque debita facultate pluries celebrat eadem die ; ut S. C. Conc. 16. Nov. 1686. 2.° Quando quis Ordinem exercet, quem non habet : ut si quis non Sacerdos auderet celebrare ; nuptias, aut aquam lustralem benedicere ; Sacras confessiones audire ; extremam Unctionem ministrare ; solemniter baptizare ; aut aliud officium Sacerdotale exercere. Dixi *solemniter baptizare* : quia in casu necessitatis ob mortis periculum quilibet, et etiam fœmina posset licite privatim baptizare, ut dictum est loquendo de Baptismi Ministro (Lib. IV. n. 50.). Imo in absentia Sacerdotis, vel eo impedito, de commissione Episcopi, vel Parochi, Diaconus etiam solemniter, sed stola transversa, posset licite baptizare ; ut ibidem (n. 49.) dictum est. Hæc omnia, et sequentia constant ex Cap. *Si quis* 1. de Cleric. non Ordin., et ex C. *Ex litteris* 2. eod. Titulo.

84. Q. Est ne aliud præterea addendum ?

℟. Ob eamdem rationem 3.° Irregularis evaderet, qui non ordinatus Diaconus auderet solemniter canere Evangelium, idest *cum Stola*, ut communiter verbum *solemniter* intelligitur a Doctoribus ; vel non ordinatus Subdiaconus caneret *cum Manipulo* Epistolam in Missa. Dixi *solemniter* : quia si qui non est Diaconus, *sine Stola* ; et qui non est Subdiaconus, *absque Manipulo* caneret respective Evangelium, aut Epistolam ; peccarent utique ; sed Irregularitatem non incurrerent. Imo constitutus in Ordinibus minoribus, deficiente Subdiacono, potest licite per Superiores

substitui ad cantandam Epistolam paratus absque Manipulo. Ita decrevit S. R. Congregatio 5. Jul. 1698. ad 18.

85. Q. Quinam alii ob vetitum Ordinum exercitium Irregularitatem incurrunt?

℟. 4. Incurrunt illi, qui ligati Excommunicatione majori, vel Suspensione, vel Interdicto, exercent actum Ordinis Sacri; ex. gr. audent celebrare; confessiones audire; extremam Unctionem ministrare; solemniter baptizare; Officium Subdiaconi, aut Diaconi solemniter exercere; aut alium Ordinis actum exercitare. Colligitur ex C. *Cum medicinalis* 1. *Is*, *qui* 18. *Is*, *cui* 20. de Sent. Excom. in 6. Dixi *audent celebrare* etc.: quia, si quis invincibiliter ignorans, aut non reminiscens, se esse censuratum, Irregularitatem non incurreret: quia, ut bene notat B. Ligorio (n. 358 Not. 2.), hæc ob contemptum censurarum imposita est. Bonacina, et alii apud Monacelli (Par. 3. in Prælud. n. 171.) excusant etiam illos, qui in casu necessitatis, causa vitandi scandali aliquem Ordinis actum contriti exercent. Denique Irregularitatem incurrit qui scienter absque vera necessitate in loco interdicto celebraret, ut clare eruitur ex cit. C. *Is*, *qui*: quia per Ordinis exercitium censuram violaret.

Paragraphus III.

De Irregularitate ob homicidium.

86. Q. Quando Irregularitas incurritur ob homicidium?

℟. Duplici ex capite potest hæc Irregularitas incurri; ex defectu, et ex delicto. Quando incurra-

tur *ex defectu*, dicemus infra a n. 108. Hic videbimus, quando incurratur *ex delicto*. Hæc Irregularitas incurritur *ex delicto*, quando quis per industriam, per insidias voluntarie sive in se, sive in causa proximo suo vitam culpabiliter, et injuste aufert, et occidit. Ita statuitur in Tridentino (Sess. 14. Cap. 7. de Ref.). Et cum procurantes abortum ex Const. *Effrænatam* Sixti V. 13. Nov. 1588. reputentur homicidæ: hinc quocumque modo ad abortum quis cooperetur, effectu secuto; pariter irregularis evadit: dummodo fœtus sit animatus; ut modificavit Gregorius XIV. Const. *Sedes Apostolica* 31. Maj. 1591. n. 3. Et hanc Irregularitatem incurrit non solum qui per se occidit, sed etiam qui homicidium, vel abortum mandat, vel consulit ex C. *Sicut* 6. de Homic. §. *Qui vero*; et quocumque alio modo ad mortem alicujus concurrit, aut cooperatur, effectu secuto.

87. Q. Semper ne mandantes, et consulentes hanc Irregularitatem incurrent?

R/. Si mandans mandatum revocaverit; et hoc mandatum mandatario innotuerit; tunc non incurreret: quia hoc casu non mandanti, sed malitiæ mandatarii mors imputaretur. An autem excusetur qui revocat suum pravum consilium, quæstio est inter Doctores. Sed, sicut sapienter monet B. Ligorio (n. 373.), si consulens insinuavit motivum, vel modum occidendi, abortum procurandi; probabilius Irregularitatem incurret: quia motivum, et modus semper pergunt influere in homicidium. Imo, si quis mandaverit, vel consuluerit tantum verberare, et expresse vetuerit, ne occideret, aut mutilaret; si executor mutilaverit, aut occiderit; aut ipse executor mutiletur, aut occi-

datur; ex Cap. *Is*, *qui* 3. de Homic. in 6. irregularis evaderet; quia hoc evenire posse debuerat cogitare, ac prævidere.

88. Q. Quare dixisti: *quocumque alio modo concurrit*, *cooperatur etc.*?

℟. Quia non solum propriis manibus ferientes, venenum propinantes, consulentes, mandantes sunt irregulares, sed etiam illi, qui quoquo modo concurrunt, cooperantur; influunt in homicidium. Hinc, ut bene notat B Ligorio n. 374., irregulares sunt 1.° Omnes præliantes in bello manifeste injusto, etiamsi unus tantum ab eorum ala occidatur. 2. Omnes illi, qui sese invicem excitant, aut conspirant ad aliquem occidendum; etiamsi unus tantum percutiat. 3. Omnes illi, qui casu fortuito in rixa se reperientes, absque communi consensu feriunt etc., si nequeat sciri, a quo lethale vulnus sit inflictum. Dixi: *si nequeat sciri*: quia si sciatur, quis certo occiderit; ille solus esset irregularis.

89. Q. Sunt ne alia exempla hujusmodi Irregularitatis?

℟. Maxime. 4.° Esset irregularis qui causam dedit rixæ, ex qua homicidium fuit secutum (S. C. Conc. 24. Mar. 1725. ad 2.). 5.° Omnes illi, qui arma, pecunias etc. ministrant ad homicidum. 6.° Omnes illi, qui injuste accusant, testificantur, aut judicant, ut homo occidatur. 7.° Medici, et Chirurgi, qui ob eorum graviter culpabilem ignorantiam, vel incuriam sunt causa, ut infirmus moriatur, aut mors acceleretur. Et sic de aliis.

90. Q. Semper ne ob homicidium Irregularitas incurritur?

℟. Si homicidium sit non solum voluntarium,

sed etiam graviter culpabile, Irregularitas semper incurritur. Patet ex dictis. Si autem quis mortem aliter vitare non valeat, quam suum injustum invasorem occidendo, vel mutilando; ex Clem. *Si furiosus* 1. de Homic. Irregularitatem non incurreret. Dixi 1.° *injustum invasorem*: quia Ministri justitiæ cum juste invadant; si quis ob mortem vitandam aliquem ex ipsis occideret; nec peccatum, nec Irregularitatem evitaret. Dixi 2. *si mortem alitèr vitare non valeat*: quia si fugiendo, clamando, auxilium implorando posset se salvare; aut si aggressorem posset pugnis, baculo, aut aliter a se repellere, vel leviter ferire; et tamen occidit; non excusabitur nec a peccato, nec ab Irregularitate: quia non adesset *moderamen inculpatæ tutelæ*, quam Innocentius III. requirit in Cap. *Significasti* 18. de Homicidio.

91. Q. Quid dicendum, si homicidium fuit casuale?

℟. Si quis rei licitæ operam dabat, et omnem diligentiam adhibuit, ne mors, aut mutilatio sequeretur; et homicidium fuerit mere, et simpliciter casuale; ex C. *Lator* 9. et C. *Dilectus* 13. de Homic. irregularis non evaderet. Si autem non adhibuit diligentiam, quam debuit, ex Summario in C. *Presbyterum* 7. de Homic. Irregularitatem non evitaret. Dixi *rei licitæ*: quia, si quis dabat operam *rei illicitæ*, quæ poterat habere adnexum periculum homicidii, abortus, vel mutilationis; ex Summario in C. *Suscepimus* 10. pariter irregularis efficeretur. Et revera ex Summario in C. *Tua nos* 19. quidam Monachus Sacerdos licet foret peritus; declaratus fuit irregularis, quia tumorem incidit cuidam mulieri, quæ ob propriam negligentiam mortua fuit. Et ratio est, quia is

Monachus rei illicitæ operam dabat : nam in Cap. *Sententiam* 9. Ne Clerici etc. adustio, et incisio, quæ laicis permittitur, Clericis in sacris vetatur.

92. Q. Quid sequitur ex dictis?

℟. Sequitur, quod, si venator pro fera hominem occiderit, si omni adhibita diligentia, crediderit reapse, non hominem, sed feram esse; immunis erit ad Irregularitate : non vero, si debitam non adhibuerit diligentiam. Cum autem Clericis interdicta sit venatio, sæpe S. C. Concilii, ut asserit Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. II. C. 10. n. 8.), declaravit irregularem talem Clericum venatorem, utpote rei sibi illicitæ vacantem. Sic non erit irregularis qui bona fide cibum, medicinam etc. dat infirmo; aut movet, aut de lecto ad lectum transferat etc. ex quo mors præter intentionem sequatur, aut ejus acceleratio; dummodo lata culpa non intervenerit. Pariter non erit irregularis qui canem ferocem, aut feram ligatam teneat; et hæc, abruptis vinculis, hominem occidat. Secus, si custoditam non teneat. Idem dicendum de eo, qui tecta reficiens, et lapides mittendo, præmonet transeuntes, ut se caveant; secus, si non moneat. Et sic de aliis similibus.

Paragraphus IV.

De Irregularitate ob mutilationem, et alia delicta enormia.

93. Q. Quando ob mutilationem Irregularitas incurritur.

℟. Cum ad incurrendam Irregularitatem mutila-

tio æquiparetur homicidio, ut constat ex Glossa in Clem. *Si furiosus* de Homic.; hinc quando quis Irregularitatem incurrit, aut ab ea excusatur ob homicidium, ut explicatum est in Paragrapho præcedenti; incurrit pariter, aut excusatur propter mutilationem. Mutilatio autem, ob quam Irregularitas incurritur, tunc verificatur; quando quis injuste ab homine abscindit, et truncat membrum aliquod, quod peculiare habeat officium; ut manum, pedem, oculum, linguam, virilia: non autem, si digitum, dentem, capillos, auriculam amoveret; ut communissime sentiunt Doctores (ap. B. Ligor. n. 379.). Dixi *injuste*: quia, si ad hominem conservandum in vita, abscindat Chirurgus manum, pedem, testiculos etc. non foret irregularis.

94. Q. Quid dicendum, si quis mutilet seipsum, aut sui mutilationem permittat?

℟. Si quis ex zelo indiscreto, sive animo sedandi libidinem, sive ad vocem musicam conservandam se castrat, aut permittit se castrari, ex Cap. *Si quis* 4. Dist. 55. et ex Cap. *Significavit* 4. de Corp. vitiat. irregularis efficitur. Imo irregularis evaderet, non solum si sibi abscinderet aliquod membrum principale; sed etiam si voluntarie (non autem casu) sibi abscinderet digitum, aut ejus partem. Sic Felix Papa in C. *Qui partem* 6. Dist. 55. Si autem quis mutilatus fuerit absque sui consensu, ut qui secti sunt in infantia; aut qui violenter mutilati sunt a latronibus, a Barbaris etc., vel si ad sui mutilationem consentit, id fiat de consilio medicorum ad evitandum gravius malum; tunc ex C. *Si quis a medicis* 7. Dist. 55. irregularis non evaderet.

95. Q. Quænam sunt alia delicta enormia, ob quæ incurritur Irregularitas?

℟. Præter Hæresim, Homicidium, et Mutilationem, de quibus supra; Irregularitatem causant omnia alia delicta, quæ ex Cap. *Infames* 17. Caus. 6. quæst. I. hominem reddunt infamem; et hæc sunt Simonia, Sodomia, Perjurium factum in judicio, Crimen læsæ Majestatis, Adulterium, Proditio, Rapina, Lenocinium, Exercitium usurarum, Incestus, Maleficium, Veneficium, et alia ibi enumerata; quibus ex Tridentino (Sess. 24. Cap. 6.) additur Raptus mulierum ad contrahendum matrimonium, etiam quoad illos, qui ad hoc consilium, auxilium, et favorem præbent; et Sess. 25. Cap. 19. de Ref. additur etiam Duellum. Ob infamiam incurritur Irregularitas etiam *ex defectu*. Sed de hac dicemus n. 113.

96. Q. Hæc crimina semper ne inducunt Irregularitatem?

℟. Minime; sed requiritur, ut illa crimina publica sint, ac notoria, notorietate facti, vel juris; excepto Homicidio (quod amplectitur etiam abortum fœtus animati); quod etiamsi occultum, Irregularitatem inducit. Constat ex Cap. *Quæsitum* 17. de Tempor. Ordin. Inducitur Irregularitas notorietate *facti*; cum crimen per publicam famam sciatur a majori parte viciniæ, communitatis etc., nec ulla possit tergiversatione celari. Inducitur notorietate *juris*; cum crimen sciatur per ipsam confessionem rei factam in judicio, vel per sententiam judicis. Et hic nota, quod, quamvis infamia *juris* non tollatur, nisi per dispensationem; infamia autem *facti*, et proinde etiam Irregularitas tollitur quoque per notoriam facti emendationem saltem per triennium protractam: ut ex Cap. *Si duo* 4. Caus. 35. quæst. 6. te-

nent Suarez cum aliis apud B. Ligorio (n. 364.): ita ut reus possit dein in Ordinibus susceptis ministrare.

Caput II.

De Irregularitate ex defectu.

97. Q. Quænam sunt Irregularitates *ex defectu?*

℟. Irregularitates *ex defectu*, quæ ob quamdam decentiam, obsequium, et reverentiam, quæ sacris ministeriis, et Altari debentur, etiam absque culpa subjecti ab Ecclesia sunt impositæ; ad octo capita reducuntur; ad defectum scilicet Animæ, Corporis, Natalium, Sacramenti, Ætatis, Lenitatis, Libertatis, et Famæ de quibus omnibus in sequentibus Paragraphis agetur.

Paragraphus I.

De Irregularitate ex defectu Animæ, et Corporis.

98. Q. Quinam sunt irregulares ex defectu Animæ?

℟. Sunt amentes; lunatici, idest, qui lucida aliquoties tantum habent intervalla rationis; furiosi, qui irruente furoris accessu, non sunt liberæ mentis; dœmoniaci, qui a dœmone obsidentur; epileptici, qui a morbo caduco, seu comitiali corripiuntur. Hi omnes ex C. *Communiter* 3. et *Clerici* 4. Dist. 33. sunt irregulares, qui nec ad Ordines promoveri, nec in susceptis ministrare queunt. Asserit tamen Croix relatus a B. Ligorio (n. 399.), in suis partibus praxim habere,

quod qui per biennium liberi fuerint ab hac infirmitate; accedente Episcopi declaratione, ordinantur: et etiam sine hac declaratione, si quis per septem annos hujusmodi incommodo liberatus probetur.

99. Q. Quid dicendum, si prædicti jam ordinati reperiantur?

℟. Legitur in præfato C. *Communiter*, quod prædicti *erunt ab Officii sui ordine, et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur . . . liberati.* Et illa verba *unius anni* dicit Suarez, non esse in usu, sed relinqui prudentis arbitrio. Et noster Beatus (ibid.) dicit, quod, si prædicti jam ordinati raro, idest, ut ipse explicat *semel in mense*, cadant, nec spument; poterunt privatim celebrare, adjuncto Sacerdote jejuno, qui adveniente morbo, Missam perficiat, *ubi*, ut legitur in C. *Illud* 15. Causa 7., *temporis, vel loci, sive Cleri copia suffragetur.* Et ita sentiunt etiam Layman, et alii citati a Ferraris. (V. *Irregularitas* Art. I. n. 12.). Notent hæc tam hujusmodi morbis laborantes, quam Episcopi, cæterique Prelati, et Parochi.

100. Q. Quinam alii ex animæ defectu sunt irregulares?

℟. Sunt illitterati. Constat ex C. *Illitteratus* 1. Dist. 36.; illi videlicet, qui, ut communis; et probabilior sententia tenet, sunt adeo rudes, qui ignorent etiam prima Grammaticæ latinæ rudimenta: Glossa enim in citato. C. *Illitteratos* dicit *penitus illitteratos.* Et hi non solum jure humano sunt irregulares, sed etiam jure divino et naturali: ipsum enim jus naturale dictat, non esse admittendos ad aliquod munus illos, qui nequeunt

illud exercere. Et propterea hujusmodi illitterati, ut notant Salmaticenses, cum aliis ap. B. Ligor. Lib. 6. n. 791. q. 2.; graviter peccarent, Ordines suscipiendo, ac exercendo. Quæ autem scientia in ordinandis requiratur, vide Lib. III. n. 10. 11. 12. 13. et 82. Denique ex hoc capite censentur irregulares Neophyti, illi scilicet, qui de novo baptizati sunt, et ad Fidem conversi, ut videre est in C. *Neophytus* 9. Dist. 61.; donec eorum constantia ab Episcopo probetur.

101. Q. Quinam ex defectu *Corporis* censentur irregulares?

℟. Sunt omnes illi, qui ita sunt defectuosi, ut, vel absolute non possint congrue Ordinis ministeria exercere; vel, si aliqualiter possunt; non possunt tamen absque notabili indecentia, aut cum aliorum horrore, offensione, contemptu, risu etc. Ut sunt *cæci* saltem in oculo sinistro, ut communiter sentiunt Doctores (ap. B. Ligor. Lib. 7. n. 404.); item *surdi* penitus non audientes; pariter *muti*, qui loqui nequeant, aut verba integra proferre: similiter *claudi*, qui absque pede ligneo, aut baculo nec in Altari stare possunt: atque etiam illi, qui aliquo membro carent quamvis absque eorum culpa; imo etiam illi, qui carent solo indice, aut pollice.

102. Q. Sunt ne alii, qui ob corporalem defectum sunt irregulares?

℟. Sunt illi, qui lepra, aut morbo gallico foras apparente laborant. Sunt enormiter gibbosi, si nequeant recto capite stare; aut ex alio capite ad risum moveant, et sint monstruosi. Hic autem nota, quod si quis post Ordines susceptos aliquo ex dictis, aut aliis defectibus aggrediatur; non impeditur ab actibus illius Ordinis, quos absque in-

decentia potest exercere: Hinc Sacerdos cæcus, aut claudus, aut absque pollice, vel indice, licet celebrare non possit; potest tamen confessiones excipere, *cæterisque Officiis Sacerdotalibus fungi*, quæ absque indecentia potest exercere, ut legitur in C. *Presbyterum* 2. de Cler. ægrot.

Paragraphus II.

De Irregularitate ob defectum Natalium, Sacramenti, ac Ætatis.

103. Q. Qui sunt irregulares ob defectum natalium?

℟. Sunt illegitimi; idest, qui nati sunt non ex legitimo Matrimonio, sed ex illicito concubitu. Hi autem ligitimantur, et cessant esse irregulares, vel per professionem religiosam quoad Ordines suscipiendos; vel per subsequens parentum Matrimonium: dummodo tamen tempore saltem nativitatis parentes valide potuissent Matrimonium contrahere. Constat ex C. *Ut filii* 1. de Fil. Presbyt. et ex C. *Tanta* 6. qui fil. sint legit. Et ita probabilius asserunt Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio n. 422. Et hic nota, quoad filios natos ex matrimonio nullo ob aliquod impedimentum dirimens occultum. Si ambo, vel unus saltem ex sponsis validum reputabant; tunc ex C. *Cum inter* 2. et C. *Ex tenore* 14. Qui fil. sint etc. communiter dicunt Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 424.), censeri legitimos. Si autem ambo sponsi in mala fide fuerunt; tunc ex C. *Cum inhibitio* 3. de Cland. in fine, illegitimi censentur.

104. Q. Qui sunt irregulares ob defectum *Sacramenti?*

℟. Sunt bigami, qui Matrimonii Sacramentum multiplicando, aut mulierem ab alio corruptam ducendo, non bene repræsentant unionem Christi cum Ecclesia unica ejus sponsa. Et idcirco loquens Apostolus de Episcopo (et idem dic de Presbytero, et aliis in sacris), aperte dicit (Tit. 1. 6.) : *Sit unius uxoris vir.* Et Ecclesia bigamos irregulares declaravit (C. *Præcipimus* 10. Dist. 34.). Triplicis autem generis sunt bigami: veri, interpretativi, et similitudinarii. Bigami *veri* sunt illi, qui duo contraxerunt, et consummarunt matrimonia; etiamsi aut unum, aut ambo dicta Matrimonia fuerint invalida; aut unum ex ipsis contractum ante baptismum. Colligitur ex C. *Nuper* 4. *A nobis* 7. de Bigam. C. *Acutius* 2. C. *Deinde* 3. Dist. 26. et C. *Si quis Viduam* 13. Dist. 34. Vide etiam B. Ligorio a n. 436. ad 445.

105. Q. Qui sunt bigami interpretativi?

℟. Bigami *interpretativi* sunt ii, qui quamvis unum tantum contraxerint Matrimonium; illo tamen contracto, et consummato cum propria uxore, deinde cum alia muliere copulam habent, ut ex C. *Si quis de Laicis* 8. Dist. 34. Dixi *deinde*: quia si ante Matrimonium copulam cum aliis quis habuit, non censetur nec bigamus, nec irregularis. Ita ex C. *Quia circa* 6. de Bigam. Et pariter bigami censentur illi, qui Matrimonium contrahunt, et consummant cum muliere, quæ, etiamsi coacta, cum alio copulam habuit, vel ante, vel post Matrimonium: Ut si quis duxerit, et Matrimonium consummaverit cum vidua ab alio marito cognita, aut cum muliere ab alio corrupta, aut si copulam habeat cum propria uxore, quæ post Matrimonium adulteravit: quia omnes istæ cum aliis carnem suam diviserunt. Constat ex C. *Curandum* 9. *Si cujus* 11. Dist. 34.

106. Q. Quinam sunt bigami *similitudinarii?*

℟. Sunt illi, qui post professionem religiosam, vel post susceptionem Ordinis sacri audent Matrimonium contrahere, et consummare, non solum cum corrupta, sed etiam cum virgine. Quamvis enim hujusmodi Matrimonia sint invalida; qui autem hæc attentat, interpretatione juris censetur duo contraxisse Matrimonia; unum spirituale cum Christo in sacra Ordinatione, vel Religiosa professione; et alterum carnale cum muliere propter affectum pravæ intentionis cum opere subsecuto. Ita ex C. *Quotquot* 24. et C. *Monacho* 32. Caus. 27. quæst. I. communiter docent Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio n. 448.

107. Q. Qui sunt irregulares defectu *ætatis?*

℟. Sunt illi, qui ante legitimam ætatem a Tridendino (Sess. 23. Cap. 12. de Ref.) requisitam scienter ordinantur in sacris: ut si quis ordinetur Subdiaconus ante annum vicesimum secundum, Diaconus ante 23., Sacerdos ante 25. saltem inceptos. Qui sic ordinatus fuerit, ex Const. *Cum ex Sacrorum* Pii II. 17. Nov. 1461. ipso jure remanet suspensus. Et si hujusmodi Suspensione durante, in sic suscepto Ordine ministrare præsumpserit, antequam a censura absolvatur; statim irregularis evadit. Dixi *scienter*: quia si quis bona fide ante requisitam ætatem fuerit ordinatus; verum quidem est, quod remaneret irregularis; ita ut, animadverso errore, non posset in suscepto Ordine ministrare; sed non incurreret nec Suspensionem, nec Irregularitatem; et completa ætate; absque dispensatione posset ministrare. Arguitur ex C. *Quæsitum* 17. de Tempor. Ordin.

Paragraphus III.

De Irregularitate ex defectu Lenitatis, Libertatis, et Famæ.

108. Q. Qui sunt irregulares ex defectu *Lenitatis?*

℟. Cum indecens sit, eos, qui etiamsi inculpabiliter, et juste concurrerint ad humanum sanguinem fundendum, Christi lenissimi, et mansuetissimi personam in Altari repræsentent, et ejus nomine hostiam pacificam, et immaculatam Deo offerant; hinc ex defectu hujus lenitatis, et mansuetudinis Ecclesia, aliquibus exceptis, ut infra; eos excludit ab Altaris ministerio, et irregulares declarat: etiamsi ex zelo justitiæ, et absque culpa proxime concurrunt ad occidendum, vel mutilantum hominem, quantumvis scelestum, et iniquum. Dixi *absque culpa*: quia, quando quis culpabiliter, et injuste occidit, vel mutilat; is esset irregularis *ex delicto*, ut supra diximus a n. 86. ad 93.

109. Q. Qui ergo ex hoc capite fiunt irregulares?

℟. Sunt illi sive clerici, sive laici, qui in bello justo offensivo certi sunt, aut dubitant, aliquem revera occidisse, vel mutilasse; si autem certi sciat. Laici vero, si certi sint, neminem mutilasse, vel occidisse; erunt liberi ab Irregularitate, etiamsi commilitones et occiderint, et mutilarint. Eruitur ex C. *Petitio* 24. de Homic. Dixi *bello justo*: quia si bellum foret injustum; etiamsi certi essent, neminem occidisse, vel mutilasse, essent irregulares *ex delicto*, quamvis unus tantum fuerit ab aliis occisus, ut dictum est supra n. 88.

110. Q. Quare dixisti : *bello justo offensivo?*

℟. Quia, si bellum justum fuerit defensivum, ad defensionem Religionis, Ecclesiæ, Patriæ etc.; occisores non erunt irregulares. Ita ex C. *Pervenit* 2. de Immun. Eccles. docte ostendunt Gonzalez et Gibellinus, quos citat, et sequitur Lambertini (Inst. Eccl. 101. n. 9.; Salmaticenses, et alii communiter cum B. Ligorio n. 459. Imo idem Lambertini, postea Benedictus XIV. (ibid. n. 12.), citans præfatum Gonzalez, Fagnanum, et alios, sentit, etiam in bello justo offensivo, si quis aggressus ab hoste, mortem aliter vitare non possit, quam illum occidendo, vel mutilando cum moderamine inculpatæ tutelæ, ex Clement. *Furiosus* de Homic. eum immunem esse ab Irregularitate, ut supra (n. 90.) diximus accidere in rixa privata.

111. Q. Qui alii hac de causa sunt irregulares?

℟. Sunt omnes illi, qui in judicio justo voluntarie, et proxime concurrunt ad mutilationem, vel mortem reorum, effectu secuto: ut sunt judices ferentes sententiam, eorumque assessores; advocati, procuratores, et testes voluntarii contra reum (non item qui coacti advocant, procurant, aut testificantur); accusatores, aut denuntiatores, qui coram judice laico accusant reum crimine digno sententia sanguinis; dummodo protestationem non faciant, se nolle pœnam sanguinis, sed tantum ut proprium damnum præcaveant. Item sunt irregulares notarii sententiam scribentes, vel dictantes; lictores, carnifices, ceterique qui voluntarie, et efficaciter ad sententiam cooperantur. Constat ex Glossis ad Cap. *Si quis viduam* 8. Dist. 50. et C. *Aliquando* 1. Dist. 51. Vide etiam B.

Ligorio a n. 461 ad 468. dixi *judicio justo*: quia si quis injuste condemnaretur, omnes ad condemnationem cooperantes essent *ex delicto* irregulares, ut dictum est n. 89.

112. Q. Qui sunt irregulares ex defectu *Libertatis?*

R. Sunt 1.° Servi ita proprie dicti, seu mancipia, qui ad sacros Ordines promoveri non possunt, *nisi prius a propriis Dominis legitimam libertatem consequantur*, ut videre est in C. *Nulli* 2. dist. 54. 2.° Curiales, hoc est qui ex officio negotiis sæcularibus implicantur; ut procuratores, curatores, tutores, notarii, milites etc.; nisi deponant officium. Qui autem gerunt administrationem personæ Ecclesiasticæ, viduarum, pupillorum, miserabilium, vel locorum piorum; hoc impedimento non afficiuntur. 3.° Ex eodem capite non possent ordinari, qui ad rationes reddendas sunt obligati, nisi prius deponant officium, et rationes reddant. Vide C. *Legem* dist. 53. C. *Pervenit* 26. dist. 86. et Cap. *Sed non* 4. Ne Clerici, vel Monachi.

113. Q. Qui sunt irregulares ex defectu *Famæ?*

R. Sunt omnes illi, *quos Ecclesiasticæ, vel sæculi Leges infames pronuntiant*. Sic legitur in C. *Infames* 17. Caus. 6. q. 1. Qui sint infames *ex delicto*, dictum est jam supra n. 95. et 96. Infames autem *absque delicto*, aut *ex defectu* sunt, seu potius reputantur illi, qui ignominiosas, ac viles artes, aut officia exercent; ut essent histriones; mimi; comædi; gladiatores; tabernarii; macellarii; filii publicæ meretricis, et similes; ut ex diversis juribus colligit Ferraris (V. *Irregularitas* Art. I. n. 12. v. *octava*.). Et si

quis ex his clare a jure declararentur infames, absque dubio erunt irregulares. Notat tamen Giballinus (ap. Ferrar. ibid. in nov. addit. n. 15.), ex prædicta infamia non contrahi irregularitatem, *nisi in jure sit expressa; sed fortassis aliqua prohibitio ordinandi viles hujusmodi personas, quandiu eas artes exerceant.*

Caput. III.

De Effectibus Irregularitatis, ejusque Ablatione.

114. Q. Quot sunt Effectus Irregularitatis?

℟. Sunt duo. Primus Effectus est, quod Irregularis, quamvis valide conferat, suscipiat primam Tonsuram, et Ordines, illosque exerceat; graviter tamen peccaret illos conferendo, suscipiendo, exercendo; quia in re gravi violat præceptum Ecclesiæ id vetantis. Sic communiter Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 342.). Vide Jura apud Auctores, præsertim Ferraris (V. *Irregularitas* Art. 2.). Vetitum autem non est Irregulari alia Sacramenta recipere, ut Pœnitentiam, Eucharistiam etc. Sicut nec vetitum est illos actus exercere, qui etiam absque Ordine possunt exerceri, ut Missæ privatæ ad instar laicorum inservire, conciones habere, Baptismum ad instar laici in casu necessitatis domi conferre etc. Et pariter licitum est Irregulari illos actus exercere, qui non ab Ordine, sed a jurisdictione pendent; ut dare licentiam alteri Sacerdoti Matrimonio assistendi etc.

115. Q. Quinam est secundus Effectus Irregularitatis?

℟. Est inhabilitas ad Beneficium obtinendum, si sit totalis: ita ut collatio facta Irregulari (dummodo non sit Irregularis ob aliquem defectum corporalem) juxta sententiam, quam B. Ligorio (n. 343.) vocat communiorem; esset ipso jure invalida, ut definivit etiam Sacra Rota 10. Decembr. 1723., declarando insuper hujusmodi Beneficium, utpote invalide collatum, posse alteri conferri. Excipiunt Salmaticenses cum aliis (ap. Beatum ibid.), si Beneficium sit simplex, quod non requirat Ordinis sacri exercitium, sed tantum recitationem Horarum Canonicarum, aut aliud officium, quod etiam a laicis possit exerceri. Dictum est *inhabilitas ad beneficium obtinendum:* quia quoad Beneficia obtenta ante contractam Irregularitatem; quamvis possit iis a Judice privari; Beneficiatus tamen non esset ipso jure privatus, ut certum est apud omnes (Beatus ibid.).

116. Q. Hujusmodi Effectus semper ne incurruntur?

℟. Si Irregularitas sit certa, et totalis; semper incurruntur. Constat ex dictis. Si autem sit dubia; videndum, an dubium sit juris, an facti. Si dubium sit *juris*, nempe si dubitetur, an pro illo delicto, vel defectu statuta sit in Lege Irregularitas; tunc, si post diligentem inquisitionem adhuc quis remaneat dubius; dicti Effectus non incurruntur; et tanquam non irregularem potest quis se gerere; tum quia in dubio nemo spoliandus est suo jure; tum quia cum dubitatur de Lege, Lex non obligat. Ita communiter Doctores ap. B. Ligor. n. 346. Et præsertim hoc currit, si quis in gravi necessitate versetur audiendi aliquam confessionem; celebrandi; aut occasio occurrat recipiendi Ordines, aut Beneficium.

117. Q. Quid dicendum in dubio *facti?*

℟. Cum crimen est patratum, et dubitatur, an quis de eo sit reus, necne; distinguendum. Si agatur de homicidio culpabili (a n. 86. ad 92.); cum scilicet quis dubitat, an mors, seu abortus fœtus animati secutus sit ex suo consilio, ex ictu, aut vulnere a se inflicto; ex medicina, aut alia opera a se ministrata; tunc ille censendus est Irregularis; sed quoad primum effctum tantum; ita ut non posset celebrare; et in sacris Ordinibus ministrare. Sic præscribitur in C. *Ad Audientiam*, et in C. *Petitio tua* 24. de Homicid. Et idem dicendum, si vulnus sit adeo grave, aut media adhibita ad abortum sint adeo efficacia, ut ex eis soleat sequi effectus; quamvis aliquis certus non sit, mortem, aut abortum secutum esse: quia in his casibus præsumptio stat ex communiter contingentibus; ut sentiunt Navarrus cum aliis apud B. Ligorio n. 347. dub. 3.

118. Q. Quid dicendum in aliis criminibus?

℟. Si quis dubitat, an rapina ex. gr. mutilatio etc. secuta sit ex ejus opera, necne; quamvis aliqui Doctores eum censeant Irregularem ob rationem in præcitatis Juribus adductam, ut scilicet pars tutior sequatur: nihilominus Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Beatus (n. 547.), ab Irregularitate eum excusant. Et hanc sententiam communem, et veriorem appellat idem Beatus. Ratio: quia, ut diximus n. 75. in solis casibis a Jure expressis Irregularitas incurritur. Cum autem in præfatis Juribus loquatur tantum de dubio homicidii, et non aliorum delictorum; nec adsint alia Jura id exprimentia; patet, nec Irregularitatem, nec ejus Effectus incurri. Vide alias rationes ibi a Beato relatas.

119. Q. Quomodo tollitur Irregularitas?

℟. Quatuor modis. Primo per cessationem, aut ablationem causæ; ut per cessationem infamiæ facti, aut illius defectus, per quem quis est Irregularis; ut dictum est a n. 96. ad 113. Secundo per susceptionem Baptismi tolluntur illæ Irregularitates, quæ proveniunt ex delicto, ut ex homicidio, mutilatione, et aliis supra (a n. 78. ad 95.) enumeratis. Tertio illa Irregularitas, quæ provenit ex defectu natalium (num. 103.), tollitur per Professionem religiosam in aliqua Religione approbata, sed quoad Ordines tantum suscipiendos, non tamen ad Prælaturas, et Dignitates obtinendas. Vide Jura apud Ferraris V. *Irregularitas* Art. 3. Quarto denique tollitur per dispensationem.

120. Q. Quis dispensare potest ab Irregularitate?

℟. In primis Summus Pontifex, qui in omnibus Irregularitatibus, et per totum Orbem dispensat, vel per Datariam, si Irregularitas est publica; vel per Pœnitentiariam, si est occulta. Secundo cum suis subditis, et in Diœcesi Episcopus, et Sede vacante etiam Vicarius Capitularis, ut tenet Barbosa cum aliis apud Monacelli (Tom. 3. Formul. in Præludio n. 180.): sed hi possunt dispensare solum in illis Irregularitatibus, quæ proveniunt ex delicto occulto, idest, quod ignoratur a majori parte Communitatis, ut sentit Communis (ap. Goritia Tab. 227.); excepta illa Irregularitate, quæ deducta est ad forum contentiosum, vel provenit ex homicidio voluntario culpabili (n. 86.) etiamsi occulto; quæ non possunt ab Episcopo dispensari, ut constat ex Cap. *Licet* 6. Trident. Sess. 24. de Reform.

Tertio Prælati Regulares, qui per concessionem plurium Pontificum possunt in suos subditos, quod possunt Episcopi. Vide Ferrar. ib. n. 17. Quomodo autem dispensetur Irregularitas, vide Rituale Rom. de Sacram. Pœnit. *Modus absolvendi.*

APPENDIX I.

De Propositionibus damnatis.

121. Q. Quænam sunt Propositiones damnatæ?

℟. Sunt illæ Propositiones, et Sententiæ, quæ utpote erroneæ, et oppositæ vel Fidei, vel Ecclesiasticæ disciplinæ, vel bonis moribus, fuerunt ab Ecclesia proscriptæ; earumque defensio sub pœnis Ecclesiasticis interdicta. Nos, omissis illis, quæ Dogma, vel Ecclesiasticam disciplinam respiciunt, agemus tantum de illis Propositionibus, et sententiis apud quosdam Moralis Theologiæ scriptores in genere morum repertas, quas, vel quia nimis laxas, vel quia nimis rigidas Ecclesia damnavit.

122. Q. Quisnam hujusmodi damnavit Propositiones?

℟. Partim damnatæ fuerunt ab Alexandro VII., partim ab Innocentio XI., partim ab Alexandro VIII., partim a Benedicto XIV. Et has damnatas Propositiones non solum non licet in praxim deducere; sed insuper qui eas ut licitas auderet docere, aut defendere; in Excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurreret; ut constat ex Decretis a præfatis Pontificibus adproba-

tis in earundem Propositionum proscriptione. Quænam autem sint hæ Propositiones, in sequentibus Capitibus exponetur.

Caput I.

De Propositionibus damnatis ab Alexandro VII.

123. Q. Quænam sunt Propositiones ab hoc Pontifice proscriptæ?

℟. Propositiones sub dicta pœna ab Alexandro VII. damnatæ sub diebus 24. Sept. 1665., et 18. Mar. 1666. sunt sequentes quadraginta quinque.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Junii in Consistorio Sacr. Congr. Eminentiss. Card. visa, et tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum; non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerea incitat; non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandæ solicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum solicitante. Hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere; applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani Octavi.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque enim est contra fidelitatem: etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam; non tenentur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam; satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere si-

bi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere; quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita Benificiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis; eo quod sit pœna.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium ecclesiasticum; si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam Beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente; non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur; non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis; dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

29. In die Jejunii qui sæpius modicum quid comedit non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant; sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant; etiamsi iter necessarium non sit; et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo Quinto, hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum; est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*; dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur; possunt retineri, usquedum, adhibita diligentia, corrigantur.

Caput II.

De Propositionibus damnatis ab Innocentio XI.

124. Q. Quænam sunt Propositiones a præfato Pontifice damnatæ?

℟. Propositiones proscriptæ ab Innocentio XI. die 2. Mar. 1679. sunt sexaginta quatuor, videlicet:

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus; semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennis per se obligare præceputm Charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliã viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum; modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam; quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum patris, sed bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri; ut Deo, et fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem,

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis, est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium pubblicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit : idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, et Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferen-

dum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus *Mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda; et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni, non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et, si hoc non sit probabile; vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non

aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores* ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem; et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et laudes, potest autem reliquas Horas; ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, et Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium; qualis, verbi gratia potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ; etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quin imo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

Caput III.

De Propositionibus damnatis ab Alexandro VIII.

125. Q. Quænam sunt Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII.

℟. Duæ damnatæ fuerunt die 24. Aug. 1690, et sunt sequentes.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali : formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative : *Hinc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi. Theologicum vero, et mortale est transgressio libera divinæ Legis. Philosphicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Aliæ 31. fuerunt proscriptæ die 17. Dec. ejusdem anni, et sunt.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, et liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ; hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, et solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino a Jesu Christo accipiunt influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, et inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficiente libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere, ut cœlestem obtineat gloriam; non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur; peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei

propter se, non est bonus motus, et supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, et prescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ; etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas; et multi temporis diuturnitas confirmet: nihilominus ab Ecclesia non habetur prò usu, sed pro abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, et incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis; sufficienter testatur, quod indiguerit Purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba Legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris* etc. prætermissis illis, *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit; Non intendo quod facit Ecclesia.

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani super Concilium OEcumenicum auctoritate atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani Octavi, *In Eminenti*, est subreptitia.

Caput IV.

De Propositionibus proscriptis a Benedicto XIV.

126. Q. Quænam sunt Proposit

itiones a dicto Pontifice damnatæ?

℟. Sunt illæ quinque duellum respicientes, quæ proscriptæ fuerunt in Const. *Detestabilem* 10. Nov. 1752. idest.

I. Vir militaris, qui nisi offerat, et acceptet duellum; tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad Officia militaria ineptus haberetur, indeque Officio, quo se, suosque susten-

tat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse sequuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit Ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, vel Officii.

IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

APPENDIX II.

De Canonibus Pœnitentialibus.

127. Q. Qui sunt Canones Pœnitentiales?

℟. Sunt illæ satisfactiones, seu pœnitentiæ, quæ ex Ecclesiæ instituto pro qualitate criminum Confessarii pœnitentibus olim injungere debebant. Quamvis autem hi Canones non sint amplius in usu; valde tamen proficuum erit pœnitentibus, ut cum S. Antonino, et S. Carolo Boromæo inquit B. Ligorio (Lib. 6. n. 530.), eosdem illis

manifestare ; tum ut majorem horrorem hujusmodi peccatis concipiant , et fortius ab illis absterreantur ; tum ut pœnitentes facilius inducantur ad majorem pœnitentiam acceptandam , et exequendam. Nos principaliores ex dictis Canonibus juxta ordinem Decalogi ex eodem Beato excerptos hic referemus.

128. Q. Qui sunt isti Canones?

℟. Sunt sequentes ; idest

Circa I. Præceptum. 1. Qui a fide desciverit, pœnitentiam aget annis decem. 2. Qui auguriis , et divinationibus servierit , quive incantationes diabolicas fecerit , pœnitens erit annis septem. 3. Respiciens furta in astrolabio , pœnitens erit annis duobus. 4. Si quis ligaturas , aut fascinationes fecerit , pœnitens erit duos annos. 5. Qui magos consuluerit , in pœnitentia erit annos quinque.

Circa II. Præceptum. 1. Quicunque sciens pejeraverit , 40. dies in pane et aqua , et septem sequentes annos pœniteat , et nunquam sit sine pœnitentia ; et nunquam in testimonium recipiatur , et post hæc Communionem percipiat. 2. Qui perjurium in Ecclesia fecerit , pœnitentiam aget annos decem. 3. Si quis Deum , vel B. Virginem , vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit præ foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem, in manifesto , dum Missarum solemnia aguntur , stet , ultimoque ex illis die , sine pallio , et calceamentis , ligatus corrigia circa collum ; septemque præcedentibus feriis sextis in pane et aqua jejunet , Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus Dominicis tres , aut duos , aut unum pauperem pascat , si potest , alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiæ ingressus interdicatur , et in obitu Ecclesiasti-

ca careat sepultura. Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis.

Circa III. Præceptum. 1. Qui opus aliquod servile die Dominico, festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua. Si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua. 3. Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem. 4. In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, ac præterea a carne abstineat.

Circa IV. Præceptum. 1. Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane, et aqua. 2. Qui parentes injuria affecerit, tres annos. 3. Qui percusserit, annos septem. 4. Si quis contra Episcopum, Pastorem, et Patrem suum insurrexerit; in Monasterio omnibus diebus vitæ sue pœnitentiam aget. 5. Si quis Episcopi, aut ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies 40. in pane, et aqua.

Circa V. Præceptum. 1. Qui Presbyterum occiderit, pœniteat 12. annis. 2. Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu; abstineat a carne, et vino, dum vixerit; jenunet secunda, et quarta, et sexta feria. 3. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet. 4. Qui homicidii auctor fuit, ob consilium, quod dedit; pœnitentiam aget 40. dies in pane, et aqua, cum septem sequentibus annis. 5. Si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget annos tres; si nolens, Quadragesimas tres. 6. Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget dies

40. in pane et aqua, oleribus, ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea Quadragesimas in anno observabit. 7. Qui sceleris occultandi causa filium necavit, pœnitentiam aget annos decem. 8. Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres. 9. Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget unum annum per legitimas ferias. 10. Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane et aqua.

Circa VI. Præceptum. 1. Si Laicus solutus cum fœmina suluta concubuerit, pœnitens erit tres annos. Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, pœnitentiam aget 20. dies. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit 40. dies. 4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam pœnitentiam aget. 5. Qui incestum fecerit (non ita enormem), pœnitens erit 12. annos. 6. Qui Monialem violaverit, pœnitens sit annos decem. 7. Si qua mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentiam aget annos tres. 8. Si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annos. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando 12. annos pœniteat, et postea Monasterium intret, tota vita sua moraturus ibidem. 9. Pro adulterio septennii, et decennii pœnitentia imponitur. Pro osculo, seu amplexu impudico triginta dierum pœnitentia statuitur.

Circa VII. Præceptum. 1. Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget annum unum. 2.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro, vel pecuniam Ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas; pœnitens erit annos septem. 3. Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, et pœnitentiam aget dies 20. pane et aqua. 4. Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

Circa VIII. Præeceptum. 1. Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque. 2. Falsarius in pane et aqua pœnitentiam agat quandiu vivit. 3. Si quis de proximo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

Circa IX. et X. Præceptum. 1. Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis. 2. Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, pœnitens erit annos septem; si Presbyter, quinque: si Diaconus, vel Monachus, tres: si Clericus, aut laicus, annos duos.

INDEX ALPHABETICUS.

RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM, QUÆ IN HOC II. TOMO CONTINENTUR.

Lib. indicat Librum; *n.* indicat numerum marginalem illius Libri.

A

H

I.

tes homicidium. n. 87. *Quid, si homicidium sit casuale. n.* 91. *et* 92. *Quando incurratur ob mutilationem alicujus membri. n.* 93. *et* 94. *Ob quæ alia delicta Irregularitas incurratur. n.* 95. *et* 96. Quæ sint *Irregularitates ex defectu. n.* 97. *Qui sint Irregulares ex defectu animæ, et an dæmoniaci, epilectici, morbo caduco laborantes etc. n.* 98. *et* 99. *Quinam illitterati, et neophiti censeantur Irregulares. n.* 100. *Qui sint Irregulares ex defectu corporis; et an cœci, muti, claudi etc.* 101. *Quid de gibbosis etc. n.* 102. *Qui illegitimi censeantur Irregulares. n.* 103. *Quinam bigami ex defectu Sacramenti Irregulares censeantur. n.* 104. 105. *et* 106. *Qui sint Irregulares ex defectu ætatis. n.* 107. *An ex defectu lenitatis censendi sint Irregulares Judices, Accusatores, Testes, etc. Qui concurrunt juste ad mutilationem, aut occisionem hominis. n.* 108. *et* 111. *Quando sint Irregulares belligerantes.* 109. *et* 110. *Quando ex defectu libertatis censendi sint Irregulares servi, curiales, procuratores, milites, tutores etc. n.* 112. *An ex defectu famæ reputandi sint Irregulares histriones, macellarii, etc. n.* 113. Qui sint *effectus Irregularitatis; et quid quoad Ordines vetetur Irregularibus. n.* 114. *Ad quæ Beneficia sint ipsi inhabiles. n.* 115. An incurratur *Irregularitas, si dubitetur de delicto. n.* 116. 117. *et* 118. Quomodo *tollatur Irregularitas. n.* 96. *et* 119. Quis possit *dispensare ab Irregularitate n.* 120.

J

L

M

R

S

FINIS.

§§.	ERRATA	CORRIGE
	LIBER III.	
3.	Quia ad Ordines	Quia qui ad Ordines
8.	experimendo firmius	experimento firmius
12.	ac administranda	ac ad ministranda
45.	ad negationem	ad negotiationem
77.	Propulique	Populique
93.	hæres sit de illorum	hæres sit dubius de illorum
112.	potest incerta	potest in certa
149.	Parchianos	Parochianos
152.	*aliis generalibus*	*aliis genialibus*
239.	*proferenda sententia*	*pro ferenda sententia*
254.	excluduntr	excluduntur
	LIBER IV.	
104.	in pulverenaribus	in pulvere naribus
119.	nonspectet	non spectet
129.	*dignores*	*digniores*
190.	nequeant exponere	nequeat exponere
241.	quam pro futura	quam profutura
46.	n. 9. Inviolenter confringentes	in violenter confringentes
72.	ut sapienter monent	ut sapienter monet
109.	autem certi sciat	autem certi sint

Copia ec. S. Giovanni Maggiore -- Napoli li 18 Dicembre 1832 Eccellentissimo Reverendissimo Signore -- Rinvio all' E. V. i MMSS. che han titolo *Compendium Theologiæ Moralis etc.* del Vescovo de' Marsi -- Dett' Opera è dotta, chiara, attissima ad istruire gli Chiesiastici; ed è conforme alle vigenti leggi -- Il Regio Revisore Canonico *G. Pirozzi* -- A. S. E. Reverendissima Monsignore Presidente di Pubblica istruzione.

Presidenza della Regia Università degli Studii e della Giunta della Pubblica Istruzione -- Napoli 4 Gennaio 1833.

Vista la dimanda del Tipografo Luigi Rietelli, con la quale chiede di voler stampare l' Opera intitolata *Theologiæ Moralis Compendium ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Josepho Segna Marsorum Episcopo etc.* --- Visto il favorevole parere del Regio Revisore Signor Canonico D. Girolamo Pirozzi. Si permette che l' indicata opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Presidente

M· COLANGELO.

Il Segretario Generale

GASPARE SELVAGGI.